S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

A PATRIBUS MIN. CAPUCCINIS PROVINCIAE VENETAE

E TEXTU ORIGINALI NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA NOTISQUE ILLUSTRATA

SUMMO PONTIFICI PIO XI DICATA

VOLUMEN IV

QUADRAGESIMALE PRIMUM

PATAVII

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA SEMINARII

MCMXXXVI

IN PRAEPARATIONE:

QUADRAGESIMALE SECUNDUM S. LAURENTII A BRUNDUSIO ORD. MIN. CAPUCCINORUM ✣ ✣

OPERUM OMNIUM VOLUMEN V

Pretium praesentis voluminis lib. it. 80

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORD. FF. MIN. CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA



S. LAURENTIUS A BRUNDUSIO SCRIBENS

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

A PATRIBUS MIN. CAPUCCINIS PROVINCIAE VENETAE

E TEXTU ORIGINALI NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA NOTISQUE ILLUSTRATA

SUMMO PONTIFICI PIO XI DICATA

VOLUMEN IV

QUADRAGESIMALE PRIMUM

PATAVII

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA SEMINARII

MCMXXXVI

FR. VIGILIUS A VALSTAGNA

TOTIUS ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM MINISTER GENERALIS (l. i.)

Praesentium virtute annuimus ut editio Operum Omnium Sancti Laurentii a Brundusio O. Min. Cap., a Patribus Provinciae Nostrae Venetiarum iuxta textum originalem elaborata et adnotationibus illustrata, iam sub Praedecessore nostro incoepta, servatis de iure servandis, publici iuris fieri possit.

Datum Romae ex Curia Nostra generali,
die 2 Augusti 1936

FR. VIGILIUS A VALSTAGNA
Min. Gen.lis Cap.

(L. S.)

Attente perlegimus volumen quartum Operum Omnium Sancti Laurentii Brundusini, quo continetur eiusdem « Quadragesimale Primum ». Nihil in eo invenimus a mente Ecclesiae alienum at omnia fidei et morum dogmatibus consona.

Friburgi Helvetiorum, die 30 Iulii 1936

FR. HILARINUS A LUCERNA O. M. Cap.
Cust. Gen.

FR. CRISPINUS AB APPENZELL O. M. Cap.
Lect. Theol.

Nihil obstat quominus imprimatur
Patavii, die 4 Aug. 1936
Can.cus Doct. OLIVUS LUISETTO
Cens. Ecc.

Imprimatur
Patavii, die 7 Aug. 1936
† CAROLUS AGOSTINI Episcopus

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

Dal Vaticano, 2 Luglio 1935

REV.MO PADRE,

Mi pregio notificare alla P. V. Rev.ma che il Santo Padre ha accolto con sensi di viva gratitudine il volume terzo di "Opera Omnia S. Laurentii a Brundusio", volume dedicato alla Sua Augusta Persona.

Sua Santità esprime la Sua profonda compiacenza a quanti attendono con diligenza e zelo così lodevole a un lavoro di tanta utilità e, formulando fervidi auspici per la felice continuazione del medesimo, imparte ai buoni religiosi impegnati nella dotta fatica, e a Lei, Rev.mo Padre, la Benedizione Apostolica.

Con sensi di sincera e distinta osservanza mi confermo

di V. P. Rev.ma dev. nel Signore
E. Card. PACELLI

Rev.mo Patri
VIGILIO A VALSTAGNA
Ministro Generali O. F. M.
S. Francisci Capuccinorum

PRAEFATIO

IN PRIMUM QUADRAGESIMALE S. LAURENTII

Hoc quarto volumine Operum omnium S. Laurentii a Brundusio Primum eius Quadragesimale in lucem editur. Quo melius de eius valore iudicari possit, operae pretium erit aliqua delibare de statu eloquentiae illius aevi, quo S. Auctor apostolicum munus exercuit.

I. - DE STATU SACRAE ELOQUENTIAE SAEC. XVI ET XVII

Saeculo decimo sexto eloquentia sacra in Italia non paulum declinare coepit. Paucorum illius temporis oratorum sacrorum opera ad nos pervenerunt, eaque tanquam verae eloquentiae exemplaria proponi haud possunt. [1]

Invaluerat enim tunc pessimus quidam dicendi modus cui omnis ratiocinii vivacitas deest et is eloquii vigor qui est orationis maximum ornamentum. Ii etiam qui maximi oratores habebantur, verba et epitheta ad excessum usque multiplicabant, et maxima cura et studio unice incumbebant ut periodum modo semper uniformi resonantem redderent, veluti si oratio versuum contextus fuisset.

1) Girolamo Tiraboschi *Storia della Letteratura Italiana*, t. 8, part. 4, lib. 3, cp. 6, pag. 1507, Venezia 1795. De eloquentia sacra huius temporis cf. etiam P. Tacchi-Venturi *Storia della Compagnia di Gesù in Italia*, vol. 1, pag. 243-254, Roma-Milano, Albrighi, Segati & C. 1910.

Insuper, oratores methodum adoptaverant orationes suas scholasticis subtilitatibus replendi, innumeras citationes congerendi auctorum tum sacrorum tum ethnicorum, verbum Dei violenter torquendi et ad sensus a vero prorsus alienos, interdum etiam ridiculos, cogendi. [2]

Accedit etiam quod, cum antehac in maioribus Ecclesiae solemnitatibus sermones lingua latina ad populum haberentur, lingua vulgaris italica misere neglecta fuit. Porro opera quae in lucem prodierunt, genus dicendi et stylum praeseferunt incultum et impolitum, rudem et confusum et frequentibus barbarismis inquinatum. Omnes oratores in adinveniendis metaphoris et figuratis locutionibus inusitatis et absurdis ingenium exercebant, quibus sermonem manibus plenis et sine ullo ordine infarciebant, nihil omnino de legibus observandis, sed tantummodo de admiratione auditorum plausuque captando cogitantes, fine eloquentiae sacrae nec satis intento nec satis obtento.

Saeculum vero sequens in peius ruit. Quamvis generatim nimis calumnietur, attamen nemo negaverit eloquentiam sacram in illustrioribus cathedris valde extravagantem fuisse, et tantum inter inferioris plebis multitudines vivam potentemque et interdum etiam terribilem resonuisse in ore virorum apostolicorum, fide veroque zelo et caritate ferventium. [3] Et re quidem vera loqui non possumus de eloquentia sacra, saeculi praesertim decimi septimi, absque magno rubore, nec capere quomodo orationes tales audiri potuerint, quae nunc per ludum tantum leguntur, ut cognoscatur ad quem extravagantiae et dementiae gradum pervenire possit abusus humani ingenii ; nec pariter intelligere possumus quomodo ex iis verbosis sermonibus, in quibus nil elucebat nisi molesta subtilitas in metaphoris et figuris rhetoricae, speraretur ille fructus qui in sacro divini verbi ministerio maxime intendendus est. Sed talis erat illius temporis

2) Celeberrima sunt verba clarissimi Card. P. Bembo: « Fu domandato una volta a Mons. Bembo perchè non andasse la Quaresima alle prediche. E rispose: Che vi debbo io fare? Perciocchè altro non si ode che il garrire il Dottor Sottile contra il Dottor Angelico et poi venirsene Aristotele per terzo e terminare la questione proposta ». Tiraboschi op. cit. pag. 1517, et apud P. Tacchi-Venturi op. cit. ibid.

3) Cf. A. Belloni *Il Seicento*, cp. 6, pag. 305, Francesco Vallardi, Milano 1929.

genius, ut quis vix libenter audiri speraret, nisi communi via incederet et auditorum gustui, quamvis corrupto, indulgeret. [4]

Verum tamen est viros doctiores et religiosiores aegre tulisse talem ingenii dissipationem et sacrae eloquentiae abusum, ex quo plurima in populo christiano mala oriebantur. Iam Concilium Tridentinum sapientissimas normas ediderat, ut ministerium verbi Dei digne ac fructuose tractaretur; [5] zelo fervido religionis ardentes ecclesiarum pastores has aliasque opportunas leges omnibus oratoribus observandas praescripserant; [6] neque defuerunt qui, huiusmodi eloquentiae vitia reprobantes, divinum verbum maiori cum dignitate ac religiositate annunciare conarentur. Quamvis igitur parvus nimis eorum numerus esset, ut communi genio valide et efficaciter resisterent et sacram eloquentiam ad priscum splendorem reducerent, tamen in hac quoque tempestate inveniuntur viri in arte dicendi magistri, etsi non omnino perfecti, in quibus relucet ea popularis eloquentia, cui nec vivax quaedam imaginatio deest, nec certa eloquii nervositas, quae animos commovet et affectus excitat. [7]

Sed validius efficaciusque remedium huic corruptae eloquentiae demum allatum fuit a novis antiquorum Ordinum reformationibus novisque Institutis Religiosorum saeculo XVI exortis, maxime vero a viris apostolicis Ordinis Capuccinorum. [8] Hi quidem, ceteris ob brevitatem silentio praeteritis, iuxta S. Francisci Regulam [9] et Ordinis Constitutiones, [10] Christum crucifixum unice praedicantes, vitia et virtutes, poenam et gloriam annunciantes, spretis omnibus verborum artificiis inutilique exquisitiori elegantia formae et artis affectatione, novum quoddam genus praedicationis popularis invexerunt maximo cum fructu. [11]

4) Cf. Tiraboschi op. cit. t. 7, part. 2, cp. 5, pag. 486.

5) Sess. V, *De Ref.*, cp. 2; sess. XXIV, *De Ref.*, cp. 4.

6) Cf. P. Tacchi-Venturi op. cit. pag. 251-253.

7) Cf. Tiraboschi op. cit. t. 7, part. 4, lib. 3, cp. 6, pag. 1334 sqq.; A. Gemelli *Il Francescanesimo*, pag. 151 sqq., Milano, Società Editrice «Vita e Pensiero» 1932.

8) Cf. P. Tacchi-Venturi op. cit. pag. 252-254.

9) Cf. cp. 9.

10) Cf. *Le Costituzioni de' Frati Minori Cappuccini di S. Francesco*, cp. 9, pag. 83, 86. in Vinegia, Appresso Gabriel Giolito de' Ferrari 1577.

11) P. Bernardinus a Collepetracio, qui oculis propriis Ordinis Capuccinorum initia conspexit et in-

Inter multos qui mentionem merentur pauci ex aetate S. Laurentii Brundusini memorentur. Atque in primis F. Alphonsus Lupus a Medina († 1593), qui, etsi hispanus, in Italia tamen in ministerio divini verbi multum adlaboravit, ita ut sicut Ionas in Niniven, sic ipse in Italiam missus diceretur; [12] de quo Gregorius XIII notum elogium edidit: « Toletus docet, Panigarola delectat, Lupus movet ». [13] Eundem S. Carolus Borromaeus et Fridericus item Borromaeus summis laudibus prosecuti sunt, testantes illum « partes perfecti oratoris omnes habuisse » et « summum fuisse sui temporis concionatorem et oratorem, et talem omnino qualem fortasse neminem aetas illa habuisse videatur ». Eius tamen opera inedita remanserunt. [14]

Famam istius hereditasse visus est F. Hieronymus a Narni († 1632), S. Laurentii coaevus, qui et ipse primus orator sui temporis proclamatus fuit. Celeberrima sunt de eo verba S. Roberti Bellarmini, qui dicere sole-

genti volumine, cui titulus: *Historia della Congregatione De' Frati Minori Capucini, della sua origine e progresso*, memoriae tradidit. Opus ineditum, cuius ms. asservatur in Archivio Prov. Cap. Assisii. Breviter P. Bernardinus tum vitia praedicationis illius temporis, tum methodum et copiosisissimos fructus praedicationis Capuccinorum exponit, pag. 474-477: « Predicavano i Cappuccini in quel tempo i Comandamenti di Dio, l' Evangelio e la Scrittura Sacra, reprendendo asprissimamente i vitii, essaltavano e magnificavano le sante virtù. E questo dette gran stupore a tutta la Xianità perchè era un predicar nuovo; e con tanto fervor che infocavano ogn' uno; imperocchè in quei tempo non se predicava se non le questioni di Scoto e di S. Thomaso e nel principio sempre recitavano un sogno dicendo: Questa notte mi pareva ecc. Predicavano la filosofia, le fabule d' Hisopo e sempre all' ultimo cantavano alcuni versi del Petrarca o dell' Ariosto; ne mai se nominava l' Evangelio e la scrittura Sacra, o poco, in guisa de oxendo (1) i Cappuccini con questo predicar la scrittura con fervor, bisognò che tutti i predicatori d' altre Religioni, se volevano esser accetti s' accommodassero a predicar le Scritture Sacre e feceno gran frutto nella chiesa di Dio, che da quello in poi tutti predicavano la Scrittura. Era tanto in quel tempo raffreddato lo spirito (che) chi se confessava e comunicava una volta l'anno era reputato santo; i capuccini resuscitarono nella Chiesa il confessarsi spesso e feceno di molte compagnie che essercitavano i santissimi sacramenti e risvegliarono tutta la Xianità e s' incominciò nelle Religioni a parlar di riforma e tra prelati della Chiesa a parlar di Concilio e delle riforme, e fu gran novità et un gran freno a tutti i religiosi e molti signori si convertirono alla vita nuova che davano grandissime elemosine e s' inchinavano insino a lavar i piedi ai poveri e tanto era il desiderio di haver un predicator de' Cappuccini, de pochi famosi predicatori andavano a predicar se non per de brevi (per cui) quello che era prima a impetrarli da S. S.tà quelli li avevano. Rappacificavano le città e le riformavano e tanto era il desiderio d' ogniuno di sentirli predicare che bene spesso havevano alla loro predica quindici e vinti mila persone. »

12) Apud Fr. Dionysium Genuensem *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Min. S. Francisci Capucinorum*, pag. 9, Genuae 1691, ex typographia Io. Scionici.

13) Apud A. Gemelli op. cit. pag. 151.

14) Apud F. Dionysium Genuensem op. cit. pag. 9.

bat: « Si Paulus apostolus redivivus praedicaret eodem Quadragesimae tempore, quo et Hieronymus Narniensis Capucinus, ego utrunque alternis vicibus audirem, videlicet una die Apostolum et altera Capucinum ».[15]

Praeter hos, alios eosque fructuosissimos verbi Dei praedicatores permultos extitisse traditione accepimus,[16] eorum vero opera eheu ad nos non pervenerunt.

Quod autem auditores in eis maxime admirabantur, non excultae artis dotes erant et docti eloquii nitor et gratia, sed qualitates oratoris, videlicet sanctitas vitae, austerissima vivendi forma, aspectus gravitas, verba inflammata. Postquam enim a saeculi strepitu segregati diu orationi et poenitentiae operibus vacaverunt, ex asceteriis et solitudinibus exeuntes, in medium populorum prorumpentes, urbes atque oppida concursantes, more Prophetarum verbo et exemplo poenitentiam praedicantes, animos a vitiis ad virtutem reducebant et collapsam pietatem et mores ubique restituebant. Adeo efficaces oratores erant, quia non vanis verborum nugis aut ingeniosis subtilitatibus operam dabant, sed de animarum salute tantum solliciti, fulgura et tonitrua, verba impolita, sed ardentia omnibus artis legibus et verborum lenociniis praeferebant; et haec turbas potenter commovebant, licet oratoribus excultae formae elegantia legumque eloquentiae peritia interdum deessent.

II. - DE S. LAURENTIO ORATORE

Ex traditione. – Inter omnes verbi Dei praecones Ordinis Capuccinorum eminere S. Laurentium non tantum ut sanctum apostolum, sed etiam ut oratorem eximium et sui aevi excellentissimum a traditione accepimus. Orator videbatur natus. Memoriae traditum est quinquennem in patria civitate Brundusii sermones ad populum habuisse tanta gratia ac fervore, ut ingens hominum multitudo ad eum audiendum conflueret, quos ad

15) Ibid. pag. 163.
16) Cf. A. Gemelli op. cit. pag. 151-152.

peccati odium et detestationem virtutumque amorem excitabat, cunctis magno stupore correptis remque prodigiosam censentibus. [17]

Studiis vix absolutis, etiam antequam sacerdotio initiaretur, praedicationis munus subiit, quod sacerdos factus maxima omnium admiratione undequaque persolvit. [18] Omnia nimirum, quae divini verbi ministrum constituunt, possidebat. Erat intelligentia perspicacissima praeditus et memoria admirabili, qua quidquid legeret sine gravi labore tenebat. [19] Unde factum est ut tam felicitate ingenii quam studii assiduitate brevi mox tempore adeo doctus evaserit, ut perfectis philosophis et theologis aequari potuerit. [20] Ad haec autem accedebant plena Sacrae Scripturae scientia, quam integre memoriae mandaverat, Sanctorum Patrum mirabilis cognitio, [21] humanarum quoque litterarum peritia. Uberrimae doctrinae et egregiae arti oratoriae, quae illi prope naturalis erat, gratia actionis, gravitas aspectus, sobria eloquii elegantia iungebantur. [22] Hinc mirum non est si, maxima cum laude habita quadragesimali praedicatione in civitate Venetiarum coram amplissimo reipublicae senatu, [23] rarae eius facundiae fama longe lateque brevi divulgata, civitates Ditionis Venetae et dein plurimae Italiae urbes hunc mirabilem verbi Dei praeconem certatim accerserent. [24] Scitum est enim eum praedicationi verbi Dei incumbentem non tantum intra Venetorum fines, sed, praesertim cum munere Moderatoris Provinciarum Tusciensis et Genuensis et postea Ministri Gene-

17) Cf. Processus Beatificationis S. Laurentii. *Informatio*, n. 27, pag. 11. *Positio super dubio* « An constet », etc. Romae, typis Rev. Camerae Apostolicae 1756. Quattuor partibus constat: *Informatione, Summario, Animadversionibus, Responsione.*

Mos erat illius temporis in civitate Brundusii puerulos in quibusdam religiosis solemnitatibus sermunculos ad populum habere. Cf. P. Lorenzo d'Aosta *Vita di S. Lorenzo da Brindisi*, cp. 2, pag. 5, Roma, Tipografia Poliglotta 1881.

18) *Responsio*, n. 5-36, pag. 90-96.

19) Cf. *Summarium*, n. 5, pag. 55.

20) In processibus vocatur antonomastice: Theologus, vel Philosophus. Cf. *Summarium*, § 48, pag. 38.

21) « Il detto Padre (Lorenzo) era d'ingegno veloce e felicissimo, e lui stesso mi ha detto più volte ... che lui si confidava, quando la Scrittura se fusse persa, di farla in lingua ebrea ... ed anco mi disse che lui era versatissimo in tutti i Dottori e Scrittori, che hanno scritto sopra la Scrittura Sacra e che quasi l'avea letti tutti ». *Summarium*, § 48, pag. 38. Cf. etiam ibid. § 60, pag. 40; *Animadversiones*, n. 53, pag. 18.

22) Cf. *Responsio*, n. 6-7, pag. 91.

23) Cf. *Summarium*, § 49, pag. 38; *Responsio*, n. 12, pag. 92.

24) Cf. *Responsio*, n. 8-12, pag. 91-92.

ralis totius Ordinis ungeretur, Italiam fere universam lustrasse, imo ipsam quoque Germaniam et Boihemiam.[25] Quo enim transibat, ibi illi praedicandum erat. Tanta autem erat populorum in eum pietas et reverentia, tanta audientium frequentia, ut interdum opus fuerit militum custodia ad Ecclesiam eunti ne a turbis comprimeretur.[26] Quas tamen publici honoris significationes demississimo animo excipiebat, non secus ac convicia et insectationes quibus identidem aliquandiu, maxime ab haereticis, impetebatur.[27]

Salutem autem animarum unice quaerens, vivo et efficaci sermone flagitia hominum constanter et libere increpans, publicos peccatores, licet viros nobiles ac principes potentissimos, evangelica libertate et audacia magno omnium stupore reprehendere non verebatur.[28] Quae omnia vitae sanctitati ac zelo ardentissimo coniuncta, eum eximium praedicatorem non efficere nequibant. Longam orationem semper concionibus praemittebat;[29] aliquando super sermocinantis caput coelestem splendorem instar flammae ignis apparuisse tradunt.[30] Tali autem verborum vi talique spiritus fervore concionabatur, ut interdum extra se rapi videretur.[31]

Eius autem praedicatione difficile dictu est quot e perditionis via ad semitam salutis reducti sint. Multi quoque Hebraei ab eo christiana fide imbuti Christo nomen dederunt. In Germaniam, Bavariam et Boihemiam Visitator et Commissarius Generalis et Delegatus spiritualis in bello contra Turcas missus, fere omnes illas vastas regiones circuivit et plurimos haereticos ad catholica dogmata traduxit.[32]

Ex eius operibus. – Cum hactenus S. Laurentii eloquentia ex sola traditione nota esset, nempe ex testimonialibus depositionibus processuum

25) Cf. *Summarium*, § 7-34, pag. 42-48; *Responsio*, n. 7-20, pag. 91-93.
26) Cf. *Responsio*, n. 20, pag. 93.
27) Cf. *Informatio*, n. 40, pag. 16; n. 136-137, pag. 58; *Summarium*, § 16-25, pag. 88-91.
28) Cf. *Responsio*, n. 23-25, pag. 94.
29) Cf. ibid. n. 36, pag. 96.
30) Cf. ibid. n. 26, pag. 95.
31) Cf. ibid. n. 5, pag. 90; n. 14, pag. 92.
32) Cf. *Informatio*, n. 14-16, pag. 6-7; n. 45, pag. 18; n. 132-136, pag. 56.

canonicorum de eius Canonizatione,[33] ex Annalibus Provinciae Venetae[34] eiusque biographis,[35] nunc demum etiam ex eius operibus editis innotescit; quamvis enim absolutum iudicium de vero eius praedicandi modo ex his proferre non possimus – nam latine haec scripta sunt, ipse autem semper lingua vernacula sermonem ad populum habuit, – tamen omnia vitia sui temporis eum vitasse ex his satis clare apparet.

In eo enim reperitur quaedam gratia sermonis vivax et vigorosa, sed naturalis, non artificiosa et affectata vel curiose quaesita vel fucati nitoris; elegans est, sed sobria, non redundans nec tumida.

Parce valde auctores profanos veteresque classicos profert in medium, eosque cum adducit non quasi ad vanam eruditionis pompam, sed obiter tantum et per transennam.

Maxima cum proprietate et reverentia Sacram Scripturam semper affert. Divina Scriptura veluti anima et vita est eius eloquentiae. Ex ea enim phrases, ipsos dicendi modos excerpit, quibus eloquium suum vestit, sed tali habilitate, ut non aliunde, sed ex ipso orationis ordine et idearum successione naturaliter videantur erumpere.

S. Laurentium verum fuisse sacrae eloquentiae magistrum inde iam apparet. Praeterea, Mariale, quod recte tractatus completus theologiae Marianae definitum fuit,[36] eum oratorem eximium manifestat. Est enim veluti canticum harmonicum quod gloriae B. Virginis tibiis mentis et cordis modulatus est, ita ut quoad doctrinam cum S. Bernardo, quoad eloquentiam vero cum maximis Ecclesiae oratoribus, Chrysostomo, Ambrosio, Augustino, et postea Segneri (1624 – 1694), Casini (1648 – 1719), Bossuet (1627 – 1704), Bourdaloue (1632 – 1704) merito comparatum fuerit.[37]

33) Cf. supra, not. 17.

34) Extant mss. in Archivio Provinciae Venetae Capuccinorum a. 1591-1653.

35) De biographis S. Laurentii cf. *Mariale, Praefatio in hanc Editionem Universam*, vol. 1, pag. IX, not. 6.

36) P. Girolamo da Fellette Cap. *Un Reale Predicatore Mariano*, pag. 13-18. Libreria Emiliana Editrice, Venezia 1935.

37) Fr. Jérôme de Paris, Cap.: « Nous ne craignons pas d' avancer que . . . le *Mariale* de Saint Laurent de Brindes occupe une place tout à fait a part dans la littérature chrétienne de tous les temps. Qu' on le compare, par exemple, soit aux divers écrits des Pères ayant trait à la Vierge, Mère de Dieu, les im-

Insuper, Hypotyposi Lutheranismi eloquentissimus apologeta ostenditur. Stylus dicendi opifex, vivax et venustus, eruditio admiranda, argumentandi modus adeo robustus et urgens, ut veluti aereos vapores omnes Novatorum cavillationes dissipet. Ipsis adversarii armis adversarium impetit tali dexteritate, vi et interdum etiam impetuositate, ut nil in eius eloquentia desiderari possit quod in Tertulliani ceterorumque Patrum apologiis invenitur . Forti pectore et armis invictis veritatem catholicam propugnans, nunquam adversarios contemnit, sed semper maxima cum gravitate et caritate cum illis torquet hastam; peccata enim, non peccatores odio habebat; [38] idque est quod gratum et amabilem reddit eius decertandi modum in Hypotyposi. S. Auctor non ironice ludit, non effutit adversarios, non spernit, non moribus duris insultat, non contumeliosis verbis aut superbis impetit, sed omni cum dignitate argumenta sua pertractat, solo veritatis amore et hoc unico intuitu, ut adversarios profligans, falsas et impias eorum doctrinas confutans ac conterens, eos ad viam veritatis et Ecclesiae sinum perducat. Viriliter et acerrime quidem digladiatur, sed simul etiam *cum modestia,* [39] *ut bonus miles Christi Iesu,* [40] qui ab omni vanitate abhorret et nunquam a caritate et virtutibus christianis digreditur. Verum est aliquos vehementiores impetus non deesse in eius polemizandi modo, quibus interdum haereticos urget, qui obstinata pervicacia et ausu « in Boihemia et Austria ad extrema devenerant. Auctoris zelus vel maxime erumpit cum eos B. Virginis cultum vel Romanum Pontificem inverecunde impugnantes redarguit ». At vero hos « impetus non perturbato animo tribuendos esse, sed potius amori veritatis quam defendebat, luculentius apparet ex invitamentis, suavitate et

mortels sermons de saint Bernard non exceptés, - soit aux oeuvres de mariologues plus récents comme saint Bernardin de Sienne, Bernardin de Busti, etc., soit enfin à la partie mariale des grands sermonnaires français, espagnols, italiens, des XVI.e, XVII.e, XVIII.e siècles, et l' on se rendra vite compte qu' ils possèdent vraiment un caractère qui leur est propre, une physionomie particulière très marquée ... Cette éloquence rejoint celle des Maîtres de la chaire chrétienne, celle des Chrysostome, des Ambroise. des Augustin, des Bernard, comme la rejoindront plus tard celle des Bossuet, des Bourdaloue, des Segneri, des Cassini ». *La Doctrine Mariale de S. Laurent de Brindes*, pag. 202-203. Imprimerie J. Duculot, Gembloux (Belgique).

38) Cf. *Informatio*, n. 134-136, pag. 57.

39) 1 Petr 3, 16.

40) 2 Tim 2, 3.

amore plenis, quibus haereticos ad Romanam matrem Ecclesiam adducere nititur ». [41]

In defensionem catholicae veritatis se unice positum putabat, quam semper strenue defendit, etiam in suis diplomaticis missionibus apud aulas principum Germanicorum, cum, potius quam diplomaticum ministrum, Evangelii missionarium se consideraret. Hinc merito Germaniae apostolus appellari potuit et alter Canisius. [42]

Denique orator demonstratur S. Laurentius maxime ex variis operibus homileticis abhinc edendis.

Sed de eloquentia S. Laurentii in fine editionis fusius locuturi, nunc de praesenti Quadragesimali quaedam subiungenda putavimus.

III. - DE HOC PRIMO QUADRAGESIMALI S. LAURENTII.

Volumen quod hic proferimus, continet expositiones super Evangelia singulis Dominicis Feriisque – sabbatis exceptis – Quadragesimae in Missali Romano assignata. Homilias eas nominavimus, cum sermones Quadragesimali traditi generi illi assimilentur, quod Sancti Patres et Doctores pericopas Sacrae Scripturae explicantes et applicantes coram populo simplici familiarique stylo, homiliae nomine introducto, adhibuerunt. Neque tamen perfecte elaboratas homilias, unde ars oratoria S. Laurentii ad vivum depingi possit, expectaveris; sunt enim potius epitomae sat copiosae, seu, ut ipse Auctor dixit, [43] « silvae », non praelo, sed usui proprio destinatae, promptuarii instar quo materia modo provisorio congereretur, occasione data proprie elaboranda.

METHODUS AUCTORIS. – Pericope textus Evangelii currentis diei recitata, brevissimo exordio thema tractandum Auctor enunciat ex eodem sacro textu

41) *Praefatio Generalis in Lutheranismi Hypotyposim*, vol. 2, part. 1, pag. XXIX.
42) Cf. ibid. pag. XI, not. 25.
43) Cf. *Animadversiones*, n. 5, pag. 2.



Effigies Adm: R. Patris LAVRENTII a Brundusio Ordinis Capuccinorum, Et aliquando dicti Ordinis Generalis, viri Apostolici Vitæ Sanctitate, Doctrina, Prædicatione, et Miraculis in vita et post mortem clarissimi, Qui obyt Vlissbone 22 Iulij 1619. Ætatis suæ Anno 62.

Hec Biblia fuit ad usum istius A. R. Patris, dum viueret.

Loci Venetiarii Capuccinorum

BIBLIA SACRA.

Quid, in hac editione, à Theologis Louanienſibus, præſtitum ſit, paulo pòſt indicatur.

Loci Venetiarij Capuccinorum

ANTVERPIAE,
Ex officina Chriſtophori Plantini,
Architypographi Regij.
M. D. LXXIIII.

FACSIMILE FRONTIS BIBLIAE LOVANIENSIS QUAE USUI S. LAURENTIO ERAT IUXTA ORIGINALE

sumptum. Generatim omne Evangelium ad unitatem reducit. Sola Scriptura innititur, raro aliquos S. Patres nominatim affert [44] et auctores profanos. [45] Exponit et argumentatur ipso S. Evangelio vel Prophetis innixus. Inutiles digressiones fugiens, in assumpto semper insistit, quod solis Scripturae verbis evolvit et exponit. Frequentissimae autem Sacrorum Librorum allegationes explicationem et expositionem idearum non impediunt, imo secundant et expediunt, quasi naturale et obvium orationis complementum formantes. E textu sacro innumeros sensus tropologicos et morales peritissime eruit; sed nunquam tortos vel coactos. Aliquando etiam, quo magis litterae sensui inhaereat, textum hebraicum allegat, [46] imo ipsum quoque textum graecum, [47] sed semper latine vertit, quem postea praedicans vernacula lingua, ut mos illi erat, traducebat, quo melius intelligentiae auditorum pateret. [48]

Fere semper post primam expositionem et tractationem, aliqua parte folii alba relicta, aliam breviorem adiungit – quam nos titulo « Alia Homilia » distinximus, – ubi interdum eadem repetuntur, quamvis diverso modo, quae in praecedenti homilia dicta fuerunt.

In allegatione pericopes Evangelii diei currentis, quae singulas homilias praecedit, generatim Missali Romano usus est Clementis VIII iussu recognito decreto 7 iul. 1604, quod aliquas variantes continet conlatum cum praecedenti S. Pii V iussu edito decreto 14 iul. 1570 et cum sequenti Urbani VIII auctoritate recognito, qui « collata omnia cum codice S. Scripturae Vulgatae Editionis, quaeque diversa irrepserant, ad eius unius exemplum normamque » corrigere mandavit a. 1634. Aliquando tamen directe ex ipso Vulgatae textu pericopen affert quae a Missali aliquantulum differt. Saepius etiam variantes inserit in margine *Bibliae Lovaniensis*, quae ad eius usum erat, [49] adnotatas,

44) Pag. 35. 117. 127. 150. 163. 302-304. 482. 495.

45) Pag. 6. 8. 50. 59. 145-146. 178. 188. 220. 290. 293. 386. 393. 398. 405. 440. 480-482. 524. 527.

46) Pag. 38. 43. 57. 86. 89. 124. 149. 162. 164. 168. 172. 190. 210. 272. 276. 294. 309. 332. 336. 365-366. 413. 429. 443. 450. 479. 494. 496.

47) Pag. 39. 57. 206.

48) *Animadversiones*, n. 7, pag. 91.

49) *Biblia Sacra* a Theologis Lovaniensibus ad vetustissima exemplaria castigata, Antuerpiae, ex officina Christophori Plantini Architypographi Regii 1574. De his Bibliis cf. S. Rob. Bellarminus *Controversiae*, t. 1, *De Christo*, lib, 1, cp. 6, pag. 130.

Haec una cum manuscriptis Sancti Auctoris religiose asservatur eiusque frontis facsimile hic exhibetur.

vel etiam aliquas pericopas iuxta liturgiam Missalis vel Breviarii Romani adducit.

Descriptio codicis. – Codex manuscriptus continens hoc Primum Quadragesimale in elencho operum S. Laurentii in *Praefatione Generali Operum Omnium* exhibito sub numero 7 recensetur. [50] Constat 162 foliis numeratis, idest 324 paginis, quarum 50 circiter hinc inde in textu albae relictae sunt. His adiunguntur 13 alia folia in principio et 26 in fine, nec descripta nec numerata. Magnitudo externa 30 × 21, interna vero descripta 25 × 14. Paucas additiones marginales, eiusdem tamen manus, praesefert.

Eandem chartam eundemque scribendi modum, quem ceteri codices, exhibet. Membrana religatus, in parte dorsali, alia quidem manu inscriptionem portat: « S. U. Altro Quaresimale Latino del V. Lorenzo da Brindesi C. ». In parte interna tegumenti in schedula agglutinata, pariter alia manu confecta habetur haec altera inscriptio : « Adm. Rev. P.ris Laurentii a Brundusio Concionatoris Capucini Quadragesimale manu propria eiusdem ». In tegumenti vero exteriore parte : « B », deinde sigillum rubro colore : « IHS », infra : « Archiv.: A », infra : « Colto P–5 », infra : « Busta – », et tandem : « Fascic.: 120 ».

Tempus quo hoc Quadragesimale compositum scriptumve sit definire non possumus. Notum autem est S. Auctorem nunquam otio indulsisse, sed semper alicui studio incubuisse, et omnia temporis momenta usurpare solitum fuisse. Sic constat eum, iam antequam munere Provincialis Ministri in Veneta Provincia fungeretur, multa scripsisse, quibus postea subcisivis horis alia adiungebat prout inspiratio dictabat. [51] Ita in hoc codice, uti ex differentia atramenti necnon styli apparet, factum esse non ambigimus.

De huius operis authentia necesse non est ut argumenta afferamus, cum pro hoc eadem argumenta militent, quae pro ceterorum operum huc usque editorum authentia iam allata fuerunt. [52]

50) *Praefatio in hanc Editionem Universam*, vol. 1, pag. X. Iuxta ordinem huius elenchi Quadragesimale quod sub n. 5-6 venit prius in lucem edendum fuisset. Sed nos hoc praetulimus, quia unico volumine omnes et solas ferias Quadragesimae continet, dum praecedens duobus voluminibus constans continet etiam homilias Dominicae Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae. Ceterum, hoc nullius momenti est, cum prorsus ignoretur quodnam prius a S. Auctore scriptum sit.

51) Cf. *Praefatio ad Explanationem in Genesim*, vol. 3, pag. IX, not. 11.

52) Cf. ibid. pag. X; *Praefatio in hanc Editionem Universam*, vol. 1, pag. XII.

De methodo editionis nostrae. – Uti in praecedentibus voluminibus, diligenter curavimus codicem fideliter exhibere. Eadem proinde criteria secuti sumus quae hactenus semper observata fuerunt. [53] Cum in hoc Quadragesimali frequentissima loca S. Scripturae congerantur, omnium fontem indicavimus; quando autem eadem saepius repetuntur, ne notae inutiliter multiplicarentur, non iterum recensuimus, nisi cum praecedens adnotatio aliquantulum a sequenti distaret.

Inscriptiones singularum feriarum prout in codice extant reliquimus. Eosdem quos in praecedentibus voluminibus indices confecimus, nempe syntheticum Homiliarum, necnon alphabeticum rerum, insuper Auctorum catalogum.

Quod ad materiam spectat, nulla difficultate laboravimus, cum omnia in codice recto ordine procedant. De aliis vero difficultatibus in praecedentium voluminum *Praefationibus* iam satis locuti sumus, [54] nec interest plura nunc adicere.

Tantum praemonitos lectores volumus non esse nec unquam fuisse propositum nostrum in edendis S. Laurentii operibus sententias eius, opiniones et alia huiusmodi expendere, in trutinam ponere, commentari aut quoquo modo cum opinionibus nostri temporis conferre, sed tantum debitis adnotationibus complere quod in codice sine ulla referentia invenitur, raro tantum, cum opus nobis videretur, opiniones a S. Auctore expositas cum opinionibus aliorum auctorum illius aevi conferendo.

De valore Quadragesimalis huius nostrum non est ultimum proferre iudicium; docti, quibus illud obsequenter offerimus, iudicabunt.

Patavii die festo S. Laurentii a Brundusio 1936.

Patres Editores

53) Cf. *Introductio in Primum Volumen*, pag. XXI; *Introductio in Martini Lutheri Hypotyposim*, vol. 2, part. 1, pag. XXXVIII; *Praefatio ad Explanationem in Genesim*, vol. 3, pag. XV-XVI.

54) *Introductio in Primum Volumen*, pag. XXIII; *Praefatio ad Explanationem in Genesim*, vol. 3, pag. XV.

ELENCHUS AUCTORUM

QUI A S. LAURENTIO ET A NOBIS CITANTUR [1]

ARISTOTELES STAGIRITA * Opera Omnia, Isaaci Casauboni, Lugduni, apud Guillelmum Laemarium 1590.

ATHENAEUS * *Diphnosophistarum* sive *Coenae Sapientum,* Natale de Comitibus Veneto vertente, Venetiis, apud Andream Arrivabenum 1556.

BELLARMINUS S. ROB. *De Controversiis Christianae Fidei,* Venetiis 1721, apud Io. Malachinum.

BELLOVACENSIS VINC. *Speculum Naturale,* Argentorati, Io. Mentelin 1469-1476.

Biblia Sacra Univ. Lovaniensis, Antuerpiae, ex officina Christophori Plantini 1574.

Biblia Rabbinica Masoretica, Venetiis 1568, cura Io. De Gara.

Biblioteca Universale Antica e Moderna compilata in Francia, trad. ital., Venezia, Gio. B. Missaglia 1824.

BODINUS Io. *Universae Naturae Theatrum,* Francofurti, apud heredes And. Wecheli 1597.

BOTERO GIOVANNI *Della Ragion di Stato,* a cura di Carlo Morandi, Bologna, L. Cappelli 1930.

BUDAEUS GULIELMUS *Annotationes in 24 Pandectarum Libros,* Lugduni, apud Seb. Gryphium 1551.

CAELIUS LUD. *Lectionum Antiquarum Libri,* Francofurti et Lypsiae, Dan. Fievetti 1666.

CALMET AUG. *Commentarium Litterale in omnes et singulos tum Veteris tum Novi Testamenti Libros,* Venetiis, apud Sebast. Colletti 1730 sqq.; *Dictionarium Historicum,* ibid. 1726.

CHARMES FR. THOMAS (ex) *Theologia Universa,* Bassani, Remondini 1845.

CICERO * Opera Omnia, Lugduni, Sybilla a Porta 1588.

CLAUDIANUS CLAUDIUS * *De Quarto Consulatu Honorii Augusti,* Amstelodami, ex officina Elzeviriana 1665.

Concilium Tridentinum, Canones et Decreta, Venetiis 1564.

1) Signum * denotat Auctores a S. Laurentio citatos.

CORNELIUS a LAPIDE *Commentaria*, Venetiis, apud Hier. Albrici 1700.

CORNELY-MERK *Introductionis in S. Scripturae Libros Compendium*, Parisiis, P. Lenthielleux 1927.

CRITICI SACRI sive *Annotationes Doctissimorum Virorum in Vetus ac Novum Testamentum*, Amstelodami, Guil. Van der Vater 1698.

CURTIUS Q. RUFUS *De Rebus Alexandri Regis Macedonum*, Venetiis, in aedibus Aldi 1520.

Decretum Gratiani et Decretales, Venetiis, apud Iuntas 1595.

Digestum, Lugduni, apud Hugonem et a Porta 1540.

DE LA HAYE Io. *Biblia Maxima Versionum*, Lutetiae Parisiorum 1680.

DEMOSTHENES Demosthenis et Aeschinis Opera, Francofurti, apud Claudium Marinum 1604.

DENZINGER-BANNWART *Enchiridion Symbolorum*, Friburgi Brisgoviae 1928.

DIOGENES LAERTIUS *De Vita et Moribus Philosophorum*, Antuerpiae, ex officina Christophori Plantini 1566.

DU CANGE C. DUFRESNE *Glossarium Mediae et Infimae Latinitatis*, Parisiis, Firmin-Didot 1846.

Dizionario della Crusca.

DRUSIUS Io. in *Critici Sacri.*

DU HAMEL Io. B. *De Meteoris et Fossilibus*, Parisiis, apud Pet. Lamy 1660.

EPICHARMUS * apud Io. Stobaeum *Dicta Poetarum.*

ERASMUS ROTEREDAMUS *Catonis Disticha Moralia*, Argentorati, Io. Cnoblochus 1523.

EURIPIDES * Euripidis quae extant Omnia, opera et studio Iosue Barnes, Cantabrigiae, ex officina Io. Hayes 1644.

FANENSIS F. *Sacra Biblia* Vulgata Editione, Translat. ex Hebraeo Sanctis Pagnini, Translat. Romana ex Septuaginta, et Chaldaica Paraphrasis translat. congesta Fratris Fortunati Fanensis studio, Venetiis, apud Antonium Pinellum 1609.

FORCELLINI AEG. *Lexicon Totius Latinitatis*, Patavii, typis Seminarii.

GALENUS Galeni Omnia quae extant, studio Io. Bapt. Rosarii emendata et in libros Hippocratis et aliorum Commentarii, Venetiis, Vinc. Valgrisius 1562.

GELLIUS AULUS *Noctes Atticae*, opera Io. Soteris, Coloniae 1533.

GUHL e KONER *Vita dei Greci e dei Romani*, traduzione ital., Torino 1875.

HERACLITUS * in *Plutarchus.*

HERGENRÖTHER CARD. GIUS. *Storia Universale della Chiesa*, vol. 5, Firenze, Libreria Editrice Fiorentina 1908.

HERMOGENIANUS apud L. Pignorium *De Servis.*

HESIODUS ASCRAEUS * Quae extant Omnia, Patavii, typis Seminarii 1747.

HETZENAUER P. MICHAEL *Novum Testamentum Graece*, Oeniponte 1904.

HYGINUS C. IULIUS *Fabularum Liber*, Basileae, per Io. Hervagium 1549.

HORATIUS FLAC. *Carmina*, Veronae, apud Hier. Discipulum 1585.

IULIUS SOLINUS *Polystoria*, Pictavis 1554.

IULIUS VALERIUS *Res Gestae Alexandri Macedonis*, Lypsiae, B. G. Teubnerii 1888.

IUVENALIS * *Satyrae*, cum annotationibus Th. Farnabii, Patavii, typis Seminarii 1705.
KIMCHI DAVID RABBINUS *Liber Radicum*, cura Sam. Archivolti, Venetiis 1579; *Comment. in Lib. Iosue et Regum*, in *Biblia Rabbinica Masoretica*.
LABANCA BALDASSARE *Marsilio da Padova*, Padova, Fratelli Salmin 1882.
LAURENTIUS a BRUNDUSIO S. Opera Omnia, Patavii, ex officina typographica Seminarii 1928-1935.
LIPSIUS IUSTUS Opera Omnia, Antuerpiae, ex officina Plantiniana 1637.
LIVIUS T. *Historiarum Libri*, Amsterdami, apud Guil. Blaeu 1633.
LYRANUS NIC. *Biblia Sacra cum Glossis Interlineari et Ordinaria*, Venetiis 1588.
MACER EM. in *Digestis*.
MACROBIUS AURELIUS Omnia quae extant, Patavii, Josephus Cominus 1736.
MARSILIUS FICINUS in *Plotinus*.
MASIUS A. in *Critici Sacri*.
MERCURIUS TRISMEGISTUS *Asclepius*, Lugduni, apud Io. Tornaesium 1577.
Missale Romanum Pii V Pont. Max. iussu editum, Parisiis, apud Iac. Kerner 1584.
— Clementis VIII auctoritate recognitum, Venetiis 1604.
— Urbani VIII auctoritate recognitum, Patavii, ex typographia Seminarii 1697.
NESTLE EBERHARD *Novum Testamentum graece et latine*, Stuttgart 1907.
ORPHEUS * *Hymni* cum HESIODO.
OVIDIUS * P. Ovidii Nasonis quae supersunt, Lypsiae, typographia Caroli Tauchnitii 1828.
PAGNINI SANCTES *Thesaurus Linguae Sanctae* sive *Lexicon Hebraicum*, Lugduni, apud Ant. Gryphium 1577.
PASTOR LUD. *Storia dei Papi*, vol. 1, Trento, tip. ed. Artigianelli 1890.
PERIN IOS. *Onomasticon Totius Latinitatis*, Patavii, typis Seminarii 1913. 1920.
PHILO IUDAEUS Opera, Lugduni, Ant. Vincentius 1561.
PIGNORIUS LAUR. *De Servis*, Venetiis, Io. Ant. Rampazettus 1605.
PLATO * Opera Omnia, excudebat Henricus Stephanus, Lugduni, Ant. Vincentius 1557.
PLAUTUS M. ACCIUS *Comoediae*, Lutetiae, apud Io. Macaeum 1577.
PLINIUS C. SECUNDUS *Historia Naturalis*, Venetiis, apud Hier. Scotum 1571.
PLOTINUS *Enneades*, Marsilio Ficino interprete, Basileae, ad Perneam Lecythum 1580.
PLUTARCHUS CHAERONEUS * *Etica Opera*, interprete Hermanno Cruserio, Basileae, apud Thomam Guarinum 1573.
PROPERTIUS SEXTUS A. *Elegiae*, Lypsiae, G. B. Teubnerii 1932.
PYTAGORAS * in *Marsilius Ficinus*.
QUENTIN H. *Biblia Sacra*, Polyglottis Vaticanis 1926.
REEB GEORGIUS *Axiomata*.
REUCHLINUS IO. PHONENSIS *De Arte Caballistica*, Basileae 1550.
ROHRBACHER *Storia Universale della Chiesa*, t. 12, Torino, Giac. Marietti 1869.
SALLUSTIUS C. CRISPUS * *De Bello Iugurtino*, C. Fumagalli, Romae et Mediolani 1906.

SENECA L. A. et P. SYRUS MIMUS *Sententiae*, cum notis Ios. Scaligeri, Lugduni Batavorum, apud Io. Du Vivier 1708.

STOBAEUS Io. *Dicta Poetarum*, Parisiis, apud Nic. Buon 1623.

SVETONIUS C. TR. *Duodecim Caesares*, cum Philippi Beroaldi Annotationibus, etc. Lugduni, apud Io. Frellonium, 1548.

Talmud.

TERENTIUS P. * *Comoediae*, Brixiae, apud Lud. Britannicum 1536.

Thesaurus Linguae Latinae seu *Forum Romanum*, Basileae 1576.

THOMAS AQUINAS S. Opera Omnia, Ioseph Bettinelli Venetiis 1748.

TIBULLUS A. *Casta Carmina*, Bassani, Remondini 1824.

TOSTATUS ALPH. *Commentaria in S. Scripturam*, Venetiis, Io. Sessa 1596.

VALERIUS MAXIMUS *Dictorum Factorumque Libri*, Venetiis 1645.

VALLISNERI A. *Intorno l'Origine delle Fontane*, in Venezia 1726, apresso P. Poletti.


VAN ESS L. *Vetus Testamentum Graecum iuxta Septuaginta Interpretes*, cura et studio Leandri Van Ess, Lypsiae, Ern. Bredti.

VATABLUS T. in *Critici Sacri*.

VIRGILIUS MARO * Opera, Bassani, ex tipographia Remondiniana 1804.

ZANOLINI A. *Lexicon Hebraicum*, Patavii, typis Seminarii 1732.

QUADRAGESIMALE
PRIMUM



FACSIMILE PRIMAE PAGINAE HUIUS QUADRAGESIMALIS S. LAURENTII TERTIA PARTE DIMINUTAE

FERIA QUARTA CINERUM

Cum ieiunatis, nolite fieri, sicut hypocritae, tristes: exterminant enim facies suas. [1]

I. Componitur formaturque hodie a Christo, divinissimo plaste, homo spiritualis, theologicus, qui a Paulo dictus est *homo interior.* [2] Homo physicus constat ex corpore et anima; homo metaphysicus ex genere et differentia; homo christianus ex natura et gratia. Christus hodie agit [3] de homine, non ut physicus aut metaphysicus philosophus, sed ut theologus et moralis philosophus. In nativitate fit homo naturalis physicus; in Baptismo, supernaturalis theologicus.

Agit hodie Christus de homine spirituali, christiano, qui constat ex natura et gratia,

Agens Moyses de formatione hominis physici ac naturalis, eum corpore et anima constare docuit, carne et spiritu, sicut mundus hic coelo et terra, corporalibus et spiritualibus, visibilibus et invisibilibus substantiis naturisque constat: *Formavit... Dominus Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae et factus est homo in animam viventem.* [4] Formavit corpus, inspiravit animam; sic factus est homo ex anima et corpore. Si corpus non haberet, Angelus esset; si autem rationali anima praeditus non fuisset, brutum animal esset.

sicut egit Moyses de homine physico, qui constat ex anima et corpore.

Sic a Christo, vero conditore spiritualis et mystici mundi, quod est Ecclesia Sancta Dei, in formatione hominis spiritualis et theologici requiruntur [5] tum corporales tum spirituales virtutes. Corporalis virtus ieiunium est; spiritualis, humilitas: *Ne videaris* [6] *hominibus ieiunans;* [7] fides: *Sed Patri tuo, qui videt in abscondito;* spes: *Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi;* [8] caritas: *Ubi... est*

Ad formationem hominis spiritualis requiruntur a Christo tum corporales tum spirituales virtutes.

1) Pericope huius diei Mt 6, 16-21. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Rom 7, 22; 2 Cor 4, 16; Eph 3, 16. 3) Ms.: *Adit.* 4) Gn 2, 7. 5) Ms.: *Requirit.* 6) Ms.: *Videraris.* 7) Mt 6, 18. 8) Ibid.

thesaurus tuus, ibi est et cor tuum;[9] nobilitas animi: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra . . . , thesaurizate autem vobis thesauros in coelo;*[10] spiritualis virtus, puritas conscientiae : *Faciem tuam lava;*[11] spiritualis unctio gratiae Spiritus Sancti : *Unge caput tuum.*[12]

Et primo, ieiunium et mortificatio carnis,

II. In naturalis hominis formatione docet Moyses quod prius a Deo formatum fuit corpus et postea infusa anima ; nam, ut Paulus docet : *Non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale.*[13] Sic et Christus hodie a corporalibus virtutibus incipit, sine quibus non potest esse homo spiritualis, sicut nec sine corpore homo naturalis. Ad vitam spiritualem et vere christianam cum primis necessarium est ieiunium et mortificatio carnis, sicut et Christus, statim post susceptum a Ioanne baptisma, ductus fuit in desertum a Spiritu et quadraginta diebus ieiunavit.[14] Hinc Paulus manifeste praedicat quod, *qui . . . sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.*[15] Primum omnium Hebraeorum praeceptum fuit circumcisio;[16] primum quod Iosue egit universo populo, post transitum Iordanis, hoc extitit : acutis gladiis eos circumcidit ;[17] primum Moysi facinus : Aegyptium occidit, qui Hebraeum percutiebat.[18] Quis autem nescit quod *caro . . . concupiscit adversus spiritum ?*[19]

quia caro inimica est spiritui.

Hoc Deus significavit Hebraeis,

In prima parte divini sanctuarii, in ipso atrio erat altare sacrificiorum. *Obsecro . . . vos,* inquit Paulus, *per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.*[20] Hoc primum requisivit per Moysen Deus ab Hebraeis, ut ex Aegypto egrederentur et irent ad sacrificandum in deserto.[21] Primum quod christiano homini maxime necessarium est, carnis suppeditatio est, ut cum Salomone mulam regiam inequitemus,[22] cum Christo super asinam et pullum eius,[23] carnem frenantes et sensum, eicientes de domo ancillam et filium eius.[24] Nam etiam in paradiso praeceptum obedientiae accepit homo a Deo, ut a ligno scientiae universalis absti-

9) Ibid. vr. 21. 10) Ibid. vrr. 19-20. 11) Ibid. vr. 17. 12) Ibid. 13) 1 Cor 15, 46. 14) Cf. Mt 4, 1. 15) Gal 5, 24. 16) Cf. Gn 17, 10-14. 17) Cf. Ios 5, 2-3. 18) Cf. Ex 2, 11-12. 19) Gal 5, 17. 20) Rom 12, 1. 21) Cf. Ex 3, 12-18 ; 5, 1. 22) Cf. 3 Rg 1, 33-38. 23) Cf. Mt 21, 5-7 ; Lc 19, 30 ; Io 12, 15. 24) Cf. Gn 21, 10.

neret.[25] Primum quod Ionas Ninivitis praedicavit ieiunium et poenitentia fuit;[26] hoc ipsum Ioannes Baptista, hoc ipsum Christus: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum,*[27] et: *Nisi poenitentiam egeritis, similiter omnes peribitis,*[28] sicut periisset Loth, nisi ad monitum Angelorum egressus fuisset de Sodomis;[29] sicut enim Sodoma cum universa Pentapoli coelesti igne conflagravit,[30] sic totus mundus, qui secundum carnem vivit, in igne gehennae cum infelici epulone[31] in aeternum ardebit.

Ionas Ninivitis et Io. Baptista Iudaeis.

III. Necessaria est poenitentia et carnis mortificatio ad salutem. Sic Paulus manifeste docet dicens: *Fratres, debitores sumus non [carni], ut secundum carnem vivamus: si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*[32] Nam Hebraei in deserto, ubi carnes appetivere carnibusque saturati fuere,[33] ibi etiam tremendo Dei iudicio et divina ultione periere in sepulcris concupiscentiae.[34] Docet etiam Paulus quod, *qui... in carne sunt,* idest secundum carnem vivunt, *Deo placere non possunt.*[35] Neque enim Moyses permissus fuit ad Deum accedere, nisi solutis calceamentis de pedibus,[36] idest positis carnalium cogitationum affectuumque involucris. Et Paulus quidem in argumento multus est. Ad *Galatas* ait: *Spiritu ambulate et desideria carnis non perficietis: caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem; haec enim sibi invicem adversantur.*[37] Sic et ad *Romanos* docet quod lex membrorum, idest sensus carnis, repugnat legi mentis,[38] idest spiritui Dei. Hoc est quod Petrus ait carnalia desideria militare adversus animam.[39] In pugna autem hac, nisi spiritus *legitime certaverit*[40] et cum David Goliath Philisthaeum vicerit,[41] coronam vitae consequi nequaquam poterit.

Mortificatio carnis necessaria est ad salutem,

sicut manifeste docet D. Paulus

Christus etiam, magister vitae, hoc ipsum dogma multis docuit: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit,* nullum fructum affert; *si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam: qui* autem *odit animam suam propter me, in vitam*

et Christus ipse.

25) Cf. ibid. 2, 17. 26) Cf. 3, 1 sqq. 27) Mt 3, 2; 4, 17. 28) Lc 13, 5. Vulg.: *Si poenitentiam non egeritis, omnes similiter,* etc. 29) Cf. Gn 19, 12-17. 30) Cf. ibid. vrr. 24-29. 31) Cf. Lc 16, 22-28. 32) Rom 8, 12-13. 33) Cf. Ex 16, 3-14. 34) Cf. Nm 11, 34. 35) Rom 8, 8. 36) Cf. Ex 3, 5. 37) 5, 16-17. 38) Cf. 7, 23. 39) Cf. 1 Petr 2, 11. 40) 2 Tim 2, 5. 41) Cf. 1 Rg 17, 48-51.

aeternam custodit eam; [42] *Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me;* [43] nam: *Qui sequitur me... habebit lumen vitae.* [44]

Elegantissimis metaphoris usus est D. Paulus ad hoc docendum.

Adhuc autem Paulus duabus elegantissimis metaphoris hoc ipsum docuit: *Nescitis quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis. Et omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur sic [curro], non quasi in incertum, sic pugno, non quasi aerem verberans: sed castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne... reprobus efficiar.* [45] Sicut, inquit, ad accipiendum bravium necessarius cursus est, ad accipiendam coronam necessarium certamen; ita ad consequendam vitam aeternam opus est corporis castigatione. Alibi etiam alia adhuc metaphora idipsum docuit dicens: *Quae enim seminaverit homo, haec et metet: quoniam qui seminat in carne..., de carne et metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam.* [46] Necesse est, inquit, ut seminet, qui vult metere, et ut seminet non hordeum aut saginam, sed triticum, qui vult metere triticum.

In maxima rectitudine homo creatus fuerat, Angelis similis;

IV. Hanc ob causam Dominus Ecclesiam vineae comparavit, non paradiso, in quo primus homo positus fuit. [47] Ibi enim nullo labore opus erat nec sudore ad portandum *onus diei et aestus;* [48] nulla tunc opus erat carnis mortificatione aut castigatione corporis, quoniam tunc caro spiritui subiecta erat, sicut humilis ancilla dominae suae, sicut Agar Sarae, priusquam Ismaelem concepisset. Nunc autem rebellis est, sicut Agar, post conceptum Ismaelem, dominae suae parere nolebat, sed contemnebat eam ipsaque dominam agere volebat; quare opus fuit ut eam Sara affligeret, ut in officio contineret. [49]

sed per peccatum omnia perturbata sunt,

Erat tunc homo sicut ordinatissima respublica, sicut ordinatissimus exercitus, musicum instrumentum optime temperatum, horologium optime compositum. Per peccatum autem perturbata sunt omnia. Erat tunc vere medius inter animalia et Angelos, sicut aurora

42) Io 12, 24-25. 43) Mt 16, 24. Vulg.: *Si quis vult post me venire*, etc. 44) Io 8, 12.
45) 1 Cor 9, 24-27. Vulg.: *Omnis autem.* 46) Gal 6, 8. 47) Cf. Gn 2, 8.
48) Mt 20, 12. Vulg.: *Pondus.* 49) Cf. Gn 16, 1 sqq.

inter noctem et diem, sicut coelum motibus ordinatissimum inter mundum elementalem et empyricum paradisum. Felicissime exequebatur omnes actiones suas, corpore quidem animales, spiritu vero angelicas et divinas; quare tunc vere Angelus in carne dici poterat, optimus eques equitandi peritissimus super optimum equum optime disciplinatum, freno et nutibus obedientissimum, qualis dicitur Alexandri Magni bucefalus. [50]

natura corrupta, caro concupiscens adversus spiritum.

Nunc autem per peccatum perturbata sunt omnia, nam: *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis:* [51] cum Nabuchodonosor in bestiam transmutatus est; [52] unde: *Animalis homo non percipit... quae sunt spiritus Dei.* [53] Erat tunc natura nostra sicut terra benedicta, quae homini absque ullo labore omnia producebat; nunc autem, ob peccatum maledicta, spinas et tribulos producit, nec sine magno labore et sudore dat frumenta ad victum necessaria. [54] Vinea opus habet diligenti cultura, ut suis temporibus fodiatur et putetur, alioquin ad nihilum valet.

Ideo in primis caro rebellis expugnanda est, facta veluti quaedam civitas vitiorum, per Ierichum figurata.

Promiserat Deus Hebraeis terram Chanaan, [55] sed ad eam acquirendam labore opus fuit et pugna contra Chananaeos.[55a] Primum opus quod aggressi fuerunt Hebraei, transmisso Iordane, expugnatio fuit Iericho, [56] quae l u n a interpretatur; carnem autem designat, quae instar lunae crescit atque decrescit *et nunquam in eodem statu permanet.* [57] Nobis igitur, qui spiritu Hebraei sumus, haec civitas in primis est expugnanda, alioquin proficere nihil poterimus; nam caro nostra vere civitas vitiorum est malarumque cupiditatum. Hinc P a u l u s ait crucifixam esse a veris Christi electis cum vitiis et concupiscentiis. [58]

Civitas aliqua variis modis expugnari potest; ita et caro variis poenitentiae operibus.

Civitas autem variis modis expugnari et capi potest, sicut in Iericho accidit. Primo quidem per obsidionem; sic enim Iosue civitatem Iericho obsedit multisque diebus obsessam tenuit. [59] Aliquando prudenti aliquo dolo et stratagemate, militari astutia, sicut coepit Iosue urbem Hai. [60] Aliquando incendiariis minis vel manifestis incendiis, sicut urbes multas captas legimus. Aliquando oppugnatione arietum

50) Cf. Plinius *Hist. Nat.*, lib. 8, cp. 42, pag. 89; A. Gellius *NoctesAtticae*, lib. 5, cp. 2, pag. 143.
51) Ps 48, 13. 21. 52) Cf. Dn 4, 22-30, 53) 1 Cor 2, 14. 54) Cf. Gn 3, 17-19.
55) Cf. Ex 3, 8. 17. 55a) Cf. Ios 24, 1 sqq. 56) Cf. ibid. 6, 1 sqq. 57) Iob 14, 2.
58) Cf. Gal 5, 24. 59) Cf. Ios 6, 1 sqq. 60) Cf. ibid. 8, 1 sqq.

et tormentorum bellicorum vi; vel tandem per generalem militum equitumque irruptionem. Sic civitas haec vitiorum multis modis impugnata, expugnari tandem potest multis poenitentiae operibus et afflictationibus corporis sensuumque refrenatione, sanctis meditationibus, coelestiumque desideriorum incendiis, divinarum consolationum gustationibus in sanctis orationibus.

Iericho prius cincta fuit obsidione, ad impedienda auxilia; sic et caro ieiunio arctatur.

Sed civitas Iericho obsidione capta fuit et generali totius exercitus irruptione divinoque miraculo. Expugnanda civitas ideo obsidione cingitur et arctatur, ad impedienda auxilia, ne intret in civitatem commeatus, annona militaris, auxiliares copiae, arma et munimenta, quibus validior fiat ad resistendum multoque difficilior ad expugnandum. Sic Dominus dat hodie ieiunii canones; nam, ut ille ait:

« Sine Cerere et Baccho friget Venus ».[61]

Ieiunium ergo veluti obsidio est; abstinentia cibi et potus arctanda caro est ne recalcitret contra spiritum, debilitandum corpus, ut iustitiae serviat, sicut iniquitati servivit.[62]

Iericho munitissima tantum Dei auxilio et miraculo expugnari potuit;

Erat Iericho civitas fortissima; validissimis moenibus munita multoque populo ad bella aptissimo, non sine Dei auxilio capi et expugnari potuit. Hinc iussit Deus, non ut arietibus aliisque bellicis instrumentis impugnaretur, sed tantum septem dierum obsidione, arcae divinae circumductione, tubarum sonitu et totius populi vociferatione; sic enim die septimo, vociferante populo, muri Iericho, operante Deo, funditus corruerunt totaque civitas capta et igne combusta fuit.[63] Civitatem hanc obsident hypocritae ieiuniis, sed non capiunt; impugnant, sed non expugnant, quoniam Deum secum non habent, sine arca sunt, hominibus, non Deo, placere student.

sic et caro nonnisi divino auxilio expugnatur.

Tandem, vociferatione capitur, per quam vehemens desiderium significatur. Sic enim Deus Moysi dixit: *Quid tu clamas ad me?*[64] cum tamen Moyses nihil loqueretur, sed corde tantum populi salutem et Dei gloriam ardenter desideraret. Tunc facillime caro mortificatur, cum cor coelestium desideriorum ardoribus aestuat: *Thesaurizate... vobis thesauros in coelo..., ubi enim thesaurus tuus est, ibi est et cor tuum.*[65]

61) Terentius *Eunuchus*, act. 4, sc. 5, vr. 6: « Sine Cerere et Libero friget Venus ».
62) Cf. Rom 6, 19. 63) Cf. Ios 8, 1-22. 64) Ex 14, 15. 65) Mt 6, 21. Vulg.: *Est thesaurus tuus.*

V. *Cum ieiunatis, nolite fieri, sicut hypocritae, tristes.* Ieiunium sacrificium sanctum est, sed purus mundusque requiritur sacerdos; alioquin non erat gratum Deo sacrificium, nisi et ipsum mundum esset, [66] et a puro mundoque sacerdote [67] offerretur [68] et in loco sancto et mundo. [69] Sic et ieiunium sanctum requirit Deus, sed ex caritate, quae *finis... praecepti est..., ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta.* [70] Non poterat offerri Deo sacrificium extra templum, [71] per quod fides designatur, nec nisi a sacerdote sancto, qui purus est animus, cor mundum, spiritus Deo carus.

Ut ieiunium salutare sit, requiritur animi sanctitas,

Christus igitur in christiano hunc animum requirit purum, mundum, a vitiis omnibus penitus alienum, in operibus bonis non tristem, sed hilarem; hoc enim est: *Unge caput tuum et faciem tuam lava:* [72] haec enim Palaestinis erant signa laetitiae. [73] Paulus autem dicit: *Non ex tristitia aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* [74] Loquitur autem de spirituali laetitia: *Redde mihi laetitiam salutaris tui et spiritu principali confirma me. Auditui meo dabis gaudium et laetitiam et exultabunt ossa humiliata.* [75] Haec autem in gratia Spiritus Sancti consistit, quam in illo *Psalmo* expetebat Regius Vates. Per duo autem haec designatur a Christo, quoniam iustificationis gratia consistit non tantum in remissione peccatorum et emundatione a vitiis, verum etiam in sanctis virtutibus et spiritualibus actionibus, sicut legalis iustitia: *Declina a malo et fac bonum.* [76] Sic Regius Vates aiebat: *Cor mundum crea in me Deus et spiritum rectum innova in visceribus meis.* [77] Sic Dominus animum requirit a vitiis mundum et virtutibus ornatum: fide, spe, caritate aliisque virtutibus; animum requirit, qui passionibus et cupiditatibus suis dominetur; nam ad hoc conditus fuit homo, ut dominaretur *piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae.* [78]

quam spirituale gaudium comitatur,

ortum ex gratia iustificationis, quae consistit in remissione peccatorum et in sanctis virtutibus et actionibus.

Magna est cupiditas honoris et laudis; sed: *Nolite fieri sicut*

66) Cf. Ex 29, 26 sqq.; Lv 24, 5-7; Nm 28, 3 sqq. 67) Cf. Ex 28, 42-43; 29, 1 sqq.; 30, 32; Lv 4, 3; 21, 1 sqq.; Hebr 5, 3; 9, 1 sqq. 68) Ms.: *Offerebatur.* 69) Cf. Ex 29, 31; Lv 6, 25; 7, 1-2; 10, 12-17 14, 13. 70) 1 Tim 1, 5. Vulg.: *De corde puro*, etc. 71) Cf. Dt 16, 5-7. 72) Mt 6, 17. 73) Theophylactus: « Prisci in gaudii signum habebant, oleo ungi post lotionem: et tu quoque sic laetus appare ». *Enarr. in Evang. Matth.*, (P. G. 123, 206); S. Hieronymus: « Iuxta ritum Palaestinae loquitur, ubi diebus festis solent ungere capita ». *Comment. in Matth.*, lib. 1, (P. L. 26, 44). 74) 2 Cor 9, 7. 75) Ps 50, 14. 10. 76) Ps 36, 27 77) Ps 50, 12. 78) Gn 1, 26.

hypocritae. Magna cupiditas auri, sicut [ille] ait:

« Quae non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames? »[79]

Requiritur insuper a Christo animi magnitudo, qua homo filium Dei se agnoscat,

Sed: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi,* etc.[80] Requirit animum nobilem, ut christianus homo filium Dei se agnoscat: Ut *videaris... Patri tuo, qui* videt *in abscondito: et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Filii autem principum regumque, agnoscentes generis sui altam praeclaramque nobilitatem, magno sunt animo instar leonum. Talem animi et spiritus magnitudinem principe dignam Regius Vates a Deo requirebat dicens: *Redde mihi laetitiam salutaris tui et spiritu principali,* sive principatus, *confirma me,* hoc est spiritu filiorum Dei, qui veri sunt principes, fratres et coheredes Christi, sicut filii et heredes Dei.[81] Hanc animi magnitudinem requirit a nobis, dum iubet ut thesaurizemus et recondamus thesauros in coelo. Thesauros autem congregare et recondere, proprium est principum atque regum, sicut Iob ait: *Requiescerem... cum principibus, qui possident aurum et replent domos suas argento.*[82] Sic Dominus requirit a nobis ut animo vere magno terrena omnia, tanquam vilissimas feces elementorum, contemnamus et coelestia tantum appetamus, ut sit animus noster, anima et mens nostra sicut coelestis mulier in *Apocalypsi,* quae, super lunam posita, caput habebat inter stellas:[83] *Thesaurizate... thesauros in coelo.... ubi enim thesaurus tuus est, ibi et cor tuum erit.* Videtis quomodo animum nostrum requirat velitque in coelo! *Divitiae salutis,* inquit Isaias, *sapientia et scientia, timor Domini ipse est thesaurus eius.*[84]

et ita terrena spernat et coelestia tantum appetat,

Paulus apostolus similem animi magnitudinem desiderabat in fidelibus Christi; cupiebat enim ut supra fundamentum Christum aedificarent aurum, argentum, lapides pretiosos,[85] quod summorum principum et regum est. Sic enim Cyrus, magnus Persarum rex, palatium aedificavit ex auro, argento et lapidibus pretiosis, quod inter mundi miracula recensetur.[86] *Thesaurizate... thesauros,* sicut Salomon in Ierusalem tantam collegit auri et argenti copiam, ut argentum fere pro nihilo haberetur;[87] templum Domini

sicut Paulus christianos docebat;

79) Virg. *Aeneides*, lib. 3, vrr. 56-57: « Quid non mortalia », etc. 80) Mt 6, 19. 81) Cf. Rom 8, 17. 82) 3, 15. 83) Cf. 12, 1. 84) 33, 6. 85) Cf. 1 Cor 3, 10-12; Eph 2, 20-22. 86) Cf. C. Iulius Hyginus *Fabularum Liber*, pag. 48. 87) Cf. 2 Par 9, 13-27.

totum ex auro et lapidibus pretiosis aedificavit.[88] *Thesaurizate thesauros*, saltem ut magni mercatores. Pauper de plebe si per hebdomadam lucratus fuerit duos vel tres aureos, nimium laetatur; magnus autem mercator et telonearius vix laetatur si tria millia lucratus fuerit, pro animi magnitudine; nam de millibus millium cogitat, nedum de millibus aut centenis millium. O utinam, fratres, talis in nobis animus reperiretur!

christianus enim magnus thesaurorum coelestium mercator esse debet.

VI. *Nolite fieri sicut hypocritae.* Requirit in animo christiani hominis Christus non tantum externas politicasque virtutes, in morum elegantia honestaque vita consistentes, verum etiam purgatorias, sicut legimus quod *purgabit aream suam*,[89] quod *purgabit filios Levi... sicut aurum et sicut argentum.*[90] Gedeon, dum purgaret triticum, vidit Angelum Domini et factus fuit dux et princeps populi Israel.[91] Requirit non tantum externa opera bona, sed internas virtutes animi. Hinc iussit in *Levitico* ut omne animal, quod in sacrificium offerendum erat, decorticaretur et aperiretur, ut a sacerdote interna sub pelle caro videretur an bona esset. Iussit etiam ut cuiusvis hostiae sanguis effunderetur in terra iuxta altare; adeps autem omnis Deo incenderetur sacro altaris igne.[92] Sanguis, cupiditatum animalium sedes et fomentum, maxime in praecordiis est; adeps autem, quod olei naturam imitatur et liquoribus supernatat, honoris cupiditas est. Haec Deo incendenda in operibus bonis igne caritatis: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam;*[93] *Soli Deo honor et gloria.*[94] Haec vera pietas est; in sacrificiis nanque animalis pectus vel maxime offerebatur Domino.[95]

Ad formationem hominis christiani requiruntur etiam virtutes internae,

Requirit purgatorias virtutes ut, sicut Abraham a carnibus sacrificii nocturnas aves abigebat,[96] sic nos malas cupiditates, ut Deum imitemur, qui *divisit lucem a tenebris*,[96a] et aquas superiores ab inferioribus per interstitium firmamenti,[97] et sicut Iacob divisit oves suas ab ovibus Laban,[98] ita nos bona a malis segregemus.

necnon virtutes purgatoriae

Nec tantum purgatorias virtutes, verum etiam animi purgati,

88) Cf. 3 Rg 6, 20-22; 7, 49 sqq. 89) Lc 3, 17. 90) Mal 3, 3. Vulg.: *Quasi aurum et quasi argentum.* 91) Cf. Idc 6, 11-24. 92) Cf. 1, 6 sqq.; 3, 1 sqq.; 7, 31; 9, 8-20. 93) Ps 113 (Hebr. 115), 1. 94) 1 Tim 1, 17. 95) Cf. Ex 29, 26-28; Lv 7, 30; 8, 29; 9, 21; 10, 14-15; Nm 6, 20; 18, 18. 96) Cf. Gn 15, 9-11. 96a) Ibid. 1, 4. 97) Cf. ibid. vrr. 6-7. 98) Cf. ibid. 30, 40.

et animus a corporalibus cupiditatibus purgatus;

dum vult ut mundana omnia nihili faciamus, sicut Paulus: *Omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam:* [99] quod quidem nonnisi purgati est animi Christum pure amantis et super omnia ardenter desiderantis. Agit autem Christus nobiscum his verbis quod Angelus egit cum Iacob patriarcha : percussit femur illius sinistrum valdeque debilitavit, ita ut nonnisi claudicando posset incedere. [100] Inest viris iustis duplex cupiditas : corporalium et spiritualium bonorum, pro duplici substantia qua constamus. Debilitat Christus cupiditatem corporalium et auget cupiditatem spiritualium, coelestium aeternorumque bonorum. Hoc autem accidit Iacob, postquam luctatus fuit cum Angelo eumque vicit et victoriae palmam reportavit.

et virtutes quidem heroicae, prorsus coelestes, quia nequit homo in coelo simul et in terra thesaurizare ;

Tandem, virtutes etiam postulat heroicas, exemplares, divinas : *Thesaurizate vobis thesauros in coelo.* Voluit Deus ut Hebraei transferrent divitias Aegypti in terram promissionis, [101] et Rachel furata fuit idola patris sui Laban aurea et argentea eaque abscondit, ut illis domum suam ditaret. [102] Sic vult Dominus ut terrenas divitias in coelum transferamus. O qualem alchimiam hic docet Christus, ut ex terra et luto argentum et aurum faciamus, sed incorruptibile, perpetuum, inamissibile, aeternum! *Nolite thesaurizare... thesauros in terra,* sed *in coelo,* nam non potestis utrobique thesaurizare, sicut sequitur : *Nemo potest duobus dominis servire... Non potestis Deo servirè et mammonae,* [103] idest temporalibus divitiis. Horologium, quod pondera habet in solo, operari non potest, nec motus suos agere tempusque mensurare ad imitationem coelestium rotarum; sic qui thesaurizat in terra terrena diligendo, non potest thesaurizare in coelo ; neque enim possumus simul in terram et in coelum oculos defixos tenere. Si terrena desideria mundanaque in coelestia et divina transferamus in coelum, thesauros recondemus.

sed, sicut prudentia dictat et divina iustitia exigit, meliora semper eligere debet.

Prudentem animum requirit a nobis Dominus ut meliora eligamus. Sunt autem coelestes divitiae multo meliores terrenis. Nam illae omnino immarcescibiles sunt et inamissibiles ; haec autem interitui obnoxiae, non solum natura et hominum malitia, verum etiam aliquando divina sic exigente iustitia ; unde per Oseam Dominus

99) Phil 3, 8. 100) Cf. Gn 32, 24-31. 101) Cf. Ex 3, 22 ; 12, 32-38. 102) Cf. Gn 31, 19. 103) Mt 6, 24.

ait: *Ego ... tinea Ephraim et ... putredo,* idest caries et teredo, *domui Iuda.* [104] Sicut enim aliquando lenta quaedam febris ethica rabidaque veluti insensibilis omnes corporis vires consumit et ad nihilum redigit totumque corpus marcidum reddit; ita aliquando immittit Deus domibus et familiis adversitates quasdam et infortunia, quae paulatim divitias omnes consumunt et ad nihilum redigunt.

VII. *Nolite fieri, sicut hypocritae, tristes.* Cum in hodierno Evangelio Dominus hominem christianum constituat – quem paulo ante octo sententiis complexus fuerat, sicut Deus mundum septem diebus condidit: [105] *Beati pauperes spiritu ..., mites ..., qui lugent ..., qui esuriunt ... iustitiam ..., misericordes ..., mundi corde ..., pacifici ...,* et *qui ... patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum,* [106] – requirit ab homine quae hominis ipsius propria et naturalia sunt. Cognitio nanque boni et mali, boni et melioris, virtutis et vitii, non animalium irrationalium, sed hominis propria est; electio etiam, quae cognitionem sequitur, similiter propria est hominis. Prudens autem homo semper acri iudicio eligit meliora. Ambitio etiam bonorum et cupiditas divitiarum an non etiam ipsae naturales sunt homini et propriae? Nullum aliud animal laudes humanas honoresque et dignitates ambit, nullum divitiarum copiam, auri et argenti thesauros.

Cum naturale sit homini bonorum ambitio et divitiarum cupiditas,

Praeter haec vero, fides et spes propriae sunt homini; nullum aliud animal, cum intellectu et ratione careat nec intelligere possit quae dicuntur, vel credere fidemque dictis adhibere potest, vel sperare promissa. Cetera animalia possunt quidem naturaliter cognoscere, desiderare, amare bona sibi necessaria, utilia, conformia, delectabilia, timere etiam et fugere opposita mala, ut manifestum est; credere autem occulta, quae sensibus non pervia sunt, et sperare futura bona non possunt.

quae animalia ratione carentia desiderare nequeunt,

Cum igitur haec homini natura propria sint, haec ab eo requirit Dominus: cognitionem boni et mali, virtutis et vitii, divitiarum terrestrium atque coelestium, bonorum corporalium et spiritualium, praesentium in mundo et futurorum in paradiso; requirit electionem, ut respuat malum et eligat bonum, respuat hypocrisim, superbiam,

ab eo requirit Christus veram boni et mali cognitionem, virtutis et vitii,

104) 5, 12. 105) Cf. Gn 1, 1 sqq. 106) Mt 5, 1-10.

vanam gloriam, et eligat virtutem solidam, veramque, non fictam vitae sanctitatem. Proponit duas fodinas: alteram quidem aurariam et argentariam, alteram vero ferrariam aerariamque; thesauros inquam, terrenos et coelestes, multo meliores ac pretiosiores terrenis, quam sit aurum et argentum ferro et aere sive plumbo.

ut bona coelestia eligat, bona fallacia vero spernat.

Non prohibet Dominus ambitionem et cupiditatem gloriae et divitiarum, sed inanis gloriae et fallacium divitiarum, sicut mercator renuit pecunias adulterinas. An non credimus aut non speramus coelestia, futura aeternaque bona? Thesaurizare nos vult thesauros sanctorum Magorum, qui, *apertis thesauris suis, obtulerunt Domino aurum, thus et myrrham.* [107] Aurum pretiosissimum in oculis Dei est caritas, misericordia in pauperes; thus odoratissimum, sancta oratio; myrrha optima, carnis mortificatio. Hi thesauri placent Christo, haec munera sunt digna Deo, hae sunt coelestes divitiae nunquam interiturae.

Haec est vera prudentia hominis christiani, haec vera animi nobilitas.

Cupit nos hodie Dominus homines prudentes, iuxta illud Pauli ad *Ephesios: Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quae sit voluntas Dei,* [108] utique *voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta,* ut ad *Romanos* ait. [109] Cupit nos homines acri rectoque iudicio praeditos, non praepostero, non vertiginoso, ne simus sicut illi, de quibus Isaias ait quod dicunt *malum bonum... bonum malum, ponentes tenebras in lucem et lucem in tenebras, ponentes amarum in dulce et dulce in amarum.* [110] Homines cupit nos non vitiis maculatos, sed virtutibus praeditos ornatosque. Quis autem est homo qui non cupit probus aestimari et dici, cui non displiceat vitii et improbitatis nota? Hinc qui in carceribus detinentur tanquam rei criminum, nonnisi innocentiam suam praedicant, innocentes volunt haberi; si amissa esset innocentia, in carceribus et triremibus reperiretur. Homines cupit nos, sed vere divites, animo vere nobiles, alto spiritu et magno corde praeditos, ut vilia terrae bona contemnamus, nec nisi coelestia appetamus.

Docet Dominus virtutem viam esse quae ad aeternos honores ducit,

Proverbio dici solet quod multis viis curritur post panem, idest multis laboribus, studiis, artibus homines victum sibi lucrari satagunt studentque, ut patet in omnibus exercitiis artibusque et officiis civitatis. Sed hodie ostendit Dominus quod, ad lucrandum panem vitae aeternae, una tantum est: verae virtutis via. Multis etiam viis

107) Ibid. 2, 11. 108) 5, 17. 109) 12, 2. 110) 5, 20.

curritur post honorem, post laudem, ad nomen famamque acquirendam apud homines et magnam celebritatem. Docet autem Dominus quod sola virtus, modo vera sit, non adulterina, hypocrititia, aeternos acquirit apud Deum et homines honores laudemque perpetuam, ut patet in Sanctis omnibus verisque electis Dei sub utroque Testamento. Virtutis enim summa est apud Deum hominesque potestas, omnia moderatur; magnus aeternusque est virtutis fructus; cultoribus suis uberrimos affert fructus honoris, laudis et voluptatis, *lignum vitae est iis, qui apprehenderint eam.* [111]

sicut patet in Sanctis omnibus.

Vitium autem magna sequitur paupertas, nam terrenos thesauros *aerugo et tinea demolitur furesque effodiunt et furantur.* [112] Manifestum est in illo divite epulone quanta post mortem egestas illum fuerit subsecuta; [113] sic enim in Aegypto, post septem annos magnae abundantiae, venerunt septem anni maximae egestatis et penuriae. [114]

vitium vero ad aeterna opprobria, sicut patet in divite epulone.

Simus igitur, fratres mei, verae virtutis quam studiosi; satagamus ut placeamus Deo summo, optimo, maximo omnium nostrum patri, et beati erimus. Simus semper fide et spe muniti, [115] cogitantes quod *Pater* noster *videt in abscondito;* licet eum nos minime videamus, ipse tamen nos optime videt; nec tantum videt, verum etiam: *Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* [116]

Habemus in hodierno Evangelio, sicut in Lege Dei, duo genera praeceptorum, ut aiunt: affirmativa et negativa, iuxta duas partes legalis iustitiae: *Declina a malo et fac bonum;* [117] nam etiam homini in paradiso datum fuit praeceptum utriusque generis: *De omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientiae boni et mali, ne comedas.* [118] Duo praecepta sunt: *Comede,* et: *Ne comedas.* Sic in hodierno Evangelio: *Nolite fieri sicut hypocritae: Nolite thesaurizare... in terra: Unge caput... faciem lava: Thesaurizate... in coelo.* In paradiso prius datum fuit praeceptum affirmativum, postea negativum; in hodierno Evangelio, sicut et in Decalogo, prius negativa, postea affirmativa, [119] propter statuum diversitatem; nam nunc prius est declinare a malo, tunc autem non sic.

Hodiernum Evangelium docet prius declinandum esse a malo, dein bonum faciendum.

111) Prv 3, 18. 112) Mt 6, 19. Vulg.: *Et ubi fures.* 113) Cf. Lc 16, 19 sqq.
114) Cf. Gn 41, 53. 115) Ms.: *Munitis.* 116) Mt 6, 18. 117) Ps 36, 27.
118) Gn 2, 16-17. Vulg.: *Ex omni ligno.* 119) Cf. Ex 20, 3-17; Dt 5, 6-21.

FERIA QUINTA CINERUM

Cum introisset Iesus Capharnaum, accessit ad eum centurio rogans eum, etc. [1]

Mirabilis vere centurionis fides, quam Christus miratur,

I. Mirabilis centurio, cuius fidem et virtutem eximiam pro magnitudine vere mira Christus Dominus miratus fuit: *Audiens... Iesus miratus est et . . . dixit: . . . Non inveni tantam fidem in Israel.* [2] Non potuit non vere magnum et mirabile esse quod Christus, miraculorum auctor, in centurione miratus fuit. Saepe alias legimus homines Christum miratos ob divina miracula, quae patrabat; [3] erat enim Christus vere ingens et augustissimum miraculum, sicut ab Isaia appellatus fuit: *Vocabitur nomen eius admirabilis,* [4] hebraice *miraculum,* sive *miracula faciens;* et veluti appellationis huius rationem reddens, subiunxit: *Consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis..., et pacis non erit finis.* [5] Ipsumque Christum designavit Angelus ille Domini qui, apparens parentibus Samsonis, dixit se appellari *mirabilem,* sive *miraculum,* [6] qui etiam mirabiliter in flamma ascendit in coelum et ex illorum oculis evanuit, [7] in typum mirabilis ascensionis Christi in coelum.

qui semper mirabilis fuit in omni vita sua.

Semper mirabilis Christus fuit. In conceptione: *Dominus dabit ipse signum: Ecce virgo concipiet et pariet filium;* [8] *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?... Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi... Non erit impossibile apud Deum omne verbum;* [9] mirabilis in nativitate: *Omnes qui audierunt*

1) Pericope huius diei Mt 8, 5-13. Cf. Missale Rom. 2) Ibid. vr. 10. 3) Cf. ibid. 8, 27; 9, 33; 13, 54; 15, 31; Mc 1, 27; 2, 12; 5, 20. 42; 6, 2; Lc 4, 36; 5, 9. 26; 8, 25; 9, 44. 4) 9, 6. 5) Ibid. vr. 7. 6) Cf. Idc 13, 18. 7) Cf. ibid. vr. 20. 8) Is 7, 14. Vulg.: *Dabit Dominus ipse vobis signum.* 9) Lc 1, 34-37.

mirati sunt; [10] mirabilis in praesentatione ad templum: Erant Maria et Ioseph *mirantes super his, quae dicebantur de eo;* [11] mirabilis in templo inter doctores: *Stupebant... qui... audiebant, super prudentia et responsis eius;* [12] semper mirabilis mundo et Angelis, et hominibus: *Porro homines mirati sunt dicentes: Qualis est hic?* [13] *Commota est omnis civitas dicens: Quis est hic?* [14] *Quis est iste rex gloriae?* [15] *Quis est iste, qui venit de Edom?* [16]

Miratur Christus centurionem solum in universa Capharnaum,

II. Hodie autem Christus hic tam mirabilis Angelis et hominibus, in coelo et in terra, centurionem miratur: *Audiens autem Iesus miratus est.* Qui magnam aliquam civitatem provinciae vel regni metropolim ingreditur, multa mirari potest: aedificia, templa, palatia, arces, turres, vias, plateas, columnas, pyramides, arcos, colossos, statuas, moenia civitatis, et situm, divitias et opulentiam, pompas, populi frequentiam, pulcritudinem mulierum, hominum artes, studia, ingenia et id genus multa. Christus autem, Capharnaum civitatem ingressus, nihil miratur nisi centurionem hunc, nihil in ea mirabilius vidit aut invenit; sicut R e g i u s V a t e s in magno et augustissimo mundi huius theatro hominem vehementer mirabatur: *Quoniam videbo,* sive video et contemplor, *coelos tuos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas, quae tu fundasti. Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum.* [17] In hoc mundo visibili nihil invenit mirabilius homine, propter divinam imaginem et similitudinem, qua rebus cunctis natura dominatur multoque superior est, propter quem facta sunt omnia. Sic Christus in civitate Capharnaum solum miratur centurionem.

non ob naturam, neque ob dignitatem aut generis nobilitatem, sed ob solam virtutem,

Sed quidnam, quaeso, miratur in eo? Non naturam humanam, de qua ait: *Nam et ego homo sum,* [18] licet homo vere a sapientibus dictus sit m a g n u m m i r a c u l u m, [19] cum sit mundi compendium et imago Dei; non dignitatem, in qua constitutus erat: *Homo sum,* inquit, *sub potestate constitutus, habens sub me milites.* Erat ibi imperatoris vicarius, romani imperatoris vices gerebat personamque, ut

10) Ibid. 2, 18. 11) Ibid. vr. 33. Vulg.: *De illo.* 12) Ibid. vr. 47. 13) Mt 8, 27. 14) Ibid. 21, 10. Vulg.: *Universa civitas.* 15) Ps 23, 8. 10. 16) Is 63, 1. 17) Ps 8, 4-7. 18) Mt 8, 9. 19) Cf. Mercurius Trism. *Asclepius*, cp. 3, pag. 482; Plato *De Legibus*, lib. 1, t. 2, pag. 645; Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 2, cp. 17, col. 80-82.

ita dicam, repraesentabat; non generis praeclaram nobilitatem, quam tanti facit mundus, et forte civis erat romanus, sed nobilitatis nulla fit hic mentio; non militarem disciplinam, facinora et res fortiter bello gestas; non corporis proceritatem, robustas vires, militarem fortitudinem atque prudentiam, quae in militibus et ducibus maxime laudari solent; solam virtutem in eo Christus miratus fuit atque laudavit: *Audiens... miratus est... Non inveni tantam fidem in Israel. Amen dico vobis quod multi venient ab oriente et occidente et recumbent cum Abraham et Isaac et Iacob in regno coelorum.* [20]

quae eum ex Gentibus primitias Christi fecit et christiani hominis typum.

Magnum plane miraculum homo divina virtute praeditus, vere iustus et sanctus. Homo, quatenus homo, miraculum naturae est; sed quatenus sanctus, miraculum gratiae supra naturam. Centurio hic primus fuit qui ex Gentibus in Christum credidit, primus christianus, exemplar, archetypus hominis christiani. Veluti in imagine ostenditur qualem esse oporteat hominem christianum in centurione hoc, quem Christus tantopere collaudat, cui et regnum coelorum vitamque et gloriam sempiternam cum sanctissimis Patriarchis promittit. Quisquis igitur salutem vitamque perpetuam desiderat, necesse est ut centurioni huic sit quam simillimus.

Fides, quam Christus in centurione miratur, gratia una est, sed virtute multiplex.

III. Unum est quod Christus in centurione miratur et laudat: *Miratus est... Non inveni tantam fidem in Israel.* Quia sicut naturalis hominis una est forma, una rationalis anima, ita etiam hominis christiani una forma est, una fides, una gratia est, virtute tamen multiplex, sicut anima rationalis unica forma naturalis hominis, una licet substantia sit, spiritus indivisibilis, spiritus verissime ἄ-τομος [20a] impartibilis, virtute tamen multiplex est. Nam homo natura et essentia substantia quidem est, at non mere spiritualis, ut Angelus, sed corporalis; corporalis autem, non simplex, ut astra, coelum, elementa, sed composita; composita vero, non homogenea similaribus partibus constans, ut aer, aqua, terra, lapis, metallum, argentum, aurum, sed heterogenea, dissimilaris; sed non inanimis heterogenea, ut minerales, lapides in fodinis; substantia est animata; nec animata tantum et vegetativis viribus praedita, ut plantae, ut arbores, sed substantia sensitiva, ut animal, animal vero perfectum, sensibus omnibus con-

Sicut enim homo naturalis pluribus partibus constat,

20) Mt 8, 11. Vulg.: *Dico autem vobis.* 20a) Ms.: *Athomos.*

stans ; et tandem substantia intellectu et mente angelica praedita ; sic enim homo definitur : animal rationale, mortale.[21] Videtis quot requiruntur ad constituendum hominem naturalem.

sic christianus multis virtutibus.

Sic ad christiani hominis constitutionem multis virtutibus opus est. Hinc Divus Petrus Dei gratiam *multiformem* appellavit : *Unusquisque, prout accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei.*[21*] Sicut igitur una est forma naturalis hominis, una anima, sed cum multiplici virtute et facultate vegetandi, movendi, sentiendi et intelligendi ; idipsum de forma christiani hominis sentiendum.

Fides essentialis est forma hominis christiani,

IV. Fidem laudat Christus, quoniam forma est hominis christiani, sicut Vates Habacuc ait : *Qui fuerit incredulus, non erit recta anima eius in semetipso: iustus autem ex fide*, sive *in fide sua vivet.*[22] Nam, sicut impossibile est vivere corpus sine anima, sic non potest fieri ut homo sine fide vivat Deo. Hinc Paulus ait : *Sine fide... impossibile est placere Deo: accedentem enim ad Deum credere oportet quia est et quia inquirentibus se remunerator sit.*[23] Hoc ipsum est quod ait : *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium,*[24] ostendens quod fides ad salutem necessaria est, sicut domui fundamentum.

sed fides vera, viva, magna, operosa, qualis fuit fides chananitidis et Magdalenae,

At vero non qualencunque fidem commendat Christus, ita ut vitam et regnum coeleste illi promittat ; non laudat fidem fictam, non fidem mortuam, de qua Iacobus apostolus : *Sicut... corpus sine spiritu mortuum est, sic et fides sine operibus mortua est;*[25] non fidem modicam et pusillam : *Modicae fidei, quare dubitasti?*[26] *Quid timidi estis, pusillae fidei?*[27] Laudavit fidem magnam chananitidis : *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis;*[28] laudavit fidem Magdalenae multis operibus et caritate ornatam : *Fides tua te salvam fecit : vade in pace;*[29] sicut laudatur fides Abrahami : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam;*[30] sicut laudatur iustitia Noe nobili encomio : *Noe vir [iustus] atque perfectus... cum Deo ambulavit,*[31] et *invenit gratiam coram Domino.*[32] Sic laudat Christus

Abrahae et Noe ipsiusque centurionis;

21) Cf. S. Ambrosius *De Noe et Arca*, cp. 4, (P. L. 14, 367). 21*) 1 Petr 4, 10. Vulg.: *Sicut accepit.* 22) 2, 4. Vulg. : *Qui incredulus est.* 23) Hebr 11, 6. Vulg. : *Credere enim oportet accedentem*, etc. 24) Ibid. vr. 1. 25) 2, 26. Vulg.: *Ita et fides.* 26) Mt 14, 31. 27) Ibid. 8, 26. 28) Ibid. 15, 28. 29) Lc 7, 50. 30) Gn 15, 6 ; Rom 4, 3. 31) Gn 6, 9. 32) Ibid. vr. 8.

quippe cum fides radix sit et origo omnium virtutum,

fidem centurionis ut magnam: *Non inveni tantam fidem in Israel.* Hinc parem eum facit Patriarchis summis, Abrahamo, Isaac et Iacob, in regno coelorum. Fidem centurionis laudat multis operibus virtutibusque ornatam; nam ipsa virtutum radix est et origo, post Deum, cum et ipsa donum Dei sit.

causa iustificationis, et vitae aeternae,

Sicut autem Deus lucem, quam condidit, laudavit: *Vidit Deus lucem quod esset bona,* [33] ita Christus fidem centurionis commendat. Sicut autem Deus, post creatam lucem, distinxit elementa et universum ornavit, coelum astris, terram plantis et animalibus, mare piscibus, aerem avibus, [34] quae quidem omnia coelestis lucis gratia et beneficio natura procreantur; ita luci huic divinae in Sacris Litteris omnia fere tribuuntur: *Eratis... aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino; ut filii lucis ambulate: fructus enim lucis est in omni iustitia et bonitate et sanctitate.* [35] Sic Paulus ait quod caritas oritur ex *corde puro et conscientia bona et fide non ficta*; [36] sic legimus quod fide purificantur corda; [37] sic Dominus saepe fidei tribuit salutem: *Fides tua te salvam fecit;* [38] *Fides tua te salvum fecit;* [39] ita hodie: *Vade, et, sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.* [40] Sic Paulus [docet] quod *fides... per caritatem operatur,* [41] idest divinam legem servat et implet; sic fidei tribuit iustificationem; [42] sic tandem fidei promittitur vita aeterna: *Beati qui non viderunt et crediderunt;* [43] *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit;* [44] *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam... Qui credit in eum non iudicatur, qui autem non credit iam iudicatus est.* [45]

ideo a Christo summe laudatur et omnibus christianis maxime commendatur.

Sic hodie Christus fidei centurionis regnum coelorum promittit. In eo nanque Christus primitias invenit fidei ecclesiae Gentium. Fructus autem qui primitivos sequuntur, licet posteriores sint tempore, natura tamen et qualitatibus eiusdem sunt generis, eiusdem speciei. Sic fides nostra una eadenque cum fide centurionis: *Unus* enim *Dominus, una fides, unum Baptisma: unus Deus et Pater omnium.* [46] In omnibus hominibus, quatenus naturales sunt, una eadenque secundum speciem est naturalis forma; ita plane et in christianis una fides. Sed sicut

33) Ibid. 1, 4. 34) Cf. ibid. vrr. 6 sqq. 35) Eph 5, 8-9. 36) 1 Tim 1, 5. 37) Cf. Act 15, 9. 38) Mt 9, 22; Mc 5, 34; Lc 7, 50; 8, 48. 39) Mc 10, 52; Lc 18, 42. 40) Mt 18, 13. 41) Gal 5, 6. 42) Cf. Rom 3, 22 sqq.; 4, 5-6; 5, 1-2; Gal 2, 16; Eph 2, 8; Phil 3, 9. 43) Io 20, 29. 44) Mc 16, 16. 45) Io 3, 15-18. 46) Eph 4, 5.

non propterea omnes homines viribus corporis, ingenio, iudicio, intellectu, vivacitate spirituum aequales sunt, ita non omnes christiani pares sunt fidei meritis atque virtutibus.

V. Age nunc, quaeso, videamus quam similes centurioni simus in fidei meritis et operibus. Fidem saepe Paulus *spiritum* appellavit,[47] quoniam ipsa spiritus et anima est hominis theologici, sicut rationalis anima physici. Sic cum dixit: *Littera... occidit,* idest lex vetus, *spiritus autem vivificat,*[48] idest fides; sic cum ait: *Fructus autem spiritus,* idest vivae fidei, *est caritas, gaudium, pax,*[49] etc.; hi sunt fructus fidei, haec opera quae fides *per caritatem operatur.*[50]

Fides veluti anima est christiani, sicut rationalis anima forma est hominis physici;

Fides in centurione multa operata fuit. Nam ex fide ad Christum accessit; cum longe esset, factus est prope,[51] affectu et animo elongatus a mundo, caritate et spiritu ad Christum accessit. Fides enim animam nostram, ut ita dicam, Christo desponsat et tanquam sponsam sponso coniungit: *Desponsabo te mihi in fide.*[52]

haec centurionem Christo appropinquare fecit per caritatem,

Nec tantum accessit, sed *rogans,* adorans, orans; ecce ex fide pietas in Deum atque religio; sicut caecus natus a Christo illuminatus, interrogatus an crederet in Filium Dei, respondit: *Credo, Domine: et procidens adoravit eum.*[53] Sic Magi, cum, stella duce, Christum invenissent, *procidentes adoraverunt eum et, apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera.*[54] Ex fide oritur pietas et religio in Deum.

pietatem,

Nec tantum accessit *rogans,* adorans, verum etiam *dicens; nam corde... creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*[55] Confitetur Christum omnipotentem Dominum universae naturae: *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus et male torquetur... Tantum dic verbo et sanabitur puer meus.*[56] Nam ait: Sicut ego, cum sim in *potestate constitutus, habens sub me milites..., dico huic: vade,*[57] etc.; sic tu, cum sis absolutus naturae Dominus, imperare potes morbo ut abeat, sanitati ut veniat, infirmo ut sanus surgat. Dedit centurioni fides magnum lumen, ut divinam Christi maiestatem agnosceret et suiipsius humilem conditionem: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum.*[58] Sic ex fide oritur magna animi humilitas

publicam Christi divinitatis confessionem,

47) Cf. Rom 2, 29; 8, 2; 2 Cor 4, 13; 11, 4; Gal 3, 2-3. 5; 6, 8; Eph 4, 3. 48) 2 Cor 3, 6. 49) Gal 5, 22. 50) Ibid. vr. 6. 51) Cf. Eph 2, 13. 52) Os 2, 20. Vulg.: *Sponsabo.* 53) Io 9, 38. 54) Mt 2, 11. 55) Rom 10, 10. 56) Mt 8, 6-9. 57) Ibid. vr. 9. 58) Ibid. vr. 8.

magnam suipsius humilitatem.

atque modestia. Sicut etiam in Abraham novimus : *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis.* [59] Sic Iacob patriarcha pronus in terra divinam opem implorabat dicens : *Minor sum, Domine, cunctis miserationibus tuis.* [60] Sic Christus positis genibus Patrem adoravit, [61] quemadmodum et Salomon egit in dedicatione templi. [62] Sic fides centurionem reddidit ex leone agnum humillimum.

erga proximum eximiam caritatem.

Sed quis non videt in eo eximiam caritatem erga proximum ? Pro servo orat et intercedit ac si filius illi fuisset: *Erat* enim *ei pretiosus,* inquit Lucas. [63] Videtis caritatem ! De eo etiam dicunt seniores civitatis : *Diligit . . . gentem nostram et synagogam ipse aedificavit nobis.* [64] Quare fides centurionis videtur mihi sicut aureum candelabrum in sanctuario Domini, quod positus erat inter altare incensi et mensam propositionis; [65] nam altare incensi pietatem in Deum designabat, et mensa panum propositionis caritatem in proximum, cui per opera misericordiae subveniendum est. Sic fides centurionis omnibus erat virtutibus ornata ; sic eam miratus fuit Christus sicut pulcherrimam ornatissimamque mulierem mirari homines solent.

Etiam mirabilior fides centurionis ostenditur, quia in civitate infideli revelatur.

Paulus apostolus fidem dixit *novam creaturam: In Christo . . . Iesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed nova creatura,* [66] idest *fides quae per caritatem operatur,* [67] ut seipsum ipse exposuit ; nova autem mirari homines solent. Licet etiam et ob mysticam aliam rationem hoc ipsum mirari potuit. Siquidem Capharnaum villa consolationis interpretatur regnumque voluptatis designat, in quo non est virtuti locus, [68] et pro miraculo censeri potest si in eo virtus reperiatur, sicut Iob in terra Hus, [69] sicut [70] Noe *in generationibus suis,* [71] sicut Loth in Sodomis. [72] Sic miratus fuit Christus quod in Capharnaum virtutem talem tantamque invenerit, veluti si quis thesaurum in arena reconditum inveniat. Divina providentia factum est ut in hoc mundo nulla sit regio tam

59) Gn 18, 27. 60) Ibid. 32, 10. 61) Cf. Lc 22, 41. 62) 3 Rg 8, 54. 63) 7, 2. Vulg.: *Illi erat pretiosus.* 64) Ibid. vr. 5. 65) Cf. Ex 26, 35-36 ; 40, 22 ; Nm 8, 2-3. 66) Gal 6, 15. 67) Ibid. 5, 6. 68) Cicero : « Nec libidine dominante temperantiae locum esse, neque omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere ». *De Senectute*, t. 4, col. 548. Ovid, : « Virtus est placitis abstinuisse bonis ». *Heroid.*, 17, vr. 98. Philo Iudaeus : « Nullae res adeo pugnant inter se ut virtus et voluptas ». *De Ioseph* seu *De Vita viri civilis*, t. 1, pag. 470. In Seneca etiam habetur pulcherrima antithesis voluptatis et virtutis. *De Vita Beata*, cp. 7, pag. 653-654. 69) Cf. Iob 1, 1-2, 1 sqq. 70) Ms.: *Sic.* 71) Gn 6, 9. 72) Cf. ibid. 19, 1 sqq.

mala, in qua non reperiatur aliquid boni; sicut, contra, nulla tam bona, in qua non possit malum reperiri; nam in paradiso repertus fuit serpens antiquus.[73] Sic non est in mundo tam bona congregatio, in qua non reperiatur aliquis malus: inter Angelos repertus est Lucifer,[74] inter Apostolos, Iudas;[75] sic, e contra, nulla est tam mala congregatio, in qua non reperiatur aliquis bonus, sicut Loth inter Sodomeos, Ioseph inter Aegyptios,[76] Daniel inter Chaldaeos,[77] Rahab inter Chananaeos.[78]

VI. Sed tempus est videamus an fides nostra meritis et virtutibus similis sit fidei centurionis, ut sciamus an nostrae quoque fidei promissum sit regnum coelorum et vita aeterna. Nam haec finis est fidei, ut Petrus ait: *Reportantes finem fidei vestrae salutem animarum vestrarum.*[79] Magnus thesaurus fides est, quo emere iusto pretio possumus a Deo regnum coelorum, coeleste imperium. Sed utinam fratres, non verum sit de nobis quod Moyses de Hebraeis ait: *Generatio... perversa est, et infideles filii,*[80] hebraice: *Non est fides in eis.* Quod Ieremias deplorabat in sua aetate: *Circuite,* inquit, *vias Ierusalem et aspicite et considerate et quaerite in plateis eius, si inveniatis virum facientem iudicium..., quaerentem fidem,*[81] idest ut vivat secundum fidem; sed non invenit in populo, in plebe. Hinc ait ad Deum: *Domine, oculi tui respiciunt fidem: percussisti eos, et non doluerunt: attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam: induraverunt facies suas supra petram et noluerunt reverti.*[82] Tunc ait Vates Divinus, quoniam in plebe quaesierat fidem et in populo, nec invenerat: *Forsitan pauperes sunt et stulti, ignorantes viam Domini, iudicium Dei sui. Ibo igitur ad optimates et loquar eis; ipsi enim cognoverunt viam Domini iudicium Dei sui; et ecce magis hi... confregerunt iugum, ruperunt vincula.*[83] Vivam fidem quaesivit in universo populo et minime invenit, sed tantum in fide mortua confidebant, quibus Vates aiebat: *Nolite confidere in verbis mendacii dicentes: templum Domini, templum Domini, templum Domini est;*[84] sed *bonas facite vias vestras et studia vestra*[85]... *Ecce vos confiditis vobis in sermo-*

Magnus thesaurus est fides, sed rarus valde,

sicut Ieremias in aetate sua lamentabatur;

73) Cf. ibid. 3, 1. 74) Cf. Apc 12, 7. 75) Cf. Mt 10, 4. 26; Mc 3, 19; Lc 6, 16; Io 6, 65. 72. 76) Cf. Gn 39, 1 sqq. 77) Cf. Dn 1, 8 sqq. 78) Cf. Ios 2, 1 sqq.; Hebr 11, 31. 79) 1 Petr 1, 9. 80) Dt 32, 20. 81) 5, 1. Vulg.: *An inveniatis.* 82) Ibid. vr. 3. 83) Ibid. vrr. 4-5. 84) Ibid. 7, 4. 85) Ibid. vr. 3.

et tamen absolute necessaria est ad salutem aeternam.

nibus mendacii, qui nihil proderunt vobis. [86] Sic Iacobus apostolus: *Quid proderit, fratres mei, si quis dicat fidem se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fidem salvare illum ?* [87] Cornu altaris nihil profuit Ioab quo minus occideretur, ibi enim a Salomone iussus fuit occidi. [88] Paulus manifeste dicit: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.* [89]

Vera fides cum caritate et bonis operibus coniungi debet, sicut fides centurionis,

Non talis erat nobilis huius centurionis fides, sed caritate formata, bonis operibus dives, sicut alterius centurionis Cornelii. [90] Si regni coelorum promissionem hodie nobis quoque factam esse volumus, fratres mei, necesse est ut virtutibus moribusque similes simus centurioni huic, cui facta est. Miles hic erat suo principi fidelis: *Homo sum sub potestate constitutus;* civitatem fideliter custodiebat, iuste et prudenter regebat, milites sibi subditos in officio continebat; quae Ioannes Baptista militibus praedicaverat, [91] servabat; neminem laedebat, sed omnes diligebat; stipendiis suis contentus erat et quod supererat ad divinum cultum augendum expendebat; hinc synagogam aedificaverat suis sumptibus. [92]

per fidem enim christianus Christi miles efficitur, cui arma necessaria sunt ad certandum.

Christianus homo miles est Christi. Sic Paulus *Timotheo* scribit: *Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam aeternam,* [93] nam: *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit.* [94] Hinc scribens ad *Ephesios* cuilibet christiano exhibet militaria arma, quae necessaria sunt tum ad defensionem tum ad offensionem: galeam, scutum, loricam, gladium omnemque armaturam. [95] Quilibet nostrum subditus Deo est summo imperatori, positus ad custodiendam civitatem animae et cordis nostri: *Omni custodia serva cor tuum:* [96] centurio habens sub se milites sensuum, passionum, affectionum: *Dominetur piscibus maris,* etc. [97]

Laudatur a Christo fides centurionis, sicut a Deo laudata fuit virtus Patriarcharum

VII. *Audiens autem Iesus miratus est et sequentibus se dixit:... Non inveni tantam fidem in Israel.* Nobili encomio Christus laudat hodie fidem virtutemque centurionis cum admiratione, sicut Deus ab initio lucem laudavit: *Vidit Deus lucem quod esset bona;* [97a] laudavit etiam Deus iustitiam Noe, [98] obedientiam Abrahami, [99] man-

86) Ibid. vr. 8. Vulg.: *Qui non proderunt.* 87) 2, 14. Vulg.: *Si fidem quis dicat... salvare eum.* 88) Cf. 3 Rg 2, 28-34. 89) 1 Cor 13, 2. 90) Cf. Act 10, 1 sqq. 91) Lc 3, 14. 92) Cf. ibid. 7, 2. 93) 1 Tim 6, 12. 94) 2 Tim 2, 5. Vulg.: *Non coronatur.* 95) Cf. 6, 11-17. 96) Prv 4, 23. 97) Gn 1, 26. Vulg.: *Praesit.* 97a) Ibid. vr. 4. 98) Cf. ibid. 7, 1. 99) Cf. ibid. 22, 11-18.

suetudinem Moysi,[100] sanctitatem David,[101] virtutem Christi in Iordane[102] et Thabor.[103] O mundum ter quaterque beatum, si cognosceret quam magnus thesaurus sit virtus, quam utique Dominus thesauro abscondito in agro et pretiosae margaritae comparavit![104]

et ipsius Christi.

Pretium autem et splendor virtutis ex multis dignosci potest in hodierno Evangelio: a subiecto, ab obiecto, a pulcritudine mirabili, a merito, a divinis favoribus, a laudibus, a praemio et tandem ab oppositis. Subiectum centurio est; obiectum, Christus verus Deus; pulcritudo, mirabilis in oculis Christi: *Audiens... miratus est;* laus: *Non inveni tantam fidem;* meritum: *Fiat tibi sicut credidisti;*[105] favor: Quia *sanatus est puer in illa hora;*[106] praemium: Quia *recumbent cum Abraham... in regno coelorum;*[107] ab oppositis: Quia *filii... regni eicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium.*[108] Unde lucet quod virtus homini est summe utilis et summe etiam delectabilis; nam, ut Salomon in *Proverbiis* ait: *Gaudium est iusto facere iustitiam;*[109] et: *Secura mens... iuge convivium.*[110]

Ex multis dignoscitur in hodierno Evangelio pretium et splendor virtutis:

Sicut autem mundus totus plenus est splendore coelestis lucis, ita etiam Sancta Ecclesia, imo etiam paradisus ipse splendore virtutis. Virtutem appellavit Moyses *similitudinem Dei*, cum docuit factum esse hominem *ad imaginem et similitudinem Dei.*[111] Elucet autem splendor et pretium virtutis a subiecto. Sicut enim in auro et argento non ligatur vitrum aut vilis lapis, sed gemma pretiosa, non collocavit Deus veram virtutem, nisi in Angelo coelesti et in animo humano, cuius est divina origo, cuius substantia spiritualis est, angelicae et divinae naturae quam similis. Tabulas divinae legis Moyses Dei iussu in arca tota deaurata, honestissimo loco, in ipso sancto sanctorum collocavit;[112] Angelum, natura nobilissimum, in coelesti paradiso nobilissimo loco; hominem in terrestri paradiso loco amoenissimo ac delitiosissimo.[113]

a subiecto, quod homo tantum aut Angelus esse potest;

Obiectum autem et finis virtutis nonnisi Deus ipse est, qui item auctor ipsius est, sicut auctor lucis et diei. Metaphysica, quae supernaturalis philosophia et naturalis theologia appellari potest, dicta est a philosophis nobilissima scientiarum re-

ab obiecto, quod Deus ipse est;

100) Cf. Nm 12, 3 sqq. 101) Cf. 1 Rg 13, 14; 3 Rg 9, 4; 11, 4; 15, 3-5. 102) Cf. Mt 3, 17; Mc 1, 11; Lc 3, 22. 103) Cf. Mt 17, 5; Mc 9, 6; Lc 9, 35; 2 Petr 1, 17. 104) Cf. Mt 13, 45-46. 105) Ibid. 8, 13. Vulg.: *Sicut credidisti fiat tibi.* 106) Ibid. 107) Ibid. vr. 11. 108) Ibid. vr. 12. 109) 21, 15. Vulg.: *Gaudium iusto est facere iudicium.* 110) Ibid. 15, 15. 111) Gn 1, 26; 5, 2; 9, 6. 112) Cf. Dt 10, 1-5. 113) Cf. Gn 2, 8.

g i n a, [114] quoniam de Deo tractat. Summa autem virtutis in cognitione et amore Dei consistit, in vera erga Deum pietate. Sic enim centurio hodie Christum [115] agnoscit, veneratur, adorat et colit.

ab ipsius virtutis pulcritudine, quae animam Deo simillimam reddit;

Ipsius etiam divina est pulcritudo, mirabilis in oculis Dei. Hanc ob causam legimus quod Noe *invenit gratiam coram Domino* [116], quod Moyses invenit gratiam in oculis Dei, [117] quod Virgo Sanctissima invenit *gratiam apud Deum.* [118] Sicut enim coeli pulcritudo in luce consistit, ita in virtute pulcritudo Angeli, pulcritudo animae. Amissa virtute, Angelus evasit turpissimus daemon ; ita et anima cum virtute pulcherrima est, Deo simillima; cum vitio, turpissima, daemoniis similis. In oculis Dei nihil pulcrius, nihil mirabilius virtute; ideo Christus hodie *miratus est;* nec tantum miratus est sed etiam laudavit.

a laudibus hominum et Dei;

Laudata est hodie virtus centurionis a senioribus Iudaeorum, qui dixerunt Christo : *Dignus est ut hoc illi praestes; diligit enim gentem nostram et synagogam ipse aedificavit nobis;* [119] laudata a Christo : *Non inveni tantam fidem in Israel.* In Sacris Litteris nihil aliud agit Spiritus Sanctus, nisi laudare et commendare virtutem. Prophetae et Apostoli nihil aliud egerunt praedicando legem Dei et Evangelium Christi. Ipse Christus ad hoc venit in mundum : *Ego,* inquit, *ad hoc natus sum et ad hoc veni in mundum ut testimonium perhibeam veritati,* [120] idest virtuti. [121] In iudicio quid aliud aget nisi laudare et coronare virtutem ?

a meritis et favoribus apud Deum;

Deus ipse non tantum verbis, dans legem de coelo, commendavit virtutem, sed multis favoribus eam honoravit. Non enim nisi virtutis ergo honoravit sanctos viros, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, ipsos etiam Angelos in coelo ; nec mundum ipsum creavit aut servat, nisi virtutis gratia. Ipsa etiam apud omnipotentem Deum nihil non potest, nihil non obtinet. *Accessit* hodie centurio ad Christum *rogans... et dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus et male torquetur.* Cui statim Dominus : *Ego veniam et curabo,* inquit, *eum.* [122] O magnum virtutis meritum ! O magnam vim et auctoritatem apud Deum ! *Vade, et, sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.* [123]

Magnum item est praemium. Nam de centurioni similibus vatici-

114) Cf. S. Io. Damascenus *Dialectica*, cp. 2-3, (P. G. 94, 434); Paulus Mannuccius *Apophthegmata*, lib. 3, pag. 195-196. 115) Ms.: *Christus*. 116) Gn 6, 8. 117) Cf. Ex 33, 12. 17. 118) Lc 1, 30. 119) Ibid. 7, 5. 120) Io 18, 37. 121) Ms.: *Virtute*. 122) Mt 8, 7. 123) Ibid. vr. 13.

nans, ait: *Multi venient et recumbent cum Abraham et Isaac et Iacob in regno coelorum.* Sic Deus virtutem aeternis praemiis coronat in coelo; omnes enim sancti et ipsi etiam Angeli nonnisi virtutis gratia aeterna in paradiso felicitate et gloria nunquam interitura donati sunt.

a praemio et corona aeterna;

Tandem ab ipso opposito vitio, suapte natura turpissimo, quod tenebras amat, elucet divinus splendor virtutis, et a punitione vitiorum: *Filii autem regni eicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium.* Aeterna paravit Deus supplicia in poenam vitiorum, praeter temporalia mala quibus mundus peccati causa perpetuo afflictatur. En servus centurionis male tortus. Humana felicitas tota a virtute pendet. Hinc in Sacris Litteris nonnisi virtute praediti *beati* praedicantur.

ab ipso opposito, idest vitio, cui multa temporalia mala et poena aeterna simul parantur.

VIII. Patet autem liquido si in quattuor status humanae naturae oculos coniciamus. Est enim status innocentiae in paradiso, status culpae in mundo, status gratiae in Ecclesia, et status gloriae in coelo. In statu innocentiae homo magna fruebatur voluptate, quandiu integram virtutem servavit; in statu gratiae in Ecclesia magna est fidelium consolatio, qui officiose et secundum virtutem vivunt: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra... Per Christum abundat consolatio nostra;*[124] *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te!*[125] Sic fideles Dei manna de coelo in deserto nutriuntur;[126] sic in sanctuario Dei asservatur perpetuo urna mannae:[127] *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum;*[128] *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit;*[129] *Gaudium est iusto facere iustitiam;* et: *Secura mens quasi iuge convivium.* Qualis autem sit voluptas et felicitas in coelo, nec mente comprehendi potest.

Maximum virtutis bonum clarius patet in statu innocentiae in paradiso terrestri,

in statu gratiae in Ecclesia, in statu gloriae in coelo;

Solum in statu culpae reperitur adversitas et omne infelicitatis genus: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum,* quoniam *erit tanquam lignum... plantatum... secus decursus aquarum... omnia quaecunque faciet... prosperabuntur.*[130] Sed *non sic impii, non sic: sed tanquam pulvis, quem proicit ventus.*[131] Licet secus vi-

dum, e contra, in statu culpae summa reperitur infelicitas,

124) 2 Cor 1, 3-5. 125) Ps 30, 20. 126) Cf. Ex 16, 13 sqq. 127) Cf. ibid. vrr. 32 sqq.; Hebr 9, 4. 128) Ps 118, 165. 129) Prv 12, 21. 130) Ps 1, 1-3. 131) Ibid. vr. 4.

licet aliquando terrenis bonis cumulatus,

deatur esse, est mundanus homo, etiam prospera fortuna et secundis ventis navigans, instar pavonis natura pulcherrime picturati; sed tamen saepe infelicem vocem emittit, quasi eiulando; caput habet parvum et pedes deformes, caudam tantum habet magnam pulcramque. Ita plane est homo, qui gloriatur in divitiis et gloria mundi huius, virtute animi destitutus: parvum habet caput, nullius valoris est, deformes pedes affectuum; hinc emittit infelices voces ex animo perturbato et mala perversaque conscientia.

sicut servus centurionis paralyticus iacens, licet curis omnibus circumdatus.

Regitur vita nostra sicut mare a luna: ad lunae mutationes varias, mare etiam variis mutatur modis. Animus virtute destitutus, est sicut servus centurionis: iacebat, quiescere videbatur in domo opulenta, erat enim centurio dives, hinc Iudaeis synagogam aedificaverat; diligebatur a centurione sicut filius: *Erat* enim *illi pretiosus*, inquit L u c a s.[131a] Sed tamen nec domini amor, nec domus opulenta, nec cubiculum ornatum, nec lectus mollis, nec diligens servitus militum quicquan proderant ad eum consolandum: *Iacet... paralyticus et male torquetur.*

Item plurimum virtus a Deo laudatur

IX. Magna est etiam virtutis laus ab auctore; nam virtutis auctor Deus est, sicut sol diei et claritatis: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum.*[132] Magna ab exemplari, quoniam exemplar virtutis omnis Christus est verus Deus et verus homo: *Conformes fieri imagini Filii sui.*[133] Magna a dilectione Dei erga virtutem; hinc ab aeterno praeparavit virtuti aeterna praemia rutilantesque coronas. Et ipse etiam seipsum quodam modo honorare voluit titulo virtutis; hinc in Sacris Litteris *sanctus,*[134] *iustus,*[135] *misericors,*[136] *pius,*[137] *patiens,*[138] *Deus pacis et dilectionis,*[139] *caritas*[140] etiam appellatur. Magna est ab operibus et facinoribus factis in favorem virtutis ab aeterno praedestinatae atque praevisae vel praeordinatae in sanctis suis; nam ait: *Ab aeterno ordinata sum et ex antiquis, antequam terra fieret.*[141] Omnia enim operatus est Deus

131a) 7, 2. 132) Iac 1, 17. 133) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis.* 134) Cf. Ios 24, 19; Ps 98, 9; 144, 13; Eccli 46, 6; 48, 2; Is 5, 16. 135) Cf. Ex 9, 27; 2 Par 12, 6; 2 Esr 9, 8. 33. 136) Cf. Ex 34, 6; Dt 4, 31; 2 Esr 9, 17; Ps 85, 15; 102, 8. 137) Cf. 2 Par 30, 9; Idt 7, 20; Eccli 2, 13; Apc 15, 4. 138) Cf. Ex 34, 6; Nm 14, 18; Idt 8, 14; Ps 7, 12; Eccli 5, 4; 18, 9. 139) 2 Cor 13, 11. 140) 1 Io 4, 8. 16. 141) Prv 8, 23.

ad utilitatem, voluptatem, honorem et gloriam virtutis; propterea mundum creavit, conservat et regit, aeternis providentiae suae legibus omnia moderans; propterea Ecclesiam aedificavit in terra et paradisum in coelo; propterea Unigenitum suum misit in mundum ad percipiendos vineae fructus;[142] et ad hoc ipsum misit etiam Spiritum Sanctum in Ecclesiam Christi. Tantus est etiam virtutis splendor, ut etiam mali homines eius nomine et titulo gaudeant: *Speciem quidem pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes.*[143] Sic multi, licet lupi rapaces sint, ovillis tamen pellibus se contegunt;[144] sic etiam satanas aliquando in lucis Angelum se transfigurat.[145]

et remuneratur in hoc mundo et in coelo.

X. Magna virtutis est laus ab effectibus; multos enim hominum sola virtus evexit ad summos honorum gradus, ad summam gloriam apud Deum et homines in ipso hoc etiam saeculo. Patet manifeste in Patriarchis, in Prophetis, in Apostolis multisque aliis sanctis, quorum virtus ad hunc usque diem movet hominum corda ad amorem et devotionem erga ipsos, linguas ad laudes eorum celebrandas, animos ad reverentiam et honorem, manus ad opera pro ipsorum gloria: hinc templa, altaria, statuae, imagines sacrae in honorem Sanctorum. Reperitur centurio, homo virtute mirabili praeditus, in civitate Capharnaum, non servus, sed liber, sed princeps et honoratus, laudatus, amatus, metuitus etiam et obtemperatus. Sic virtus honori omnibus est et amori, rebus omnibus dominatur.

Apud homines quoque magna est virtutis laus et potestas.

Virtus hodie in Evangelio ostenditur via salutis, vitae et gloriae sempiternae; nec tantum hoc, verum etiam quae nos Deo gratissimos efficit. Si qua persona te regi tuo summe gratificaret et summae existimationis te apud illum efficeret, ita ut te rex in publico consessù multis laudibus ornaret et te illi gratissimum summeque carum significaret, quantum deberes personae illi? Multum per omnem modum. Sed virtus est quae nos apud summum Regem gratificat. Patet hodie in Christo cum centurione.

Denique virtus est quae nos Deo maxime gratos efficit.

142) Cf. Mt 21, 34.
143) 2 Tim 3, 5. Vulg.: *Habentes speciem quidem*, etc.
144) Cf. Mt 7, 15.
145) Cf. 2 Cor 11, 14.

FERIA SEXTA CINERUM

Audistis quia dictum est antiquis : Diliges proximum tuum et odio habebis inimicum. [1]

Datur hodie a Christo lex perfectae caritatis,

I. Dat hodie Christus legem perfectae caritatis cupiens ut simus *perfecti et integri in nullo deficientes,* [2] ut Iacobus ait; [3] et Paulus item monet super omnia caritatem habendam, quoniam *vinculum perfectionis* est, et ut *pax Christi exultet in cordibus* nostris. [4] Dat legem perfectae caritatis, quoniam *plenitudo... legis est dilectio,* [5] quia *finis... praecepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta,* [6] quoniam in praeceptis dilectionis *universa lex pendet et Prophetae,* [7] quoniam caritas signum est electorum Dei. Apud Ezechielem et in *Apocalypsi* legimus signatos esse electos Dei divino charactere in frontibus: [8] impios etiam omnes signatos esse charactere satanae docet Ioannes in suis *Revelationibus.* [9] Nam in more positum est ut diversi greges diversorum dominorum, [10] ut facile dignoscantur, diversis characteribus sint insigniti.

quae signum est electorum eius.

Hodie Christus, *princeps pastorum* [11] et *pastor bonus, qui animam suam* dedit *pro ovibus suis,* [12] distinguit atque secernit oves suas ab ovibus satanae, sicut Iacob oves suas divisit ab ovibus et gregibus Laban. [13] Hinc ait : *Si... diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne et ethnici hoc faciunt?* [14]

1) Pericope huius diei Mt 5, 43-6, 1-4. Cf. Missale Rom. Sic legitur in Missali Rom. iussu S. Pii V edito (a. 1570) et a Clemente VIII recognito (a. 1604); in posteriore autem iussu Urbani VIII recognito, vox « antiquis » expunta fuit. 2) Iac 1, 4.
3) In ms. invenitur: *Ut Paulus ait, qui item alibi monet,* etc. Evidenter S. Auctori lapsus calami occurrit, quem nos modo proposito reparare putavimus: *Ut Iacobus ait; et Paulus item monet,* etc. 4) Col 3, 14-15. 5) Rom 13, 10. 6) 1 Tim 1, 5. 7) Mt 22, 4.
8) Cf. Ez 9, 4-6; Apc 7, 4 sqq. 9) Cf. 13, 16; 14, 9; 16, 2; 19, 20. 10) Ms.: *Dominum.*
11) 1 Petr 5, 4. 12) Io 10, 11. 13) Cf. Gn 30, 40-42. 14) Mt 5, 46-47.

Et : *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritae faciunt.* [15] Sic fideles suos segregat ab ethnicis, a publicanis, ab hypocritis. Nam ethnici fide Christi et Dei carent; publicani iustitia et bonitate, nam fideles cum sint, male tamen viventes, peccatores sunt; hypocritae autem, licet moribus et vita iusti videantur, caritate tamen et vero Dei spiritu destituti sunt.

Tria in electis suis Christus requirit: fidem, iustitiam et caritatem, quae et D. Paulus docet.

II. Quare in electis suis Christus tria haec requirit: fidem, iustitiam et caritatem veramque sanctitatem; quare haec signum praecipuum est electorum Christi, insigne militum ipsius, qui sub vexillo ipsius contra satanam militant. Electum populum Deus signatum voluit signo circumcisionis. [16] Paulus docet nos Spiritu Sancto esse signatos; sic enim ait, scribens ad *Corinthios : Unxit nos Deus . . . et signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris;* [17] et ad *Ephesios: Credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hereditatis nostrae;* [18] et iterum : *Nolite contristare Spiritum Sanctum . . . in quo signati estis in die redemptionis.* [19] Circumcisionem autem ad *Romanos* dixit signum fuisse iustitiae fidei [20]; qui etiam dicit esse circumcisionem cordis in spiritu, qua homo, non in manifesto, sed in abscondito Iudaeus [est]. [21] Et ad *Colossenses* ait nos circumcisos esse *circumcisione non manufacta . . ., in circumcisione Christi.* [22] Fides ergo viva, caritas vera signum est hominis vere christiani. Hinc ubi legimus: *Ordinavit in me caritatem,* hebraice est : *Vexillum eius super me caritas.* [23] Hinc item ait : *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* [24]

Manifestissimis verbis ipse Christus caritatem dixit singulare discipulorum suorum insigne.

Et manifestissimis verbis docuit Christus hoc esse singulare christianorum insigne : *In hoc cognoscent homines quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem.* [25] Caritas vera non solum Deum diligit super omnia, ex toto corde, verum etiam proximum; nec solum amicum, verum etiam inimicum. Nam inimicum diligere etiam naturali lege tenemur : *Quaecunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis: haec est enim lex et Prophetae.* [26] Homo naturaliter vult ab omnibus diligi et beneficiis affici, cum in necessitate positus

15) Ibid. 6, 2. 16) Cf. Gn 17, 9-14. 17) 2 Cor 1, 21-22. 18) 1, 13-14.
19) Ibid. 4, 30. 20) Cf. 4, 11. 21) Cf. 2, 28-29. 22) 2, 11. 23) Ct 2, 4.
24) Ibid. 8, 6. 25) Io 13, 35. Vulg.: *Cognoscent omnes quia discipuli mei estis,* etc.
26) Mt 7, 12.

ope aliena opus habet. Si igitur displicet tibi ut inimicus tuus te odio prosequatur et persequatur, maledictis et iniuriis te afficiat, ne tu in eo iniqua haec officia praestes; alioquin non Christi ovis eris, sed satanae; non Christi miles, sed diaboli satelles; nam omnes, qui inimicos oderunt et persequuntur, diaboli satellites, ministri, vindices et carnifices sunt.

Caritas via salutis est, cum radix et fundamentum sit omnium virtutum,

III. Caritas supra modum necessaria est ad salutem, quoniam via salutis est: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro,* ait Paulus;[27] scala coeli est per quam solam perveniri potest ad vitam; *lignum vitae est,* sicut Salomon de sapientia dixit,[28] cuius radix fides, truncus spes, rami virtutes et dona Spiritus Sancti, fructus diligere, orare, benefacere: *Fructus autem spiritus,* idest gratiae Dei et verae caritatis, *est caritas,* idest amor, dilectio, *gaudium, pax, patientia,*[29] etc. Summe necessaria est, sicut domui fundamentum et arbori radix. Hinc Paulus ait: Ut *in caritate radicati et fundati..., possitis comprehendere cum omnibus sanctis quae sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum.*[30]

quia sine caritate nulla virtus prodesse potest;

Hinc Paulus ad *Corinthios* multus est ad ostendendam necessitatem caritatis: *Si linguis,* inquit, *hominum loquar et Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam et noverim mysteria omnia et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*[31] Sine caritate, inquit, virtus omnis, omnia opera bona, ipsum etiam martyrium propter fidem Christi, nihil prosunt, sicut omnia corporis membra ad vitam nihil valent sine anima, sicut omnia astra coeli sine sole.

sola autem caritas omnes virtutes amplectitur;

Caritas autem virtutes omnes secum habet, sicut rationalis anima omnes potentias et facultates vegetantis et sentientis animae: *Caritas patiens est, benigna est: caritas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, con-*

27) 1 Cor 12, 31. 28) Prv 3, 18. 29) Gal 5, 22. 30) Eph 3, 17-18.
31) 1 Cor 13, 1-3.

gaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.[32] Mors est omnium vitiorum, vita autem virtutum omnium, maxima virtutum omnium est corona, regina virtutum: *Nunc autem manent fides, spes, caritas: tria haec; maior autem horum est caritas.*[33] Ideo ait idem Paulus: *Super omnia... caritatem habete, quod est vinculum perfectionis*;[34] et Petrus: *Ante omnia autem caritatem mutuam in vobismetipsis continuam habentes, quia caritas operit multitudinem peccatorum*;[35] et Christus: *Hoc est primum et maximum mandatum*[36] in Lege, *primum et maximum*, omnia continens, sicut coelum supremum. Hinc sapienter ait legisperitus ille: *Diligere proximum* suum *sicut seipsum maius est omnibus holocautomatibus et sacrificiis.*[37]

ideo omnibus praeponitur.

Necessaria summopere caritas est, quoniam Deus, cum totus caritas, nonnisi caritatem praecipit, sicut sol, cum totus sit lux, nonnisi lucem emittit, et ignis, totus calor, calorem exhibet. Deus ignis est, sol est, lux est: *Deus caritas est.*[38] Hinc: *Finis praecepti est caritas;*[39] hinc: *Plenitudo legis est dilectio;*[40] hinc: *Qui proximum diligit legem implevit.*[41] Scopus est divinae praedestinationis et electionis: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati coram ipso in caritate.*[42] Semper cum Spiritu Sancto est, sicut lux diurna cum sole: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis;*[43] cuius Deus non tantum auctor et finis, verum etiam exemplar; hoc enim est: *Deus caritas est.* Hoc est quod hodie ait: *Estote... perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est.*[44] Haec nos filios Dei facit; hinc ait: *Diligite inimicos vestros... ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est.*[45] Sic etiam apud Lucam legimus: *Diligite inimicos vestros... et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est.*[46]

Maxime necessaria caritas est, quia hanc primo Deus praecipit;

Necessaria caritas est, quoniam haec sola nos Deo caros gratosque facit et vita aeterna dignos; haec nos Deo similes reddit, sicut calor ignis, ferrum ignitum reddens, igni quam similem facit. Ignis Deus est, sed etiam divina lex *ignis* dicitur: *In dextera eius ignea lex.*[47]

haec sola nos Deo caros et similes efficit.

32) Ibid. vrr. 4-7. 33) Ibid. vr. 13. 34) Col 3, 14. 35) 1 Petr 4, 8. Vulg.: *Mutuam in vobimetipsis caritatem*, etc. 36) Mt 22, 38. Vox *primum*, quae in antiquis editionibus Vulgatae invenitur, ab A. Grammatica in nova edit. Bib. S. expuncta fuit.
37) Mc 12, 33. Vulg.: *Tanquam*, loco: *Sicut.* 38) 1 Io 4, 8. 16. 39) 1 Tim 1, 5.
40) Rom 13, 10. 41) Ibid. vr. 8. Vulg.: *Diligit proximum*, etc. 42) Eph 1, 4. Vulg.: *In conspectu eius in caritate.* 43) Rom 5, 5. 44) Mt 5, 48. 45) Ibid. vrr. 44-45.
46) 6, 35. 47) Dt 33, 2.

Quoniam Deus hominem condidit *ad imaginem et similitudinem suam,* [48] ipsum sibi semper similem cupit, semper videre in eo *imaginem et similitudinem suam,* idest gratiam et caritatem, qua Deo similis efficitur anima nostra, sicut luna soli, cum lumine plena est. Peccatum autem et iniquitas, diaboli imago et similitudo est. Qui caritate praediti sunt, Deo sunt similes, Dei filii sunt; qui autem caritate destituti sunt, satanae similes, satanae filii sunt: *Vos ex patre diabolo estis et desideria patris vestri vultis facere: ille homicida erat a principio;* [49] *Qui* autem *odit fratrem suum homicida est;* [50] *Omnis* autem *homicida non habet hereditatem in regno Christi et Dei.* [51]

dum peccatum similes diabolo reddit.

IV. Est caritas spiritualis et invisibilis Spiritui Sancto et Deo similis, qui spiritus est; non potest facile cognosci. Hinc naturali via nemo scire potest an sit in caritate constitutus, nisi per divinam revelationem: Nemo scit *odio an amore dignus sit.* [52] Ex humanis autem coniecturis *gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae.* [53] Caritas in Sacris Litteris *aurum* appellatur: *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias, et vestimentis albis induaris.* [54] Hinc totum auro splendebat intrinsecus Dei templum, [55] quia Deus quem in habitationem eligit et in templum sanctum sibi consecrat, auro intrinsecus divinae caritatis exornat.

Nemo cognoscit an in caritate constitutus sit, nisi per divinam revelationem.

Sed non omne quod splendet aurum est, ut proverbio dicitur; [56] est aurum verum, est et chymicum, adulterinum; hinc ad lapidem lydium, ad incudem etiam sub malleo et in ardenti fornace probatur aurum. Sic Deus tentavit Abraham, [57] tentavit Iob, [58] David, [59] Tobiam, [60] Danielem, [61] tres hebraeos adolescentes, [62] ut illorum virtutem tanquam aurum in fornace probaret. Quod autem ad lydium lapidem purum aurum minime reperitur, sed aurichalcum, licet aurum splendore videatur, proculdubio adulterinum est aurum. Inimicus lapis

Vera caritas Deum diligit et proximum, ipsum quoque inimicum, quia sic Deus praecipit;

48) Gn 1, 26-27. 49) Io 8, 44. Vulg.: *Ab initio,* loco: *A principio.* 50) 1 Io 3, 15
51) Eph 5, 5. 52) Eccli 9, 1. Vulg.: *Amore an odio.* 53) 2 Cor 1, 12.
54) Apc 3, 18. 55) Cf. 3 Rg 6, 20-22; 2 Par 3, 4-9. 56) Proverbium italicum, de quo cf. *Vocabolario della Crusca,* sub voce: *Oro,* notum tamen etiam antiquis, ut videri potest in Alano de Insulis *Lib. Parabolarum,* cp. 3, dist. 1:

« Non teneas aurum totum quod splendet ut aurum,
Nec pulcrum pomum quodlibet esse bonum ».

(P. L. 210, 585-586). 57) Cf. Gn 22, 1 sqq. 58) Cf. Iob 1, 12-2, 6 sqq.
59) Cf. Ps 16, 3; 138, 1. 23-24. 60) Cf. Tob 1, 12; 12, 13. 61) Cf. Dn 6, 16 sqq.; 14, 27 sqq. 62) Cf. ibid. 3, 13 sqq.

est lydius. Qui inimicum non diligit, veram caritatem non habet, licet sibi videatur Deum vere diligere et proximum suum. Nam possumus naturali caritate diligere Deum et proximos omnesque amicos nostros; inimicos autem nonnisi supernaturali caritate, quae divinitus infusa est *cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*

Qui enim non diligit Deum super omnia, ex toto corde, sed aliquid diligit vel contra voluntatem Dei vel supra Deum vel aeque ac Deum ipsum, hic veram caritatem non habet. Deus enim, ut summum et infinitum bonum, super omnia diligendus est, omnium maxime faciendus; qui autem non diligit Deum plusquam seipsum, non diligit Deum super omnia. Homo nanque suapte natura seipsum maxime diligit, et alia bona quaeque, divitias, voluptates, honorem, uxorem, filios, affines, coniunctos, propter seipsum diligit, quia voluptatem ex illis capit; et naturali quidem dilectione nihil in mundo magis diligit quam seipsum. Si vere Deum diligit supra seipsum et supra omne quod naturaliter maxime diligit, tunc manifestum est quod vera et supernaturali caritate diligit Deum. Sic nanque probata fuit caritas Abrahami erga Deum, quia, cum naturali amore unicum filium suum Isaac maxime diligeret, tamen, ut Deo morem gereret, illum Deo sacrificare, ut iussus fuerat, non recusavit.

cum enim Deus super omnia diligendus sit,

An vero homo Deum vere supra seipsum diligat, cognoscere minime potest, nisi propter Deum patiatur et aequo ac libenti animo ferat quae natura maxime horret et abominatur. Hinc Deus difficilia saepe praecipit, ut Abrahamo circumcisionem suiipsius et filiorum suorum;[63] Moysi ut serpentem horribilem manu tolleret, quem natura maxime horrebat; nam mox ut serpentem illum Moyses vidit fugam arripuit; sed tamen, iubente Deo, accepit illum a cauda et nihil ei nocuit,[64] imo in manu sua virga admodum utilis serpens ille evasit, quae serpentes magorum Pharaonis perdidit ac devoravit.[65] Sic nunc christianis praecipit inimicorum dilectionem.

etiam cum difficilia praecipit et aspera, ei obtemperandum est.

Difficile videtur praeceptum, asperum, arduum valde; libellus ille aeterni Evangelii videtur, qui ab Angelo datus fuit Ioanni ut illum devoraret; quod cum egisset Ioannes, dulcedinem simul et amaritudinem expertus fuit.[66] Diligere proximum amicum, dulce est; sed

Quantumvis difficile videatur praeceptum inimicos diligendi,

63) Cf. Gn 17, 9-27. 64) Cf. Ex 4, 3-4. 65) Cf. ibid. 7, 8-12. 66) Cf. Apc 10, 9-10.

non est tamen impossibile,

inimicum diligere, amarum valde, sicut aquae Mara, [67] sicut pulmentum prophetarum, qui erant cum Eliseo, quod cum gustassent, clamare coeperunt: *Mors* est *in olla.* [68] Sed tamen, cum praeceptum Dei sit, impossibile esse non potest: *Quia non est impossibile apud Deum omne verbum.* [69]

quia Deus impossibilia non iubet;

Difficile admodum fuit quod praecepit Noe, ut fabricaret arcam tantae molis et magnitudinis et ut in eam induceret omne genus animalium et avium. [70] Cogitare potuisset Noe: ubinam ego inveniam elephantes, leones, ursos, tigres, pantheras, unicornes, rhinocerotes et alia id genus animalia? ubi aquilas, accipitres, milvos, ciconias et tot avium genera? Sed nihil veritus fuit. Deus ipse omnia animalium et avium genera adduxit in arcam. Difficile fuit quod Moysi mandavit, ut Rubrum mare divideret, [71] ut de petra flumina aquarum educeret, [72] ut populum ex aegyptiaca captivitate durissimaque servitute et tyrannide liberaret; [72a] sed quoniam Deus secum erat, omnia facillime praestitit. Sic Deus iubet ut fiat et facit quod iubet.

Iussum fuit Ezechieli ab Angelo Domini ut surgeret de terra et staret super pedes suos: Et statim, inquit, *spiritus... statuit me super pedes meos.* [73] Per eundem praecipit Dominus: *Facite vobis cor novum et spiritum novum:* [74] et postea ait: *Auferam* a vobis *cor lapideum... et dabo vobis cor carneum, et ponam spiritum meum in medio vestri: dabo vobis cor novum et spiritum novum.* [75]

praeceptum autem hoc est legis naturalis, mosaicae et evangelicae.

Praeceptum Domini est ut inimicos diligamus, et praeceptum triplicis legis: naturalis, mosaicae et evangelicae. Nam Dei legem tribus vicibus scriptam novimus: primo quidem, a Deo in primis tabulis divinitus inventis atque dolatis lapidibus; [76] secundo vero, in lapidibus a Moyse dolatis, sed in his quoque lex divinitus scripta fuit; [77] tertio, a Iosue, transmisso Iordane, in lapidibus altaris quadratis atque perfectis. [78] Sic triplex est Dei lex: naturalis, mosaica, et evangelica, sicut tres partes divini sanctuarii et templi: atrium, sanctum et sanctum sanctorum.

V. Praeceptum autem hoc non solum evangelicae legis est, verum etiam mosaicae et naturalis, quod non tantum Stephanus servavit,

67) Cf. Ex 15, 23. 68) 4 Rg 4, 40. 69) Lc 1, 37. 70) Cf. Gn 6, 14-22. 71) Cf. Ex 14, 16-28. 72) Cf. ibid. 17, 5-6. 72a) Cf. ibid. 3, 7-10. 73) 2, 2. Vulg.: *Supra.* 74) Ibid. 18, 31. 75) Ibid. 36, 26-27. Vulg.: *Spiritum meum ponam,* etc. 76) Cf. Ex 24, 12 sqq. 77) Cf. ibid. 34, 1 sqq. 78) Cf. Ios 8, 32.

sub Evangelio, cum esset plenus *fide et Spiritu Sancto, plenus gratia et fortitudine,*[79] verum etiam David, sub lege mosaica, ante Evangelium, et Ioseph, sub lege naturali, ante legem mosaicam, cum tamen homines essent similes nobis, filii Adam, eiusdem naturae nobiscum, ut Ambrosius dicit libro *de Ioseph Patriarcha:* « Cognoscamus, inquit, sanctos non naturae praestantioris fuisse, sed observationis; nec vitia nescisse, sed emendasse ».[80] Sic Hieronymus ait Dominum « non impossibilia praecipere, sed perfecta ».[81] Cupit enim nos Deo quam similes; hinc ait: *Estote perfecti, sicut et Pater vester... perfectus est;* et: *Ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est.* Filios dicit etiam perfectos imitatores, sicut etiam Paulus ait: *Imitatores Dei estote, sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis.*[82]

Sub lege naturali observatum fuit a Ioseph patriarcha, sub lege mosaica a David rege.

Requirebat caritatem Deus perfectamque legis divinae observationem; sed multo maiorem Christus a nobis; ait enim: *Nisi abundaverit iustitia vestra plusquam scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum.*[83] Templum Salomonis multo maius fuit tabernaculo Moysi; sic maior Ecclesia Christi synagoga. Altare holocaustorum, super quod ignis sacer ardebat qui de coelo descenderat, multo maius erat in templo, quam in tabernaculo; siquidem in tabernaculo quinque cubitorum erat,[84] in templo autem, viginti cubitorum.[85] Sic maius cor, maiorem a nobis Christus caritatem erga Deum et proximum requirit. Vult ut cor nostrum sit instar arcae Testamenti, in qua ambae tabulae Divina Legis integrae asservabantur.[86] Per Isaiam Dominus ait: *Populus meus, lex mea in corde eorum;*[87] sic Regius Vates: *In corde meo abscondi eloquia tua;*[88] sic Virgo *conservabat omnia verba* Dei, *conferens in corde suo;*[89] sic per Psalmistam Christus ait: *Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui et legem tuam in medio cordis mei.*[90] Requirit a nobis Christus caritatem illam, de qua Salomon ait: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio: lampades eius lampades ignis atque flammarum. Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem, nec flu-*

Lex autem evangelica, perfectior cum sit naturali et mosaica, maiorem sanctitatem requirit,

et perfectiorem caritatem.

79) Act 6, 5. 8. 80) Cp. 1, (P. L. 14, 643). 81) *Comment. in Matth.*, lib. 1, ibid. 26, 41. 82) Eph 5, 1-2. Vulg.: *Estote... imitatores Dei*, etc. 83) Mt 5, 20. 84) Cf. Ex 38, 1-8. 85) Cf. 2 Par 4, 1. 86) Cf. Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; 2 Par 5, 10; Hebr 9, 4. 87) 51, 7. 88) Ps 118, 11. 89) Lc 2, 19. 90) Ps 39, 9.

mina obruent eam. Si dederit homo omnem substantiam suam pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. [91] O ignem divinum, vere ἄσβεστον, [91a] inextinguibilem, sicut ignis coelestis et divinus!

Coeleste regnum cupientibus praeceptum hoc durum esse non potest, cui infinita merces promittitur.

VI. Et quidem, fratres, si vere, si ex animo, si ardenter coelestem gloriam cuperemus Deique gratiam et amicitiam pro dignitate magnifaceremus, praeceptum hoc nec asperum nec durum aut grave nobis videretur. Nam Iacob patriarchae, quoniam ardentissime Rachelem adamabat, pauci visi sunt dies servitutis septem annorum pro ea in uxorem consequenda. [92] Dura quidem et laboriosa valde erat illa servitus, sed Iacob levis videbatur. Si sciremus quidnam sit! Erit merces vestra magna; [93] et: *Eritis filii Altissimi;* [94] *Ut sitis filii* Dei, *qui solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos,* [95] idest qui optimus maximus est, infinitae bonitatis et omnipotens est. Sed tanti facimus mundana, ut divina nihili faciamus.

Christiani de stirpe Cain esse non debent, qui fratrem suum oderat,

sed de progenie Abel, qui Deum super omnia diligebat.

Fratres mei, qui odit inimicum suum, fratrem suum odit; qui fratrem suum odit, hic de stirpe Cain maledicti est, qui primus fratrem suum odit [96], quoniam *ex maligno erat,* [97] partes satanae, non Dei, sequebatur; terrena bona maximi faciebat; hinc dicebatur *Cain,* quod est possessio, acquisitio; totus mundanus, totus terrenus erat, civitatem sibi in terra aedificavit. [98] Abel autem mundana nihili pendebat; hinc dicebatur *Abel,* quod est vanitas; nam a Spiritu Sancto edoctus erat, ut mundana omnia tanquam inanissimam vanitatem contemneret; quoniam vere, ut Ecclesiastes sapientissime dixit: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas . . . Vidi cuncta, quae fiunt sub sole, et ecce omnia vanitas et afflictio spiritus.* [99] Sed heu! occisus fuit Abel a Caino, contemptus mundi a cupiditate; solus Cain remansit in mundo, *cupiditas,* quae *radix* est *omnium malorum.* [100] Hinc mundani omnes, qui inimicos suos odio prosequuntur et persequuntur, de stirpe Cain sunt, cives mundi huius sunt, ex maligno sunt, satanae partes sequuntur contra Christum, non Christi partes contra satanam; cum satana esse elegerunt potius et volunt, quam cum Christo, cum Deo, quam filii Dei esse et fratres Christi.

91) Ct 8, 6-7. Vulg.: *Obruent illam... substantiam domus suae,* etc. 91a) Ms.: *Asbeston.*
92) Cf. Gn 29, 14-30. 93) Cf. ibid. 15, 1; Mt 5, 12; Lc 6, 23. 35. 94) Lc 6, 35.
95) Mt 5, 45. 96) Cf. Gn 4, 5-8. 97) 1 Io 3, 12. 98) Cf. Gn 4, 17.
99) 1, 2. 14. Vulg.: *Universa vanitas,* etc. 100) 1 Tim 6, 10.

Praeceptum diligendi inimicos quamvis asperum videatur,

VII. *Diliges proximum tuum et odio habebis inimicum tuum.* Sicut a sole nonnisi lux, ab igne calor, a claro fonte aqua pura, sic a Deo, qui totus bonitas, sanctitas et caritas est, nonnisi lex bona, sancta, caritate et spiritu Dei plena. Bona lex naturae, sancta lex Moysi, caritate plena lex evangelica. Iubet ut Deum, ut nos ipsos, ut proximos nostros diligamus ; lex dulcissima, sicut liber devoratus ab Ezechiele, [101] et alter devoratus a Ioanne, [102] in ore dulcis fuit sicut mel. Quid enim dulcius amore ? Una cum tabulis legis asservabatur urna mannae, [103] quoniam : *Pax multa diligentibus legem tuam ;* [104] *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo !* [105] *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum et dulciora super mel et favum.* [106] Sed amara videtur in eo quod praecipit : Dilige inimicos. Lex evangelica alioquin dulcissima ; nam quid dulcius, quid suavius animo et cordi nostro amare ? *Plenitudo autem legis est dilectio.* [107] Diligere autem inimicum amarum videtur, aquae sunt amarissimae Mara in deserto ; sed ubi vera est caritas, etiam hoc dulce est. Infirmus, qui vere sanitatem desiderat, laeto etiam vultu aspicit, imo desiderat medicum, licet det ille amaras potiones, licet ferro igneque utatur cum eo, quoniam haec utilia sibi sunt. Si vere ex animo Deum, imo si vere nos ipsos diligeremus, non videretur asperum et difficile inimicum diligere, quoniam inimicus homini utilis est ad aeternam salutem consequendam sicut utilis ignis auro, lima ferro, malleus lapidi, baculus frumento in area.

dulcissimum tamen est et utilissimum.

Amor et odium homini naturalia sunt;

Sed si tantopere placet inimicos odisse, age : *Dictum est antiquis : Diliges proximum tuum et odio habebis inimicum tuum.* Amor et odium necessaria sunt ad conservationem salutis ; hinc non solum homini, verum etiam animalibus dedit Deus vires concupiscibiles et irascibiles ; ira nanque instar militis armati est ad custodiam et tutelam ducis et domini sui. Praecepit Deus Hebraeis ut tanquam fratres se invicem diligerent,[108] Chananaeos odio haberent, ne conversarentur cum eis, ne foedera, amicitias, matrimonia cum eis inirent, sed persequerentur, perderent, destruerent penitus de terra. [109] Haec autem odii sunt opera et effectus. Sic ait : *Odio habebis inimicum*

101) Cf. Ez 3, 3. 102) Cf. Apc 10, 10. 103) Cf. Ex 16, 33-34. 104) Ps 118, 165.
105) Ibid. vr. 103. 106) Ps 18, 11. 107) Rom 13, 10. 108) Cf. Lv 19, 17-18.
109) Cf. Ex 34, 11-16 ; Dt 7, 1-5 ; 20, 16-18.

Ideo odisse praecipimur spirituales inimicos.

tuum, utique legalem ; et Christus etiam odium praecipit : Qui *non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.* [110] Veri autem inimici nostri sunt daemones, mundus, caro, saecularia et carnalia desideria, *quae militant adversus animam.* [111] Homo ipse sibipsi inimicus est, et quidem maximus, nam : *Qui . . . diligit iniquitatem, odit animam suam.* [112] « Nemo vere laeditur, nisi a seipso. » [112a]

Adhuc perfectior ostenditur lex evangelica lege mosaica.

VIII. *Audistis quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum et odio habebis inimicum tuum,* etc. Ostenditur in hodierno Evangelio perfectio legis evangelicae supra legem mosaicam. Sicut enim est multo maior lux solis in die, quam lunae lumen in nocte, ita multo maior est perfectio legis evangelicae a sole iustitiae, [113] Christo, cuius facies sicut sol resplenduit, [114] quam fuerit perfectio legis Moysi, cuius facies e divino consortio tanquam luna splendebat. [115] *Nox praecessit, dies autem appropinquavit,* ait Paulus [116], comparans statum legis mosaicae ad statum Evangelii Christi. Regius Vates assignat conditiones legis divinae, dicens : *Lex Domini immaculata, convertens animas; testimonium Domini fidele sapientiam praestans parvulis.* [117]

Lex publica clara et facilis esse debet ;

Dantur leges iustae et sanctae, utiles reipublicae, sapienter [118] conditae ad extirpanda vitia et scandala malosque mores qui sunt in perniciem reipublicae, ad plantandas virtutes servandosque bonos mores pro publica pace et tranquillitate et felicitate populi, et ad docendos populos quae agenda aut fugienda sint, ut inculpate et sancte vivatur. Hinc hebraice lex dicitur תּוֹרָה, a radice יָרָה, [119] quasi doctrina. Necesse est autem, quoniam popularis doctrina est, ut sit plana, facilis, clara ; alioquin a multitudine nec intelligi nec servari poterit.

has conditiones lex evangelica continet.

Quoad has omnes conditiones perfecta est lex evangelica : *Lex Domini immaculata convertens animas,* hebraice : *Perfecta, tranquillans animam ;* perfecta est ad quietandam mentem : *Tollite iugum meum super vos,* [120] *. . . et invenietis requiem animabus vestris ;* [121] quietat intellectum clara veritate, quia *sapientiam praestans parvulis,* quia

110) Lc 14, 26. 111) 1 Petr 2, 11. 112) Ps 10, 6. 112a) Titulus libelli S. Io. Chrysostomi, (P. G. 52, 450). 113) Cf. Mal 4, 2. 114) Cf. Mt 17, 2. 115) Cf. Ex 34, 29 sqq. 116) Rom 13, 12. 117) Ps 18 (hebr. 19), 8. 118) Ms.: *Sapiente.* 119) Ms. : *Thorah* et *Iarah.* 120) Ms.: *Me.* 121) Mt 11, 29.

praeceptum Domini lucidum, purum, *illuminans oculos*[122] mentis; quietat conscientiam puritate sanctitatis et iustitiae: *Iustitiae Domini rectae laetificantes corda . . ., iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa.*[123] Vera, iusta pariter: vera quoad intellectum, iusta quoad voluntatem, utilia reipublicae: *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum et dulciora super mel et favum: etenim servus tuus custodit ea*, illuminatur in eis, *in custodiendis illis retributio multa*,[124] consequitur tum honorem et gloriam tum etiam magnam utilitatem ex divinarum legum custodia.

His autem omnibus conditionibus aliam addit: *Timor Domini sanctus*, castus, purus: ἅγιος – pro quo legisse videtur Interpres ἁγνός, *sanctus*,[124a] – *permanet in saeculum saeculi*;[125] lex iusta et sancta, reipublicae utilis, in perpetuum servanda promulgatur. Lex igitur doctrina est, sed vera, nullum ut contineat intolerabilem errorem; sancta, extirpans vitia, plantans virtutem; clara et facilis, ut ab omnibus observetur; utilis reipublicae, formidabilis malis, desiderabilis bonis, ac tandem perpetuo servanda. Illud: *Testimonium Domini fidele*, idem est ac verum, fide dignum.

Insuper necesse est ut sit iusta, perpetua, a quovis errore immunis et utilis reipublicae;

Talis est undequaque lex evangelica. Quoad fidem, quoad intellectum doctrinam continet summe veram, claram, apertam, doctrinam coelesti sapientia plenam, in qua nullus vel minimus reperitur error contra veritatem, quoniam auctor ipsius Christus est, virtus et sapientia Dei,[126] *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae*[127] Dei. Doctrina pura, nullam penitus admittens impuritatem vitiorum: *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio;*[128] *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo;*[129] *De omni verbo otioso, quod locuti*,[130] etc. Doctrina sancta quoad virtutes omnes, non solum politicas, exteriores, verum etiam interiores animi purgati et exemplares. Docet non solum externam iustitiam in oculis Domini, verum etiam internam in oculis Dei: *Diligite, benefacite, orate.* Dirigit etiam intentionem animi, ne fiant opera bona pro vana gloria et hominum laude captanda, sed recta in Deum mente et intentione. Divinae autem legis huius custodia affert hominibus internam, aeternam

talis est lex evangelica, summe vera, quia divina,

summe sancta quoad omnes virtutes, et ad veram felicitatem conducens.

122) Ps 18 (hebr. 19), 9. 123) Ibid. vrr. 9-10. 124) Ibid. vrr. 11-12. 124a) Cf. L. Van Ess *Vetus Test.*, h. l. 125) Ps 18, 10. Vulg.: *Permanens.* 126) Cf. 1 Cor 1, 24. 127) Col 2, 3. 128) Mt 5, 22. 129) Ibid. vr. 28. 130) Ibid. 12, 36. Vulg.: *Omne verbum otiosum*, etc.

felicitatem: *Lex Domini perfecta, quietans animam; Invenietis requiem animabus vestris; Ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est;*[131] *Si autem filii, et heredes.*[132]

Lex mosaica vera erat, sed obscura et imperfecta;

IX. Lex Moysi vera quidem erat, sed obscura, sed imperfecta, quoniam Moyses *paedagogus noster fuit in Christo,*[133] prima tantum tradidit fidei et sacrae theologiae elementa; fuit immaculata, pura, sed tamen permittebat libellum repudii,[134] usuram alienigenis,[135] odium contra legales inimicos.[136] Fuit sancta, sed tamen externa docebat opera sanctitatis, non internas virtutes; promittebat servatoribus suis felicitatem, sed temporalem, mundanam in terra, non aeternam, divinam in coelo;[137] fuit tamen magna gratia Dei, quia docuit tum cognitionem tum cultum veri Dei.

evangelica autem purissima et perfectissima est, a legislatore, qui est Christus,

Sed Evangelium gratia Dei est multo maior. Hinc Ioannes ait: *De plenitudine eius nos omnes accepimus et gratiam pro gratia, quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est.*[138] Legem evangelicam Ioannes *gratiam et veritatem* dicit, alludens ad illud quod dixerat: *Vita erat lux hominum,*[139] veritatem refert ad lucem, gratiam ad vitam; nam, ut Paulus ait, *gratia... Dei... vita aeterna.*[140] Christum docet auctorem legis huius, cuius maiestatem iam demonstraverat; nam legislatoris oportet summam esse auctoritatem, magnam prudentiam ac sapientiam, ac tandem optimam voluntatem, iustitiam, sanctitatem, ut leges condat optimas, iustissimas sanctissimasque.

et a fine, qui est hominem a vitiis purgare, virtutibus exornare et aeterna beatitudine donare.

Lex data est ad hominem purgandum ab ignorantia et vitiis, illuminandum cognitione Dei, suiipsius, boni et mali, perficiendum sanctis virtutibus optimisque moribus, et tandem ad eum felicitate perpetua et aeterna beatitudine donandum. Sic hodiernum Evangelium purgat hominem ab erroribus; illuminat cognitione veritatis, ostendens *quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta;*[141] perficit caritatem, quae *est vinculum perfectionis,*[142] et viam ostendit perveniendi ad aeternam beatitudinem: *Ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est.*

131) Ibid. 5, 45. 132) Rom 8, 17. 133) Gal 3, 24. 134) Cf. Dt 24, 1-3. 135) Cf. ibid. 23, 19-20. 136) Cf. ibid. 7, 2; 23, 6. 137) Cf. ibid. 6, 1-8, 1 sqq. 138) 1, 16-17. 139) Ibid. vr. 4. 140) Rom 6, 23. 141) Ibid. 12, 2. 142) Col 3, 41.

Quoniam prima lux imperfectum agebat diem, creavit Deus solem, qui diem perfectum agit; sic, quoniam Lex neminem ad perfectum [statum] adduxit, dedit Deus legem evangelicam summe perfectam. Divinam hanc legem caritatis servarunt homines similes nobis, Apostoli et Martyres sub Evangelio, David, Prophetae sub lege Moysi, Patriarchae sub lege naturae. Cur eam servare nos non poterimus cum gratia et auxilio Spiritus Sancti, Christi et Dei? Praecepta Dei impossibilia non sunt, sed perfecta. Distinguit et separat hodie Christus fideles suos ab ethnicis et publicanis, quoniam illi sine fide sunt, hi autem sine iustitia et splendore virtutis. Verus christianus fidem habet et iustitiam, audit verbum Dei et custodit,[143] gratiam Christi principis et Domini sui super omnia facit, iram ipsius metuit, salutem aeternam super omnia sperat atque desiderat. Si credis, homo, vere in Christum, si vere salutem tuam desideras, necesse est ut obedias Christo, ut divinam ipsius legem serves, mandata exequaris.

Lex evangelica impossibilia non iubet, sed perfecta, ideo observanda est.

ALIA HOMILIA

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros..., ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est, etc.[1]

I. Ostenditur nobis in hodierno Evangelio igneus currus, quo Elias, verus Dei servus, raptus fuit in coelum.[2] Etiam Ezechiel vidit Deum venientem de coelo in curru igneo, qui quattuor igneis animalibus trahebatur, quorum unumquodque quattuor facies et alas habebat.[3] Deus igneo curru de coelo venit in terram, et homo igneo curru de terra ascendit in coelum. Currus hominis similis est currui Dei; caritas Deum duxit de coelo in terram: *Sic Deus dilexit mundum;*[4] *Propter nimiam caritatem suam;*[5] et caritas hominem ducit de terra in coelum. Sic per eandem scalam vidit Iacob Angelos descendentes de coelo in terram et ascendentes de terra in coelum.[6] Etiam Evangelium in Sacris Litteris *currus Dei* appellatur; nam ubi in *Psalmo* legimus: *Intende, prospere pro-*

De caritate agit hodiernum Evangelium,

quae per currum igneum Eliae et scalam Iacob figuratur.

143) Cf. Lc 11, 28.

1) Mt 5, 44-45. 2) Cf. 4 Rg 2, 11. 3) Cf. Ez 1, 4 sqq; 10, 1 sqq. 4) Io 3, 16. 5) Eph 2, 4. 6) Cf. Gn 28, 12-13.

cede et regna, propter veritatem et mansuetudinem et iustitiam,[7] hebraice est: *Curru inequita super verbum veritatis et mansuetudinis et iustitiae. Verbum* est *veritatis* Evangelium propter fidem, *verbum mansuetudinis* propter caritatem et *verbum iustitiae* propter vitae sanctitatem et gratiam iustificantem animas. Moyses autem dixit: *In dextera eius ignea lex... diligit* Dominus *populos.*[8] Per *ignem* in Sacris Litteris caritas designatur: *Ignem veni mittere in terram;*[9] *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*[10] Sed Spiritus Sanctus in igne datus fuit.[11]

Caritas necessaria est ad salutem,

Ad ascendendum in coelum necessarius est hic igneus currus, necessaria evangelicae legis observatio: *Si... vis ad vitam ingredi, serva mandata.*[12] Etiam in libro *Iudicum* legimus quod Angelus Domini in flamma ignis ascendit in coelum.[13] Caritas ad salutem adeo necessaria est, ut doceat Paulus sine caritate nec fidem, nec bona opera, nec ipsum etiam martyrium prodesse ad vitam aeternam consequendam.[14]

sed caritas supernaturalis, inimicos quoque amplexans;

Quoniam vero sicut reperitur aurum non tantum verum, sed etiam adulterinum, quare ad discernendum verum aurum malleo, incude, fornace opus est; sic, quoniam datur etiam caritas naturalis, quae similis est caritati supernaturali, nec tamen vera est caritas, licet vere diligere videamur Deum et proximum, ponit Deus aurum hoc in igne, praecipiens ut inimicos diligamus. Sicut probare volens veram pietatem Abrahami, iussit rem profecto valde difficilem, ut unicum et dilectissimum filium iugularet et sacrificaret Deo;[15] sic ad probandam veram caritatem nostram erga ipsum, iubet ut ipsius gratia inimicos nostros diligamus.

dilectione enim inimicorum vera caritas demonstratur.

Asperum videtur durumque et valde grave praeceptum, sicut quod Moysi datum fuit ut serpentem manu sumeret;[16] sed tamen necessarium est ad probationem verae caritatis; qui enim inimicum non diligit, caritatem profecto veram non habet: non vivit ergo in statu salutis et gratiae Dei. Cupit Christus ut simus Deo similes, non satanae, qui homicida est a principio:[17] *Qui* autem *odit fratrem suum*

7) 44 (hebr. 45), 5. 8) Dt 33, 2-3. Ex hebraico. 9) Lc 12, 19. 10) Rom 5, 5. 11) Cf. Act 2, 1-4. 12) Mt 19, 17. 13) Cf. 13, 20. 14) Cf. 1 Cor 13, 1-3. 15) Cf. Gn 22, 1-12. 16) Cf. Ex 4, 2-4. 17) Cf. Io 8, 44.

homicida est; [18] omnis autem homicida *non habet hereditatem in regno Christi et Dei;* [19] *Qui non diligit manet in morte* [20].

Haec nos Deo caros reddit, qui saepius in igne se ostendit;

II. Deus summopere delectatus videtur igne. In sacris theophaniis *ignis* appellatur; [21] Spiritum Sanctum misit in igneis flammis; super altare suum semper voluit ardere ignem, sed qui de coelo descendit. [22] Hominem conditum appellavit איש, [23] quasi i g n e m. Quoniam ipse totus est ignis caritatis: *Deus caritas est,* [24] ideo tales nos requirit; propterea dat Christus praeceptum perfectae caritatis, ut simus Deo similes: *Estote... perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est.* [25] Ignis divinus est caritas; hinc ait: *Deus... ignis... est,* [26] quoniam *Deus caritas est.* Dicitur autem a S a l o m o n e caritas *ignis asbestinus,* inextinguibilis: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio: lampades eius lampades ignis atque flammarum. Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent eam* [27]. Ignis magnus est, potens consumere omnia: *Si dederit homo omnem substantiam suam pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* [28] Hinc *ignem Dei* appellat, idest ignem maximum, sicut *mons Dei,* [29] *cedri Dei.* [30] Loquitur S a l o m o n de caritate in nobis; nam ait: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio, carbones ignis flammae Dei.* [31] Sunt, inquit, carbones huius ignis sicut lapis ferrei coloris in montibus Arcadiae, qui semel accensus, amplius extingui non potest. [32] Sic et P a u l u s ait: *Quis... nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?... Certus sum* quia nulla creatura *poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro.* [33]

caritas autem in S. Scriptura ignis appellatur

et quidem inexstinguilis et maximus.

III. Manifestum est quod caritas Dei erga nos ignis est inextinguibilis: *Solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit supra*

18) 1 Io 3, 15. 19) Eph 5, 5. 20) 1 Io 3, 14. 21) Cf. Ex 24, 17; Dt 4, 24; Is 29, 6. 22) Cf. Ex 30, 7-9; Lv 6, 12-13; 9, 24; 10, 1-2. 23) Cf. Gn 2, 23. Ms.: *Isc.* 24) 1 Io 4, 8. 16. 25) Mt 5, 48. 26) Dt 4, 24. 27) Ct 8, 6-7. 28) Ibid. Vulg.: *Substantiam domus suae,* etc. 29) Ps 67, 16. 30) Ps 79, 11. 31) Ct 8, 6. Hebraice: *Flammae Dei,* idest *vehementissimae.* 32) Cf. S. Augustinus *De Civitate Dei,* lib. 21, cp. 7, (P. L. 41, 718-719); S. Isidorus Hisp. *Etymol.,* lib. 14, cp 4, ibid. 82, 507; Iul. Solinus *Polystor,* pag. 40. 33) Rom 8, 35-38.

Caritas Dei erga nos vere ignis inextinguibilis est;

iustos et iniustos,[34] *super ingratos et malos.*[34a] Quot peccata singulis diebus committuntur contra Deum, singulis horis, singulis momentis! An putatis Deum haec ignorare, nescire, non sentire, qui tantopere sensit unum peccatum Angelorum in coelo, unum peccatum hominum in terra? An putas, homo, Deum inanimem, insensatum esse instar ligni aut lapidis? caecum ut non videat, surdum ut non audiat, cum ubique sit? Novit etiam intima cordium cogitationes: *Scrutans, probans corda et renes Deus.*[35] Et tamen non sumit vindictam, non infert iram: *Patiens est* et *patienter expectat*[36] ad poenitentiam. Nec tantum patiens et longanimis, verum etiam bonus, beneficus, non cessat divinae providentiae suae beneficia in malos et ingratos conferre. O *divitias bonitatis... et patientiae et longanimitatis*[37] Dei! *Solem suum oriri facit super bonos et malos.*

sic et caritas Christi, quae suo igne Stephanum et Paulum incendit,

Nec tantum in Deo caritas ignis est inextinguibilis, verum etiam in Christo, qui ut homo oravit in cruce: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*[38] Patet in Stephano, qui, cum lapidaretur, *positis... genibus, clamavit voce magna dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum.*[39] Patet in Paulo, qui, a Iudaeis quinquies quadragenis una minus acceptis,[40] cupiebat tamen anathema esse a Christo pro ipsis[41], suspendi pro eis tanquam donarium aliquod in templo, sacrari Deo caput ipsius, ut placaretur Deus ipsis Iudaeis,[42] sicut olim existimabant Gentes placari deos humanis sacrificiis; optabat ut Christus omnem iram suam expleret in eum, modo salvarentur Hebraei. Sic Moyses, pro salute populi multa passus, orabat: *Aut dele me de libro tuo quem scripsisti, aut dimitte populo hanc noxam.*[43] Patet in David erga Saulem[44] et Absalonem,[45] in Ioseph erga fratres suos,[46] in Iacob erga Esau.[47]

sicut et patriarchas ante Evangelium.

Vera caritas in tribulationibus gaudet,

Sic vera caritas ignis est inextinguibilis, sicut ignis in fornace, qui aquarum aspergiminibus non extinguitur, sed magis accenditur. Efficit caritas ut homo, verus christianus, corporalibus persecutionibus laetetur, potius quam tristetur; sicut civitas obsessa ab inimico potente, laetatur in adventu novi praesidii et subsidii missi a

34) Mt 5, 45. 34a) Lc 6, 35. 35) Ps 7, 10. 36) Idt 8, 14; Eccli 18, 9; 2 Mach 6, 14. 37) Rom 2, 4. 38) Lc 23, 34. Vulg.: *Dimitte illis; non enim sciunt*, etc. 39) Act 7, 60. 40) Cf. 2 Cor 11, 24. 41) Cf. Rom 9, 3. 42) Cf. ibid. 11, 14; 1 Cor 9, 22-23; 10, 33. 43) Ex 32, 31-32. Vulg.: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut... dele me*, etc. 44) Cf. 2 Rg 1, 17 sqq. 45) Cf. ibid. 18, 33. 46) Cf. Gn 44, 1-45, 1 sqq. 47) Cf. ibid. 32, 1-33, 1 sqq.

rege in sui auxilium et favorem contra inimicum. Spiritus noster veluti obsessus a carne est, graviter impugnatur diu noctuque; persecutiones autem affligunt carnem et in favorem spiritus sunt; laetatur spiritus in persecutionibus, quoniam nullum est certius aut evidentius signum salutis nostrae, quam in mundo hoc bene agere et mala pati. Cum enim nullum bonum relinquatur a Deo irremuneratum, si non bonis temporalibus remuneratur virtus in hoc mundo, remunerabitur aeternis in coelo. Gaudet sciens quod persecutiones et tribulationes cum patientia gemmae sunt pretiosissimae ac summi valoris in coelo. Hinc Christus nonnisi his ornatus abire voluit ex hoc mundo, nonnisi haec elegit.

quia mercedem aeternam sperat,

Vel, si non laetatur, aequo fert animo caritas, quoniam certam firmamque et vivam praesupponit divinae providentiae fidem, sine qua nec folium arboris movetur; accipit omnia de manu Dei sicut Iob: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?* [48] *Dominus dedit, Dominus abstulit... sit nomen Domini benedictum.* [49] Peccata nostra multo semper peiora merentur; ad delenda autem peccata necessaria poenitentia est. Immittit Deus tribulationes ad delenda peccata nostra, sicut egit cum David in persecutione Absalom, utique in poenam patrati adulterii et homicidii; [50] vel, si non in poenam peccatorum, saltem in probationem virtutis et augmentum meriti, sicut patet in Abraham, in Iob, in Daniele, in Baptista. *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis,* ait Iacobus apostolus, *scientes quod* tribulatio *patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet,* [51] virum perfectum ostendit, sicut fornax aurum. *Gloriamur in tribulationibus,* inquit Paulus, *quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris.* [52] Hoc ergo signum verae caritatis; nam alias per Oseam ait: *Misericordia vestra sicut nubes matutina et quasi ros mane pertransiens;* [53] est sicut modicum terrae super petras, ubi herba, exorto sole, ad aestum arescit et fructum non affert semen.

vel saltem patienter sustinet, Dei voluntati se penitus submittens,

quia tribulationibus peccata purgantur et virtutes probantur.

48) Iob 2, 10. Vulg.: *De manu Dei.* 49) Ibid. 1, 21. 50) Cf. 2 Rg 11, 1-12, 1 sqq.; 16, 11-12. 51) 1, 1-4. 52) Rom 5, 3. 5. 53) 6, 4. Vulg.: *Quasi nubes matutina,* etc.

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMAE

Ductus est Iesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo; et, cum ieiunasset, etc. [1]

Proponitur Christus vitae christianae divinum exemplar.

I. Proponitur nobis in hodierno Evangelio perfectum divinumque exemplar vitae christianae numeris omnibus absolutum. Sicut enim Moyses iussus a Deo ut in medio populi sanctuarium Domini, divinum utique habitaculum, construeret, a Deo totius operis exemplar accepit: [2] *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est:* [3] et sicut David dedit Salomoni totius templi aedificandi descriptionem, quam coelitus a Deo acceperat, ut iuxta illam aedificaret templum illud augustissimum; [4] ita nunc totius vitae christianae datur perfectum exemplar, quo perfectius reperiri non potest.

Deus exemplar est omnium virtutum,

Aliquando in Sacris Litteris Deus ipse virtutum exemplar proponitur: *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester;* [5] *Estote . . . perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est;* [6] *Estote . . . misericordes, sicut Pater vester misericors est;* [7] *Imitatores Dei estote, sicut filii carissimi.* [8] Et perfectum quidem exemplar est, absque ullo errore aut mendo vel minimo: *Quoniam Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae:* [9] *sol iustitiae* [10] est, solus Deus sine peccato. [11] Angeli peccare potuerunt et cum satana multi peccarunt; cauda namque sua infernalis draco traxit in terram tertiam partem stellarum. [12] Homo etiam, licet innocens, purus et sanctus, Deo similis, absque ulla macula conditus fuerit, [13] diabolo suggerente et instigante, peccavit. [14] Deus autem omnino peccare non potest, sicut nec sol obscuritatem aut ignis frigus pati quoquo modo potest.

qui solus sine peccato, sed nec peccare potest.

1) Pericope huius diei Mt 4, 1-11. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Ex 25, 1-39. 3) Ibid. vr. 40. 4) Cf. 1 Par 28, 11 sqq. 5) Lv 19, 2. 6) Mt 5, 48. 7) Lc 6, 36. 8) Eph 5, 1. Vulg.: *Estote ergo imitatores Dei.* 9) 1 Io 1, 5. 10) Mal 4, 2. 11) Cf. 1 Io 3, 5. 12) Cf. Apc 12, 3 sqq. 13) Cf. Gn 1, 27; 2, 7. 21 sqq. 14) Cf. ibid. 3, 1 sqq.

At vero, *Deum nemo vidit unquam;* [15] *sed nec videre potest, lucem enim habitat inaccessibilem:* [16] *Non videbit me homo et vivet;* [17] *Vere tu es Deus absconditus;* [18] *Posuit tenebras latibulum suum;* [19] *Stat post parietem... respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* [20]

Exemplar necesse est ut sit manifestum et clarum.

Exemplar autem necesse est ut oculis pateat, ut manifestum et clarum sit. Si architectus construendi aedificii pulcherrimam ideam et exemplar, quod mente formavit, intra se teneat, nec fabricatoribus, manualibus et mechanicis manifestet, quomodo unquam construetur nobile aedificium?

Talis est Christus Homo-Deus.

II. En Christus, exemplar omnino perfectum, absque ullo errore, quoniam Deus est; exemplar clarum et manifestum, quoniam homo est, quem indice Ioannes demonstravit dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* [21] Sic proposuit seipsum exemplar virtutum: *Exemplum... dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci..., ita et vos faciatis.* [22] Sic Petrus ait: *Christus passus est... vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius: qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius.* [23]

Homo ad imaginem Dei conditus fuit, ut esset mundi dominus.

Et forte hac de causa, vel principe quidem loco, homo dictus est *ad imaginem et similitudinem Dei* [24] formatum. Nam multis de causis sic dictus est. Primo quidem, ut esset mundi dominus pro Deo, sicut Ioseph in Aegypto pro Pharaone, [25] Daniel in Chaldaea pro Nabuchodonosor, [26] Mardochaeus in regno Persarum et Medorum pro Assuero. [27] Hinc ait: Dominetur *piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae;* [28] sic: *Gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius.* [29] Hinc, ut a creaturis omnibus honoraretur, homo indutus fuit vestibus gloriae Domini tanquam regalibus indumentis, sicut Ioseph a Pharaone, cum princeps constitutus fuit, [30] sicut Daniel a Baltassar, [31] Mardochaeus ab Assuero. [32] Et ne invidiae insimulari posset, quoniam Luciferum expulit de coelo ob divinae similitudinis appetentiam: *Ascendam in coelum, super astra Dei exaltabo solium meum... similis*

15) 1 Io 4, 12. 16) 1 Tim 6, 16. Vulg.: *Inhabitat.* 17) Ex 32, 20. 18) Is 45, 15. 19) Ps 17, 12. 20) Ct 2, 9. 21) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum mundi.* 22) Ibid. 13, 15. 23) 1 Petr 2, 21-22. 24) Gn 1, 26; 5, 1; 9, 6. 25) Cf. ibid. 41, 40-44. 26) Cf. Dn 2, 48-49. 27) Cf. Est 6, 10-11. 28) Gn 1, 26. 29) Ps 8, 6-8. 30) Cf. Gn 41, 42. 31) Cf. Dn 5, 29. 32) Cf. Est 6, 11.

et Domini sui in mundo legatus.

ero Altissimo: [33] quod ex invidia hoc fecerit, sicut hac de causa nemo regum in suo regno aliquem sibi parem aut similem ferre potest, – et satanas invidiae criminatus Deum apud homines fuit: *Nequaquam... moriemini; scit enim Deus quod... quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis tanquam dii, scientes bonum et malum,* [34] idest scientes omnia, – ne igitur calumniam hanc inurere et impingere Deo posset, post eiectum de coelo satanam, creavit in terra hominem, principem sibi similem.

Ideo etiam divina similitudine insignitus fuit

Sicut autem rex, cum insigniter honorare aliquem vult, dat ei titulum familiae suae et sua gentilitia stemmata ac insignia; sic Deus homini dedit *imaginem et similitudinem suam.* Et sicut rex in medio civitatis, regni sui metropolis, in signum dominii honestissimo loco statuam suam collocat, arte daedalica fabrefactam, uti Nabuchodonosor fecit statuam auream erigens, quam ab omnibus imperio suo subditis adorari voluit; [35] sic Deus hominem. Et sicut in signum dominii et possessionis, supra portam civitatis et palatii principis ponuntur ipsius principis gentilitia insignia; sic Deus in homine suam imaginem et similitudinem, ut etiam homo, non solum extra seipsum in magna hac mundi machina et mirabili theatro Deum posset agnoscere – nam: *Invisibilia* Dei *a creatura mundi, per ea quae facta sunt intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas;* [36] deserviunt homini creaturae sicut conspicilia et ocularia proportionata iis, qui visu quam debili sunt ad videndum quae longe sunt posita, – verum etiam ut intra seipsum agnosceret Deum in anima sua, quae imago Dei est, spiritus sicut Deus, intellectualis sicut Deus, arbitrio libera [37] sicut Deus, una et trina sicut Deus, regens corpus ut Deus mundum, implens corpus tota in toto et singulis partibus, sicut Deus mundum implet: *Coelum et terram ego adimpleo.* [38] Sic in seipso Deum videre potest homo, sicut cernitur imago in puro speculo.

et anima spirituali, intellectiva et arbitrio libera, Deo perquam simili donatus,

ut in seipso velut in speculo Deum posset agnoscere,

Et adhuc, ut sciamus quod homo pro deliciis Deo est, sicut mulier homini, propterea similis factus est Deo, [39] ut Eva Adamo: *Deliciae meae esse cum filiis hominum.* [40]

Sed tandem, ut divinae imaginis et similitudinis per gratiam et

33) Is 14, 13-14. Vulg.: *In coelum conscendam,* etc. 34) Gn 3, 4-5. Vulg.: *Sicut dii.* 35) Cf. Dn 3, 1 sqq. 36) Rom 1, 20. 37) Ms.: *Liber.* 38) Ier 23, 24. Vulg.: *Impleo.* 39) Ms.: *Deus.* 40) Prv 8, 31.

gloriam appeteret summam perfectionem, per veram, inquam, divinae sanctitatis et bonitatis imitationem – nam quae natura similia sunt, etiam actiones similes edunt: manifeste liquet in stellis, in sole et luna, in plantis et animalibus, – ut per veram imitationem Christo similis fieret. Nam ait: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui.*[41]

et factoris sui virtutes imitaretur.

III. Sic igitur Christus hodie proponitur tanquam divinum exemplar vitae christianae virtutumque omnium, quae nos Deo quam simillimos reddunt. Incipit autem vita christiana a sacro Baptismo, in quo fit homo templum Spiritus Sancti, filius Dei et regni coelestis heres. Sic enim, baptizato Christo a Ioanne in Iordane, aperti sunt coeli, descendit Spiritus Sanctus mansitque super Christum, et vox Patris intonuit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi* bene *complacui.*[42] His [verbis] enim designantur sacri Baptismatis [effectus], de quo Paulus: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Salvatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius heredes simus secundum spem vitae aeternae.*[43] Videtis omnes hos tres effectus: *lavacrum regenerationis:* ecce filiorum adoptio; renovatio Spiritus Sancti, *quem effudit in nos abunde:* ecce descensus columbae; *heredes simus secundum spem vitae aeternae:* en ianuarum coeli apertio.

Vita christana a Baptismo incipit, in quo homo filius Dei fit,

templum Spiritus S. et heres aeternae gloriae.

Statim autem ut baptizatus Christus fuit, tunc *ductus* fuit *in desertum a Spiritu;* imo dux et ductor constitutus fuit, sicut Moyses, sicut Iosue. Ipse enim columna est nubis et ignis, in qua erat Angelus Domini, qui per desertum infallibili ducatu populum Dei in terram promissionis ducebat, ac ducis instar populum praeibat ac praecedebat magno Dei beneficio.[44] Ducatum enim illum sequens populus, errorem timere non poterat, quoniam in columna illa Angelus Domini erat et Deus ipse.

Per Baptismum christiani sub ducatu Christi constituuntur.

Coepit autem ducatum illum habere transmisso mari Rubro, quod Baptismi sacramentum designabat, sicut Paulus ait: *Omnes sub*

41) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis.* 42) Mt 3, 17. 43) Tit 3, 4-7. Vulg.: *Benignitas et humanitas apparuit.* 44) Cf. Ex 13, 21-22.

sicut Hebraei sub Moyse, post transitum maris Rubri.

Moyse baptizati sunt in mari et nube;[45] imo in ipso transitu ducem columnam habuerunt. Hinc Moyses, de illo transitu verba faciens in Cantico, ait: *Dux fuisti in misericordia ... populo, quem redemisti.*[46] Hinc etiam Paulus nubis meminit. Sed in mari Rubro columnae illius primo facta est mentio et in ipso egressu de terra Aegypti: *Dominus,* inquit, *praecedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis et per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore. Nunquam defuit columna nubis per diem et columna ignis per noctem coram populo.*[47] Sic alibi ait: *Dominus solus dux eius fuit.*[48] In transitu etiam Iordanis arca Domini ducatum populo praestitit.[49]

Dux noster nobilissimus est, quia Filius Dei et paradisi Rex;

Sic nos Christum verum Deum et hominem ducem habemus; sacra ipsius humanitas columna est, Verbum autem verus Deus; nam: *Deus erat Verbum ... et Verbum caro factum est et habitavit in nobis.*[50] Ducem habemus nobilissimum, quia Filius Dei est: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui;*[51] *Vidimus gloriam eius gloriam quasi Unigeniti a Patre;*[52] ducem illustrissimum, quia serenissimus Rex paradisi, regni coelestis; hinc super eum coeli aperti sunt, sicut portae civitatis et arcis aperiuntur principi; ducem sapientissimum et fortissimum, quia descendit mansitque super eum Spiritus Sanctus: *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis.*[53] Cum rex magnus aut imperator ad bellum pergit ipseque vult esse dux et imperator exercitus, omnes fere principes, nobiles equites regni totius, quibus per aetatem licet, eum sequuntur, quoniam exemplum principis pro summa auctoritate movet vehementer et urget. Nam, ut ille ait:

sapientissimus, quia plenus Spiritu S.;

«Componitur orbis
Regis ad exemplum nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent ut vita regentum;
Mobile mutatur semper cum principe vulgus».[54]

Cur non moveat nos exemplum Christi, qui summus *Rex regum* est *et Dominus dominantium?*[55]

Agit nobiscum Deus hodie sicut Iacob cum suis gregibus. Po-

45) 1 Cor 10, 2. Vulg.: *In nube et in mari.* 46) Ex 15, 13. 47) Ibid. 13, 21-22. Vulg.: *Nec columna ignis per noctem.* 48) Dt 32, 12. 49) Cf. Ios 3, 1 sqq. 50) Io 1, 1-14. 51) Mt 17, 5. 52) Io 1, 14. 53) Is 11, 2. 54) Claudianus *De Quarto Consulatu Honorii Augusti,* vrr. 299-302. 55) 1 Tim 6, 15; Apc 17, 14.

nebat ante oves tales virgas quales agnos cupiebat ut parerent, albos aut nigros vel diversicolores et variis maculis respersos; quales erant virgae positae ante ovium oculos, tales pariebant agnos. [56] Christus Dei virga est: *Orietur stella ex Iacob, et exurget virga ex Israel;* [57] *Egredietur virga de radice Iesse;* [58] *Virgam virtutis suae emittet Dominus ex Sion.* [59] Tales nos cupit Deus qualis est virga, Christo similes, conformes, uniformes. Quid opus Christo erat ut baptizaretur, qui totus puritas est? Propter nos baptizatus est; sic propter nos ductus est in desertum; propter nos ieiunavit; propter nos tentatus a satana est, ut nos suo moveret exemplo.

ergo sequendus per veram imitationem eius virtutum.

IV. Christus, Dei Filius, multo innocentior multoque sanctior erat Adamo, et tamen non cum illo a Deo in paradisum ducitur, sed cum populo Dei in asperum desertum: *Ductus est... in desertum a Spiritu*, etc. Hoc principium vitae christianae est, a Spiritu Sancto regi: Qui *Spiritu Dei reguntur, ii filii Dei sunt.* [60] Animalia illa, apud Ezechielem, a spiritu ducebantur: *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* [61] Sic Simeon ille senex, Spiritu Sancto plenus, a Spiritu ductus venit in templum. [62]

Principium christianae vitae est a Spiritu S. regi,

Sed quonam ducit Spiritus iste Sanctus? *In desertum*, ubi Moyses Deum invenit, [63] ubi Elias Deum vidit, [64] ubi manna de coelo pluit, [65] ubi lex data de coelo fuit, [66] ubi divinum sanctuarium pro Dei habitatione et loco orationis constructum fuit; [67] *in desertum*, quo Deus populum suum duxit eductum ex Aegypto. [68] Et quidem mirabile dictu est quod Christus hodie a Spiritu Sancto ducitur in desertum, et a satana in templum. [69] Sed statuitur supra *pinnaculum templi*, ut inde praecipitaretur: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* [70] *In desertum* ducit Spiritus Sanctus, ubi nulla carnis aut oculorum concupiscentia, nulla superbia vitae, quibus mundus plenus est totus; [71] *in desertum*, quoniam Spiritus Dei agit ut mundus totus vere ex animo, virtutis causa contemnatur. Sicut contempsit Christus hodie *omnia regna mundi et gloriam eorum*, ut divino cultui operam daret, ut soli

ut mundo eiusque concupiscentia contemptis,

56) Cf. Gn 30, 37 sqq. 57) Nm 24, 17. Vulg.: *Et consurget.* 58) Is 11, 1. 59) Ps 109, 2. Vulg.: *Virtutis tuae.* 60) Rom 8, 14. Vulg.: *Aguntur, ii sunt,* etc. 61) 1, 12. 62) Cf. Lc 2, 27. 63) Cf. Ex 3, 1 sqq. 64) Cf. 3 Rg 19, 3 sqq. 65) Cf. Ex 16, 1 sqq. 66) Cf. ibid. 20, 1-21, 1 sqq. 67) Cf. ibid. 25, 1 sqq. 68) Cf. ibid. 15, 22-16, 1 sqq. 69) Cf. Mt 4, 5. 70) Ibid. vr. 6. 71) Cf. 1 Io 2, 16.

soli Deo serviatur.

Deo serviret: *Vade, satana, scriptum est...: Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies;* [72] *in desertum,* quoniam desertum carnis paradisus est spiritus, in deserto enim populus abstinens a carnibus Aegypti, manna de coelo gustavit: [73] *Ducam eam in solitudinem et loquar ad cor eius, ibi lactabo eam,* [74] dabo ei gustum Spiritus Sancti donorumque coelestium.

Vita christiana ieiunio etiam fulcitur, quo vitia comprimuntur et virtutes firmantur.

Sed quid agit Christus in deserto? *Cum ieiunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus,* idest quadraginta diebus naturalibus, sicut Moyses, [75] sicut Elias, [76] *postea esuriit,* ut verus homo passibili et mortali carne indutus. Magna pars christianae philosophiae et vitae in ieiunio et abstinentia consistit. Omnes Sancti, Spiritu Dei pleni, ieiunium et abstinentiam quam maxime coluerunt post Christum, post Ioannem Baptistam in sacro deserto. Ieiuniis opus est ad mortificandam carnem, ad spiritum vegetandum; nam sacrum ieiunium vitia comprimit, mentem elevat, virtutes largitur et praemia. [77] Hanc ob causam *qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* [78] Apostoli, post Christi ascensionem in coelum, ieiuniis et orationibus operam dabant, [79] sicut Christus praedixit: *Auferetur ab eis sponsus, et tunc ieiunabunt;* [80] Paulus vivebat *in vigiliis... et ieiuniis multis;* [81] sic multi sanctorum Patrum in deserto. Nos quare non ieiunabimus? Ieiunavit Christus, ieiunavit Ioannes cum discipulis suis, [82] ieiunarunt Apostoli, ieiunarunt omnes Sancti; et nos cum epulone splendidis epulis et conviviis operam dabimus? [83]

Haec Christus et omnes Sancti exemplo docuerunt.

V. Sed non tantum ieiunavit Christus, verum etiam tentatus a satana fuit, magnas tentationes sustinuit; tentatus a Deo, sicut Abraham, [84] hinc ductus *a Spiritu in desertum* fuit; tentatus a satana, sicut Iob. [85] Tentat enim Deus et tentat satanas; sed variis modis. Tentationem Christus dixit *cribrationem: Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum.* [86] Sed duplex est cribrum: aliud quidem quo, dum cribratur, decidit in terram frumentum et paleae ac quisquilia in cribro remanent; aliud vero quo, dum cribratur, pulvis in terram

Vita christiana tentationibus quoque probatur, sive ex parte Dei, sive ex parte satanae;

72) Mt 4, 8-10. 73) Cf. Ex 16, 14 sqq. 74) Os 2, 14. 75) Cf. Ex 24, 18; 34, 28. 76) Cf. 3 Rg 19, 8. 77) Cf. Missale Rom. Praefat. Quadrag. 78) Gal 5, 24. 79) Cf. Act 1, 14. 80) Mt 9, 15. 81) 2 Cor 11, 27. 82) Cf. Mt 9, 14; Lc 5, 33. 83) Cf. Lc 16, 19 sqq. 84) Cf. Gn 22, 1 sqq. 85) Cf. Iob 1, 1-2, 1 sqq. 86) Lc 22, 31.

decidit, sed triticum purum in cribro remanet. Hoc cribro Deus cribrat, dum homines tentat ad virtutis et puritatis augmentum; priori autem illo satanas. Tentat Deus et tentat satanas; sed magnum est inter has tentationes discrimen et multo maius, quam inter coelum et terram, lucem et tenebras, diem et noctem, ab auctore, ab obiecto, a modo, a fine. Nam Deus bonorum omnium auctor est, satanas malorum, vitiorum, peccatorum. Finis prioris tentationis est virtus probata atque perfecta, augmentum gratiae et gloriae, salus et vita; finis posterioris peccatum est et perditio: *Mitte te deorsum;* cultus et servitus satanae: *Si cadens adoraveris me.* [87] Finis illius, gloria et vita; nam: *Accesserunt Angeli et ministrabant ei;* [88] et Abraham ex sua tentatione copiam reportavit aeternamque benedictionem; [89] finis autem tentationis satanae, mors et ignominia est, ut patet in tentatione parentum nostrorum. [90]

tentat Deus ad virtutis et gratiae augmentum, satanas ad virtutis et gratiae detrimentum;

Obiectum prioris tentationis, ut plurimum, circa temporalia mala et corporales afflictiones temporaliumque bonorum privationem consistit; sic Deus tentavit Abraham, [91] Iob, [92] David, [93] Tobiam. [94] Sed tentatio posterior, circa spiritualia bona, ut virtutibus, gratia et meritis hominem spoliet atque destituat, in peccati barathrum hominem deiciens, ut in tentatione parentum nostrorum et tentatione Davidis, qua adulterium commisit et homicidium, [95] liquido patet; *carnalibus utitur desideriis, quae militant adversus animam.* [96]

tentat Deus circa bona temporalia, satanas circa bona spiritualia;

Tandem modo, quia Deus ex caritate tentat, satanas ex malignitate, technis, fraudibus dolisque omnibus, quibus potest, ad decipiendum utens. Tentat Deus hominem sicut magister digladiandi discipulum tentat, dum artem docet certandi: *Qui docet manus meas ad proelium, et digitos meos ad bellum.* [97] Sed satanas tentat ut occidat, sicut inimicus homo inimicum, quem odit, armis adoritur ut perimat ac de medio tollat.

tentat Deus ex caritate, ut probet, satanas ex malignitate, ut perdat.

Est autem in hodierno Evangelio tentatio idem ac persuasio et inductio ad peccandum; sic enim satanas tentat, ut hominem in peccatum inducat et a cultu Dei avertat. Sed cum Christo profecit

De omni tentatione Christus triumphavit

87) Mt 4, 9. 88) Ibid. vr. 11. Vulg.: *Angeli accesserunt.* 89) Cf. Gn 22, 15-18. 90) Cf. ibid. 3, 1 sqq. 91) Cf. ibid. 22, 1-12. 92) Cf. Iob 1, 12-2, 1 sqq. 93) Cf. 2 Rg 12, 10-13, 1 sqq. 94) Cf. Tob 2, 10 sqq. 95) Cf. 2 Rg 11, 1 sqq. 96) 1 Petr 2, 11. 97) Ps 143, 1.

scuto fidei et ense verbi Dei.

nihil, sed victus confususque abiit: *Vade, satana, scriptum est...: Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* Ostenditur Christus fortis miles, cui in certamine sufficit scutum et ensis. His utitur Christus, de quibus Paulus: *Sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere... et gladium spiritus, quod est verbum Dei.*[98] Regius Vates etiam ait: *Scuto circumdabit te veritas eius,*[99] hebraice *fides eius.* Fide usus est Christus, idest firma veritate Sacrarum Scripturarum, et gladio spirituali verbi Dei contra satanam et his armis eum superavit et vicit; unde, pro corona et palma victoriae, *accesserunt Angeli et ministrabant ei.*

Elucent etiam in hodierno Evangelio effectus gratiae in homine iusto,

VI. Sed, ut summatim dicam, fratres, in quo nos Christum exemplar divinum omnium virtutum imitari oporteat, elucent in hodierno Evangelio speciales effectus gratiae et Spiritus Sancti: *Ductus est a Spiritu.* Sicut navis in mari a vento secundo in portum per liquidum iter ducitur, sic iustus homo a Spiritu Sancto in coelum per mare mundi huius. Primus effectus est vita vere spiritualis, cum homo vivit ex afflatu Spiritus Sancti, non spiritu mundi huius, non sensu carnis; effectus est fuga saeculi et mundi contemptus; effectus, mortificatio carnis per ieiunia et alias mortificationes; effectus, satanicarum tentationum victoria, viriliter resistendo; nam ait: *Resistite... diabolo et fugiet a vobis*[100] non enim cogere potest, non vim inferre, sed tantum persuadere et monere; non impulit Christum, nec vi deiecit aut praecipitavit de pinnaculo templi, sed monuit ut seipsum praecipitaret. Effectus est viva firmaque spes et fiducia in Deum, qualis est filii in optimum patrem; effectus, timor et reverentia, qualis est optimi filii in patrem: *Non tentabis Dominum Deum tuum;*[101] effectus, vera in Deum caritas super omnia; nam, cum satanas Christo ostendisset *omnia regna mundi et gloriam eorum* dixissetque: *Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me,* Christus cum ira et indignatione respondit: *Vade, satana, scriptum est...: Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* Videtis perfectam Christi caritatem in Deum! Hi igitur sunt effectus Spiritus Sancti in homine christiano.

idest vita vere spiritualis, robur in lucta, et victoria contra satanam,

firma fiducia in Deum et vera caritas.

Virtutis autem praemium est: *Accesserunt Angeli et ministrabant ei.* Est Christus homo superior Angelis, sicut anulus argenteus cum pre-

98) Eph 6, 16. 99) Ps 90, 5. 100) Iac 4, 7. 101) Mt 4, 7.

tiosissimo adamante aut pyropo, pretiosior est aureo anulo sine tam pretioso lapillo, sicut sphaera solis cum unico tantum astro, multo melior firmamento stellarum. Sed adhuc ostenditur quod virtus hominem superiorem Angelis facit. Sic enim, cum mortuus fuisset mendicus Lazarus, ab Angelis portatus fuit in sinum Abrahae ;[102] sic nunc Christo homini Angeli ministrarunt ob superatum satanam.

Elucet quoque nobilitas hominis iusti, qui per virtutem superior Angelis redditur.

VII. *Ductus est Iesus in desertum a Spiritu.* Mirabile dictu ! Adam ductus fuit in paradisum[103] et Christus in desertum ; et tamen ille homo terrenus, hic autem coelestis ![104] Non fuit dictum de Adam : *Ecce Agnus Dei . . . qui tollit peccata mundi;*[105] non aperti super eum coeli ; non descendit Spiritus Sanctus ; non intonuit vox Dei : *Hic est filius meus dilectus ;*[106] non fuit adoratus ab Angelis, sicut Christus. Quomodo ergo nobiliori loco positus est Adam, quam Christus ? luna supra solem, terra supra coelum, animal supra Angelum, homo supra Deum ?

Tandem exhibetur antithesis inter Adam in paradiso et Christum in deserto;

Sed tamen illustrior Christus in deserto, quam Adam in paradiso. Ibi Adam victus fuit a diabolo, hic Christus vicit et superavit diaboli [tentationem] ; ibi Adam in mundum peccatum, mortem ac perditionem invexit : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors:*[107] hic Christus salvavit mundum. *Ductus est in desertum,* ut dux noster esset in deserto, sicut Angelus in columna nubis et ignis. Non introisset populus in desertum illud horridum, nisi Angelum Domini intrantem vidisset ; sic hodie Christus, verus Angelus Domini,[108] in columna sacratissimae humanitatis suae.

Adam enim mundum perdidit, Christus mundum salvavit.

Duae sunt personae in hodierno Evangelio : Christus et satanas; sed personae sunt publicae, non privatae ; Christus, caput omnium electorum ; satanas, omnium reproborum. Omnis homo vel Christi vel satanae membrum est ; a signis autem cognoscendus quisque est, cuius sit membrum ; sed qui Christi membrum non est, satanae proculdubio [est] ; Christi autem membrum est quisquis hodie similis ei est.

Aut Christus sequendus est, caput electorum, aut satanas, caput reproborum.

102) Cf. Lc 16, 22. 103) Cf. Gn 2, 15. 104) Cf. 1 Cor 15, 47. 105) Io 1, 29. Vulg. : *Peccatum mundi.* 106) Mt 3, 16 ; Lc 3, 22. 107) Rom 5, 12. Vulg. : *In hunc mundum intravit.* 108) Cf. Mal 3, 1.

ALIA HOMILIA

Ductus est Iesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo: et, cum ieiunasset quadraginta, etc. [1]

Ex multis elucet in hoc Evangelio divina Christi magnitudo.

I. Multa sunt in hodierno Evangelio quae ostendunt divinam Christi praestantiam et magnitudinem : quia discedit a Iordane, ubi, a Ioanne baptizatus, appellatus fuit *Agnus Dei . . . qui tollit peccata mundi ;* [2] ubi *aperti sunt* super eum *coeli, descendit Spiritus Sanctus super eum* in columbae specie, vox Dei omnipotentis intonuit : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi* bene *complacui ;* [3] quia a Spiritu Sancto ducitur in desertum, extitit ei Spiritus Sanctus tanquam paedagogus et magister morum : si videremus magnum aliquem Episcopum vel etiam Cardinalem paedagogum esse pueri alicuius, profecto diceremus puerum illum filium esse summi alicuius regis aut imperatoris ; tandem quia *accesserunt Angeli et ministrabant ei,* [4] tanquam servi domino, principi, regi suo : Angelorum autem Dominus nonnisi Deus est, soli Deo ministrant et serviunt Angeli : *Qui facit Angelos suos spiritus et ministros suos ignem urentem:* [5] *Millia millium ministrabant ei et decies millies centena millia assistebant ei.* [6] Paulus ait quod Christus, sedens *ad dexteram maiestatis in excelsis, tanto melior est Angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen hereditavit,* [7] quoniam Christus Filius Dei est, Angeli vero ministri et servi. Omnibus autem Angelis mandatum fuit ut Christum adorarent : *Adorent eum omnes Angeli Dei.* [8]

Magnum mysterium poenitentia et tentatio Christi in deserto.

Apparuit Deus Moysi in deserto in rubo inter spinas ardentes et miratus fuit Moyses vehementer. [9] Quid enim Deo, qui manet in coelo, in paradiso, in medio Angelorum, cum deserto, cum spinis ? Ita plane, fratres, in hoc Evangelio poenitentiae et tentationum Christi summa admiratione dignum mysterium est. Quid enim Christo, unigenito Filio Dei, cum deserto, cum poenitentia, cum ieiunio, cum tentationibus ? Christus illemet Deus est, qui Moysi apparuit ; nam ille et *Dominus* dictus est nomine tetragrammaton : *Hoc nomen mihi est in aeternum, et hoc memoriale meum in generationem et generationem: Ego sum qui sum;* [10] et etiam *Angelus Domini* di-

1) Mt 4, 1-11. 2) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum mundi.* 3) Mt 3, 16-17 ; Lc 3, 22. 4) Mt 4, 11. 5) Hebr 1, 6. 6) Dn 7, 10. 7) Hebr 1, 3-4. 8) Ibid. vr. 6. 9) Cf. Ex 3, 2-6. 10) Ibid. vr. 15.

citur:[11] וַיֵּרָא מַלְאַךְ יְהוָה אֵלָיו בְּלַבַּת־אֵשׁ מִתּוֹךְ הַסְּנֶה: *Apparuit ei Angelus Domini in flamma ignis de medio rubi:*[12] sicut etiam in *Actibus Apostolorum* ait Stephanus in concione habita ad magnum concilium Iudaeorum in die martyrii sui.[13] Sed si Dominus, si Deus, quomodo Angelus, qui nuncius et minister Dei est? Si vere Angelus, quomodo Deus? Christus vere Deus et Angelus Dei: *Veniet ad templum suum dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.*[14] *Dominus* est, quia verus Deus; *Angelus Domini,* quia Filius Dei, a Patre missus in mundum, Angelus Domini et Dominus Angelorum: *Cum iterum introducit primogenitum* suum *in orbem terrae, dicit: Adorent eum omnes Angeli Dei.*[15] Sic hodie, superata omni tentatione, *accesserunt Angeli et ministrabant ei.* Ministrare atque servire inferiorum ac subditorum est; Angeli ergo inferiores sunt et subditi Christo, si ei ministrant; ergo Christus verus Deus, nam Angeli non sunt inferiores nisi Deo.

nam Christus Deus erat, illemet qui apparuit Moysi,

quem Angeli adorant;

Hinc elucet quod Christus non est Deus per participationem, sicut Moyses constitutus a Deo deus Pharaonis: Ego *constitui te deum Pharaonis:*[16] et quemadmodum: *Ego dixi: dii estis et filii Excelsi omnes;*[17] sed per essentiam, sicut Paulus docuit: *Qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo.*[18] Sic Ioannes in principio Evangelii sui ostendit Christum verum Deum, coaeternum, consubstantialem, coaequalem: *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum:*[19] deinde: *Verbum caro factum est*[20], graece: Καὶ ὁ λόγος κρέας ἐγένετο,[21] illud *Verbum caro factum est.* Sic et Paulus ad *Hebraeos: Qui, cum sit splendor gloriae et figura,* χαρακτὴρ, *substantiae eius portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.*[22] Si lux aeterna esset, et splendor esset illi coaeternus. Christus *splendor* dicitur lucis aeternae, *imago substantialis* et naturalis, qualis est patris in filio sibi simillimo; est connaturalis et consubstantialis ei, cuius est imago; eiusdem naturae sunt pater et filius ei simillimus; non sicut imago principis in numi-

Deus non per participationem, sed per essentiam,

quia consubstantialis Filius Dei.

11) Ms.: *Vaierah elau maleach adonai belabath esc miloch hasseneh.* 12) Ex 3, 2. Ex hebraico. 13) Cf. 7, 30. 14) Mal 3, 1. 15) Hebr 1, 6. 16) Ex 7, 1. 17) Ps 81, 6. 18) Phil 2, 6. 19) 1, 1. 20) Ibid. vr. 14. 21) Ms.: *Ke o logos creas egeneto.* In textu autem graeco est: Σὰρξ, loco: Κρέας. 22) 1, 3. Ms.: *Character.*

smate, in lapide aut aere. Sic Christus ostenditur a P a u l o consubstantialis Deo Patri, et tandem coaequalis in potentia, in dignitate et maiestate. Verus ergo Deus, contra novos Arianos in Germania, qui impie et contra Evangelium universamque theologiam negant Christi divinitatem.[23]

Sed poenitentiam egit ut expiaret pro peccatis nostris,

II. Nunc dico: cum Christus verus sit Filius Dei, verus Deus gloriae, et ut talis ab Angelis hodie adoratur, sicut et in nativitate sua adoratus fuit,[24] quid sibi cum deserto, cum poenitentia, cum ieiunio, cum mortificatione carnis, cum tentationibus satanae? Num commiserat aliquod peccatum, sicut homo in paradiso, sicut Angelus in coelo? *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi;* ipse *sol* est *iustitiae*[25] et sanctitatis divinae; ad quid igitur poenitentia tam aspera, ieiunium tam diuturnum quadraginta dierum? Egit poenitentiam pro peccatis nostris.

et ut nos quoque ad poenitentiam non tantum verbis,

Sed ad delenda omnia peccata mundi et ad salvandum universum genus humanum sufficiebat unum tantum Christi ieiunium, sicut [ad] perdendum humanum genus suffecit unum tantum Adami peccatum, unius tantum pomi vetiti comestio ac degustatio. Docet enim P a u l u s ad *Romanos* quod multo potentior fuit Christus ad salvandum, quam Adam ad perdendum.[26] Sed quoniam ad salutem consequendam nostra quoque poenitentia necessaria est, propterea Christus poenitentiam agere voluit, ut non tantum praedicatione sua, verum etiam exemplo ad poenitentiam nos moveret. Ioannes Baptista, post rigidam multorum annorum poenitentiam in deserto, praedicavit poenitentiam dicens: *Poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum coelorum;*[27] et multos tum praedicatione tum exemplo suo movit ad poenitentiam agendam. Sic et Christus agere voluit; priusquam poenitentiam praedicaret cum Ioanne, dicens: *Poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum coelorum,*[28] agere voluit poenitentiam in deserto, ut suo nos moveret exemplo.

sed etiam suo moveret exemplo.

III. Induit hodie Christus personam hominis christiani. Homo per Baptismum fit christianus; Christus baptizatus est. Sed ut homo

23) Cf. S. Laurentius a Brund. *Opera Omnia*, vol. 2, *Lutheranismi Hypotyposis*, part. 1, pag. 231. 289. 448, et etiam infra, Feria Quarta Dom. Passionis, not. 37-39. 24) Cf. Lc 2, 13-14. 25) Mal 4, 2. 26) Cf. 5, 13 sqq. 27) Mt 3, 2. 28) Ibid. 4, 17.

verus sit christianus, non solum nomine, necesse est ut christianam fidem vita etiam christiana sequatur, iustitia, sanctitas, quae duobus capitibus distinguitur : *Diverte a malo et fac bonum.* [29] Ad evitandum malum fugienda est ac contemnenda mundi vanitas, mortificanda caro, resistendum diabolo. Haec omnia praestitit hodie Christus. Ad agendum bonum necessaria est firma fides certaque spes et fiducia divinae providentiae, quia : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei;* [30] necessarius Dei timor : *Non tentabis Dominum Deum tuum;* [31] necessaria pietas et caritas erga Deum : *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies;* [32] ubi ostendit Dominus quod pluris facienda est gratia, amicitia, servitus Dei, quam universa mundi totius gloria.

Christus typus est hominis christiani, qui soli Deo servire debet,

Ut igitur nos veri christiani essemus, voluit Christus hodie induere personam christiani hominis, ut totius vitae christianae perfectum se praeberet exemplar, numeris omnibus absolutum, ut sciremus quod nonnisi ille verus est christianus, qui Christo in deserto vitam agenti similis est. Voluit nos Christus suo exemplo movere ad contemptum mundi, ad mortificationem carnis, [33] ad victoriam tentationum satanae.

et typus quidem perfectissimus, in omnibus imitandus,

Magnam vim habet principis exemplum :

« Urget praesentia Turni » ; [34]
« Componitur orbis
Regis ad exemplum » ; [35]
« Quidquid delirant reges plectuntur Achivi ». [36]

Si princeps in magnis solemnitatibus pretiosa induit vestimenta, sic et nobiles aulici ; si venatoria iturus ad venationem, illi similiter; si lugubria in morte alicuis cari, et illi lugubria ; si ad bellum pergit, sequuntur; si pedes incedit, omnes ita sequuntur, nemo post eum suorum principum aut heroum equitat. Et nos Christi exemplum nihil movebit? Rex David, in acerba illa persecutione Absalom, egressus fuit de Ierusalem pedes, operto capite, flens ; sic eum omnes sui sequebantur. [37] Si princeps, unicus filius regis potentissimi, heres totius regni, pergeret ad bellum, an non sequerentur eum omnes principes et

sicut rex a subditis suis.

29) Ps 33, 15. 30) Mt 4, 4. 31) Ibid. vr. 7. 32) Ibid. vr. 10. 33) Ms.: *Ad* bis ponitur. 34) Virg. *Aeneides*, lib. 9, vr. 73. 35) Cf. not. 54 praec. hom., pag. 50. 36) Horat. *Epistolarum* lib. 1, epist. 1, vr. 14. 37) Cf. 2 Rg 15, 10 sqq.

nobiles regni, quibus per aetatem liceret? Pergit Christus ad bellum contra satanam, et nemo nostrum sequetur? Deum nemo nostrum sequetur? O rem summa admiratione dignam!

Duo miranda in poenitentia Christi: Filii Dei exemplar datum, hominum respectu talis exempli torpor.

Non possum, fratres, in hoc mysterio poenitentiae Christi in deserto non mirari vehementer duo: alterum est, quod videns Deus egere hominem calcaribus ad virtutem et vitam spiritualem, voluerit ad nos permovendos non novum aliquem hominem creare, alium Adamum, non Angelum, licet supremum, de coelo mittere, sed unigenitum ac dilectissimum Filium suum. Tam acutis calcaribus existimavit nos egere! Alterum vero, quod nos, tali ac tanto exemplo, tam acutis calcaribus latera puncti, nihil fere movemur. O nostra corda vere lapidea, adamantina! Si remedium omnium efficacissimum nihil iuvat ad levandum infirmum a morbo pestilente et veneno, actum de illo est. Si ad fugienda mundi et carnis vitia sectandamque virtutem non movet nos Christi exemplum, actum de nobis est.

FERIA SECUNDA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE

Cum venerit Filius hominis in maiestate sua et omnes Angeli eius cum eo. [1]

Proponit hodiernum Evangelium praemia virtutum et vitiorum,

I. Proponuntur in hodierno Evangelio praemia virtutum et vitiorum, bonorum operum et malorum. Sicut enim in primo omnium die laudatam lucem divisit a tenebris, [2] sic in novissimo omnium laudabit virtutem et sanctitatem electorum suorum Deus, et ab improbis et reprobis separabit. [3] Tunc Deus pro laude *lucem appellavit diem, et tenebras noctem* [4] pro vituperio; sic in die iudicii iustis dicetur: *Venite, benedicti Patris mei;* [5] peccatoribus vero: *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius.* [6]

de quibus frequenter S. Scriptura loquitur,

Saepe Divinae Litterae loquuntur de praemiis virtutum et stipendiis vitiorum. Cum Deus legem de coelo dedit, in primis dixit: *Ego sum Dominus Deus tuus,* Deus *zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem his qui oderunt me, et faciens misericordiam in millibus his qui diligunt me et custodiunt mandata mea.* [7] Hoc saepe Moyses praedicavit, maxime in *Levitico* [8] et in *Deuteronomio,* [9] in multis benedictionibus et maledictionibus pro meritis, vel observationibus vel transgressionibus divinae legis; hoc David in multis *Psalmis* [10] et in ipso etiam *1 Psalmo;* [10a] hoc Prophetae omnes, hoc Apostoli, hoc ipse Christus multis parabolis. Hoc enim designat parabola zizaniorum, [11] hoc parabola sagenae missae in mare, [12] hoc parabola quinque talentorum, [13] hoc illa decem minarum, [14] parabola etiam decem virginum; [15] hoc parabola nuptiarum,

ut patet in Veteri et Novo Testamento.

1) Pericope huius diei Mt 25, 31-46. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Gn 1, 4. 3) Cf. Mt 25, 32-40. 4) Gn 1, 5. 5) Mt 25, 34. 6) Ibid. vr. 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti,* etc. 7) Ex 20, 5-6. Vulg.: *Eorum, qui oderunt me, et faciens misericordiam in millia . . . custodiunt praecepta mea.* 8) Cf. 26, 1 sqq. 9) Cf. 11, 13 sqq.; 28, 1 sqq.; 30, 1 sqq. 10) Cf. Ps 10. 90-91. 111. 127. 131. 10a) Cf. vrr. 3 sqq. 11) Cf. Mt 13, 24-30. 12) Cf. ibid. vrr. 47-50. 13) Cf. ibid. 25, 14-30. 14) Lc 19, 12-27. 15) Cf. Mt 25, 1-13.

in quibus inventus est homo non habens vestem nuptialem et propterea damnatus est.[16] Hoc Ioannes Baptista praedicabat: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere ab ira ventura?... Iam... securis ad radicem arboris posita est: omnis... arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.*[17] Et de Christo ait: *Ventilabrum in manu eius, et purgabit aream suam et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.*[18] Isaias dicit quod ad hoc praedicandum venit Christus in mundum: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit... me, ad annunciandum mansuetis misit me, ut... praedicarem annum placabilem Domino et diem ultionis Deo nostro.*[19]

Sed specialiter hodie ostendit personam iudicis

II. Hoc autem Christus specialiter et praeclare praestat in hodierno Evangelio. In quo quidem primum ostenditur persona iudicis, qui potest divinis praemiis virtutes coronare et vitiis meritas poenas retribuere, quoniam rex summus et potentissimus est: *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua et omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae.* Ostenditur divini iudicis summa auctoritas, ut sententia sit inappellabilis: *Tunc dicet rex;*[20] summa sapientia ad cognoscenda pro veritate merita causarum: *Dividet eos... sicut pastor segregat oves ab haedis,*[21] ita ut errare in cognitione non possit accipiendo haedum pro ove aut ovem pro haedo sive capra. Ostenditur summa potestas ad exequendam sententiam: *Cum venerit... in maiestate sua et omnes Angeli eius cum eo,* tanquam rex cum potentissimo exercitu fortissimorum militum et equitum. De hoc Ieremias agens, ita ait: *Domine Deus, ecce tu fecisti coelum et terram in fortitudine tua magna et in brachio tuo extento; non erit tibi difficile omne verbum, qui facis misericordiam in millibus et reddis iniquitatem patrum in filios post eos; fortissime, magne et potens, Dominus exercituum nomen tibi:*[22] ecce potentia iudicis huius. Verum, sapientia etiam requiritur: *Magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu, cuius oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, ut reddas unicuique secundum vias*

eiusque summam auctoritatem,

sapientiam, potentiam et aequitatem.

16) Cf. ibid. 22, 1-14. 17) Ibid. 3, 7-10. Vulg.: *Progenies viperarum, quis demonstravit... a ventura ira?... ad radicem arborum*, etc. 18) Ibid. vr. 12. Vulg.: *In manu sua, et permundabit... triticum suum in horreum*, etc. 19) 61, 1-2. Vulg.: *Unxerit.* 20) Mt 25, 34. 21) Ibid. vr. 32. Vulg.: *Separabit eos.* 22) 32, 17-18. Vulg.: *Iniquitatem patrum in sinum filiorum post eos*, etc.

suas et secundum fructum adinventionum eius: [23] ecce divina sapientia, cuius oculis omnia nuda sunt et aperta, [23a] diurna luce in meridie clariora. Sic in iudice est summa auctoritas et potestas, summa sapientia, ut iudicando errare minime possit, summa etiam aequitas. Hinc *Filius hominis* appellatur iudex suapte natura humanissimus; hanc ob causam etiam appellatur *pastor*.

Apparatus iudicii huius spectaculum erit iucundissimum ob gloriam divini iudicis,

III. Et quidem apparatus iste divini iudicii spectaculum iucundissimum videtur; nam Christus ille est *speciosus forma prae filiis hominum,* [24] *in quem desiderant Angeli aspicere.* [25] Et cum eo omnes Angeli, omnes Sancti, universus paradisus. Sic Moyses ait: *Dominus... de Pharan apparuit, et cum eo sanctorum millia; in dextera eius ignea lex. Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt.* [26] Sic Isaias: *Dominus ad iudicandum veniet cum senibus populi sui et* cum *principibus eius.* [27] Danieli etiam revelatus fuit apparatus divini iudicii tanquam mirabile spectaculum: *Aspiciebam,* inquit, *donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit. Vestimentum eius candidum quasi nix, et capilli capitis eius quasi lana munda, thronus eius flammae ignis, rotae eius ignis accensus. Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie eius, millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. Iudicium sedit et libri aperti sunt.* [28]

et terrificum ob infirmitatem naturae humanae,

Mirabile spectaculum! Et tamen: *Horruit,* inquit Daniel, *spiritus meus* et *territus sum ego Daniel in his, et visiones capitis mei conturbaverunt me.* [29] Paradoxum videtur; nam ad iucundissimum spectaculum timet et totus inhorret. Sed sic etiam de Iacob patriarcha legimus quod, cum vidisset scalam coelestem, timuit *pavensque: Quam terribilis est, inquit, locus iste!* [30] Timida nimis est humana natura. In nativitate Christi apparuit Angelus Domini pastoribus cum divina claritate, *et timuerunt timore magno.* [31] In Christi transfiguratione, ad iucundissimum illud divinumque spectaculum, Apostoli vocem de coelo audientes *timuerunt valde* [32] et quasi exanimes ceci-

quae pavet ante revelatam gloriam divinitatis,

23) Ibid. vr. 19. Verba: *Secundum vias suas,* quae in veteribus editionibus Vulg. inveniuntur, ab A. Gramatica in nova edit. Bib. S. expuncta fuerunt. 23a) Cf. Hebr 4, 13. 24) Ps 44, 3. 25) 1 Petr 1, 12. Vulg.: *Prospicere.* 26) Dt 33, 2-3. Vulg.: *Apparuit de monte Pharan.* 27) 3, 14. 28) 7, 9-10. 29) Ibid vr. 15. Vulg.: *Ego Daniel territus sum,* etc. 30) Gn 28, 17. 31) Lc 2, 9. 32) Mt 17, 6.

derunt in terram. Sic etiam ait Dominus quod homines, visis signis quae diem iudicii praecedent, arescent *prae timore et expectatione.*[33]

sed maxime ob conscientiam culpae.

Sed oritur timor non tantum ex infirmitate naturae, sicut ad adventum Dei super montem Sinai ad dandam legem timuit populus vehementer,[34] sed maxime ex culpa et conscientia laesa. Sic enim Adam, post peccatum, audiens *vocem Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem,* timuit et *abscondit se;*[35] sic fratres Ioseph in Aegypto, eo viso et cognito, prae timore magno stupidi et quasi exanimes effecti fuere,[36] cum laetari quam maxime debuissent, visa tali tantaque gloria fratris sui; sed timuerunt quoniam eum magnopere laeserant. Philisthaei, audito adventu arcae Domini in castra Israel, timuerunt valde; Hebraei autem supra modum laetati fuerunt ob adventum illum.[37] Sic in die iudicii [iusti] laetabuntur, peccatores autem timebunt et amare flebunt.

Nunc in mundo boni cum malis admixti sunt,

IV. *Congregabuntur ante eum omnes gentes;*[38] *Iudex est vivorum et mortuorum constitutus a Deo,*[39] idest omnium hominum; sed erunt prius simul iusti et peccatores. Sicut in Aegypto Hebraei simul cum Aegyptiis commixti erant, donec venit Moyses et Hebraeos ab Aegyptiis divisit; ita sunt nunc in mundo boni cum malis commixti, zizania in medio tritici in agro,[40] pisces boni et mali in sagena,[41] virgines imprudentes cum prudentibus,[42] simul sunt haedi cum ovibus,[43] nec dignoscuntur nunc boni a malis, electi a reprobis; simul in domo sunt Cain et Abel,[44] Ismael et Isaac,[45] Iacob et Esau.[46] Quandiu triticum in herba est, non discernuntur zizania; nunc simul sunt in utero Rebeccae *duae gentes... et duo populi,*[47] qui simul colliduntur.

et videntur mali bonis feliciores;

Conqueruntur nunc multi de divina providentia, quod nullum fere discrimen a Deo fieri videant inter bonos et malos; imo quod mali in mundo videantur feliciores et beatiores bonis, sicut apud Malachiam legimus querelas multorum: *Omnis, qui facit malum, bonus est in conspectu Domini et tales ei placent, aut certe ubi est Deus iudicii?*[48] Et

33) Lc 21, 26. 34) Cf. Ex 18, 20. 35) Gn 3, 8. 36) Cf. ibid. 45, 3. 37) Cf. 1 Rg 4, 5-8. 38) Mt 25, 32. 39) Act 10, 42. Vulg.: *Constitutus est a Deo iudex,* etc. 40) Cf. Mt 13, 24-30. 38-42. 41) Cf. ibid. vrr. 47-49. 42) Cf. ibid. vrr. 1-12. 43) Cf. ibid. 25, 32. 44) Cf. Gn 4, 1-2. 45) Cf. ibid. 21, 1 sqq. 46) Cf. ibid. 25, 25 sqq. 47) Ibid. vr. 23. 48) 2, 7.

iterum : *Vanus est qui servit Domino et quod emolumentum quia custodivimus praecepta eius?... Ergo nunc beatos dicimus arrogantes.* [49] Ad haec autem Dominus : *Erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die, qua ego facio, in peculium, et parcam eis, sicut parcit vir filio suo servienti sibi. Et convertemini et videbitis quid sit inter iustum et impium et inter servientem Deo et non servientem ei.* [50]

sed veniet terribilis dies separationis.

Sed quaenam erit haec dies? *Ecce,* inquit, *dies veniet, succensa quasi caminus, et erunt omnes superbi et omnes facientes impietatem stipula, et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, et non relinquet eis radicem et germen.* [51] *Dies veniet,* inquit; nam nunc veluti in obscura nocte sumus. In obscuro autem loco in nocte, si multi simul sint congregati, non discernuntur deformes et sordidi, pannosique et pauperes a divitibus, nobilibus, ingenuis et optima forma praestantibus, *donec dies illucescat et lucifer oriatur.* [52] Sic ait Vates: *Vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiae, et sanitas in pennis eius; et egrediemini et salietis, sicut vitulus de armento, et calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum.* [53] Sic in hodierno Evangelio, cum congregatae fuerint ante tribunal Christi omnes gentes, *separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab haedis. Separabit eos:* sicut Deus divisit lucem a tenebris, aquas superiores ab inferioribus, [54] sicut divisit bonos Angelos a malis, [55] sicut Noe divisit animalia munda ab immundis, [56] sicut Abraham divisit Isaac a filiis concubinarum, [57] sicut Iacob divisit oves suas ab ovibus Laban, [58] sicut Moyses Hebraeos divisit ab Aegyptiis, sicut Iosue, transmisso Iordane, divisit populum, partem super montem Garizim ad benedicendum, et partem super montem Hebal ad maledicendum, stante arca Dei in medio; [59] sic Christus hodie *statuet... oves a dextris suis, haedos autem a sinistris.* [60] Sic stabit Christus in medio electorum et reproborum, sicut Dominus in columna ignis et nubis in medio duorum exercituum, Israelitarum et Aegyptiorum, [61] sicut Michaeas ait: *Vidi Dominum sedentem super solium suum et omnem exercitum coeli assistentem ei a dextris et a sinistris.* [62]

In qua divinus iudex iustos a peccatoribus segregabit,

illos a dextris suis statuens, hos autem a sinistris.

49) Ibid. 3, 17-18. Vulg.: *Servit Deo.* 50) Ibid. vrr. 17-18. 51) Ibid. 4, 1. Vulg.: *Quae non derelinquet eis,* etc. 52) 2 Petr 1, 19. 53) Mal 4, 2-3. Vulg.: *Orietur vobis timentibus... sicut vituli de armento.* 54) Cf. Gn 1, 6-10. 55) Cf. Apc 12, 7-12. 56) Cf. Gn 7, 2-9. 57) Cf. ibid. 21, 9-14. 58) Cf. ibid. 30, 40-42. 59) Cf. Ios 8, 33-34. 60) Mt 25, 33. 61) Cf. Ex 14, 19-21. 62) 2 Par 18,18. Vulg.: *Sedentem in solio suo.*

illos ad praemium misericorditer vocans,

V. *Tunc dicet rex his, qui a dextris eius erunt: Venite, benedicti Patris mei.* [63] Propensior multo est hic iudex divinus ad dulcem misericordiam, quam ad severam iustitiam, pronior ad miserendum, quam ad puniendum : *Misericors et miserator et iustus* [64] Dominus ; *Miserationes eius super omnia opera eius.* [65] Sic iustis humanissimum se exhibet : *Venite, benedicti Patris mei,* benedicti filii Patris mei, fratres mei, heredes Dei, coheredes autem mei, [66] *venite, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi :* [67] ecce praemium virtutis, merces bonorum operum : *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare ; sitivi, et dedistis mihi bibere.* [68] O praemium magnum !

hos vero ad poenam iuste damnans.

Sed adhuc ecce poena vitiorum : *Tunc dicet* rex *his, qui a sinistris eius erunt: Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius;* [69] *Discedite a me, omnes operarii iniquitatis.* [70] Sic *ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.* [71] Sic erit dies iudicii sicut mare Rubrum, in quo salvati fuerunt Hebraei, sed perierunt Aegyptii sequaces Pharaonis ; [72] salvabuntur in die iudicii sequaces Christi, peribunt sequaces satanae : *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius;* est sicut diluvium, in quo salvatus fuit Noe iustus cum domo sua ; [73] sicut incendium Pentapolis, ex quo iustus Loth evasit incolumis ; [74] erit sicut Aegyptus, in qua, cum Aegyptii sepulti essent horribilibus tenebris, Hebraei luce splendidissima fruebantur, [75] et Angelus Domini domos percussit Aegyptiorum interficiens primogenitos, non autem domos Hebraeorum agni sanguine signatas. [76]

In hodierno Evangelio verum virtutis praemium et vera peccati poena ostenduntur.

Sic, fratres, in hodierno Evangelio luce clarior ostenditur virtutum praemium et poena vitiorum, sicut I e r e m i a e ostendit Dominus ante templum duos calathos plenos ficis ; et *calathus,* inquit, *unus ficus bonas habebat nimis, ut solent ficus esse primi temporis; et calathus unus ficus habebat malas nimis, quae comedi non poterant, eo quod essent malae.* Tunc Dominus ad V a t e m : *Quid tu vides, Ieremia?* Et dixit : *Ficus bonas, bonas valde; et malas, malas valde.* [77] Tunc Dominus Ieremiae declaravit ficus bonas designare obedientiae divinae praemium, malas

63) Mt 25, 34. 64) Ps 111, 4. 65) Ps 144, 9. 66) Cf. Rom 8, 17. 67) Mt 25, 34. 68) Ibid. vr. 35. 69) Ibid. vr. 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti,* etc. 70) Lc 13, 27. 71) Mt 25, 46. 72) Cf. Ex 14, 21 sqq. 73) Cf. Gn 6, 8-7, 1 sqq. 74) Cf. ibid. 19, 1-29. 75) Cf. Ex 10, 22-23. 76) Cf. ibid. 12, 29-30. 77) 24, 1-3.

autem ficus poenam inobedientiae et transgressionis divinorum mandatorum.[78]

Ita plane hodie ostenduntur nobis paradisus et infernus; paradisus in praemium virtutis, infernus in poenam vitiorum. Hodie mysterium illud declaratur columnae Dei, quae die quidem nubes erat lucida et pulcra, nocte autem ignis et flamma ardens. Per diem et noctem iusti et peccatores designantur; per nubem et ignem misericordia et iustitia Dei.

Ideat paradisus et infernus.

Praemium virtutis Christus *benedictionem* appellat: *Venite, benedicti Patris mei;* poenam autem vitiorum, *maledictionem : Ite, maledicti, in ignem aeternum.* Sic Deus in peccati poenam maledixit terram,[79] sic maledixit Cainum,[80] sic Noe in poenam vitii maledixit Cham et in praemium virtutis benedixit Sem et Iaphet;[81] in poenam peccati Deus maledixit serpentem,[82] in praemium boni operis benedixit Abraham;[83] sic in Lege transgressores multis maledictionibus feriuntur, observatores autem multis benedictionibus cumulantur.[84] *Venite, benedicti Patris mei:* haec est benedictio qua Isaac filium suum Iacob, Dei electum, divinitus benedixit, bonis omnibus ditavit.[85] Maledictio autem haec thesaurus est omnium malorum. Sic enim Paulus ait: *Existimas..., o homo..., quia tu effugies iudicium Dei? An divitias bonitatis eius et patientiae et longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei.*[86] Quo loco etiam Paulus declarat quidnam sit haec benedictio et maledictio dicens: *Qui reddet unicuique secundum opera eius: iis quidem, qui secundum patientiam boni operis gloriam et honorem et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam; iis autem, qui sunt ex contentione et... non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio. Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum;... gloria et honor et pax omni operanti bonum.*[87] Sed non eget interprete Christus; ipse seipsum exposuit et luculenter declaravit dicens: *Ibunt hi in supplicium aeternum:* ecce maledictio; *iusti autem in vitam aeternam:* ecce benedictio.

Praemium appellatur a Christo benedictio, poena vero, maledictio.

sicut etiam a D. Paulo.

78) Cf. ibid. vrr. 5 sqq. 79) Cf. Gn 3, 17-18. 80) Cf. ibid. 4, 17-18. 81) Cf. ibid. 9, 20-27. 82) Cf. ibid. 3, 14-15. 83) Cf. ibid. 22, 1-18. 84) Cf. Lv 26, 1; Dt 11, 13 sqq. 85) Cf. Gn 27, 27-29. 86) Rom 2, 3-5. 87) Ibid. vrr. 6-10.

Timor poenae cohibere debet a peccato, spes praemii impellere ad virtutem;

VI. Acutis plane calcaribus pungit nos hodie Christus. Nam eum vidit in suis *Revelationibus* Ioannes, equitantem super equum album, [88] qui utique christianum populum Christo subiectum designat, qui albus est ob fidei candorem, et a Christo regitur sicut equus ab equite et sessore. Modo autem eques freno et calcaribus opus habet. Freno timoris hodie Christus omnes nos cohibet a malis et vitiis mundi huius; calcaribus autem spei urget per bona opera ad vitam aeternam et coelestem gloriam.

timenda ergo est iustitia et misericordia speranda.

Hodiernum Evangelium a nobis magnum exigit simulque incutit divinae iustitiae timorem et magnam spem divinae ingerit misericordiae; ardenter accendit pectora et corda fidelium ad vehementem amorem virtutis et ad mortale odium vitiorum. Agit nobiscum Dominus sicut Moyses cum Hebraeis egit. Cum enim legem eis dedisset plane coelestem, ait universo populo in suo *Deuteronomio:* Proposui *vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas et semen tuum, et diligas Dominum Deum tuum atque obedias voci eius et illi adhaereas; ipse est enim vita tua et longitudo dierum tuorum.* [89] Talia nobiscum loquitur Christus, ostendens nobis apertos paradisum et infernum. Utinam non surdis auribus loquatur, non duris et *incircumcisis cordibus et auribus.* [90]

Impii, ut licentiose vivant, iudicium divinum negant;

VII. Multi haeretici, contra quos Princeps Apostolorum scripsit, [91] ut maiori cum licentia absque ullo freno timoris viverent, negaverunt divinum iudicium; quod etiam faciunt qui animorum immortalitatem non credunt, ut vitam ducant epicureorum. Ego autem neminem esse vestrum existimo qui in satanico hoc errore sit involutus, qui in Christum et in Evangelium ipsius non credat. Credimus omnes divinum iudicium futurum, sicut credimus praeteritum diluvium. Circa thronum Dei iridem vidit Ioannes, [92] qui aqueo et igneo colore constat duplexque iudicium designat: aqueum quod iam factum novimus, et igneum quod futurum credimus.

Nec potest longe esse. Nam lapis de monte descendens, apud Danielem, pedes statuae percussit ferreos fictilesque. [93] Lapis ille Christum designabat, ut ipse Vates interpretatus fuit; statua

88) Cf. Apc 6, 2. 89) 30, 19-20. 90) Act 7, 51. 91) Cf. 2 Petr 2, 1-3, 1 sqq.
92) Cf. Apc 4, 3. 93) Cf. 2, 31-45.

autem illa mundanam monarchiam, mundi regnum, mundum ipsum, qui semper in deterius pergit, sicut illa statua ab aureo capite venit ad pedes luteos. Cum caritas refriguerit et defecerit fides, tunc erit iudicium : *Cum... venerit Filius hominis, putas, inveniet fidem super terram?* [94] Cum creverit terrenarum rerum cupiditas, ut homines non nisi terrena sapiant animoque terreni sint, tunc venturus ad iudicium Christus vaticinio illo et mysterio designatur. Cum umbrae magnae valde sunt ad vesperam, signum manifestum est quod sol est prope occasum; nunc autem umbras vanitatum mundi quis non maximas videt?

sed ex signis quae Christus praenunciavit, colligitur non longe abesse.

Et tamen, o fratres, cum divinum iudicium cito futurum credamus, eius nec minimo timore tangimur, cum Sancti omnes supra quam dici possit tremendum iudicium Dei extimuerint. Isaias, cum vidisset Deum *sedentem super solium excelsum et elevatum* [95] in maiestate iudicis quasi pro tribunali sedentem, timuit vehementer aitque commota fuisse superliminaria cardinum templi, [96] hoc est templum ipsum contremuisse; et nos nihil timemus? Tanta ne iustitia et vitae sanctitate praediti sumus, ut divinum iudicium nihil timendum nobis censeamus?

quare nobis pertimescendum est.

VIII. Luce clarius ostendit hodiernum Evangelium quod ad salutem consequendam non sufficit sola fides, quod necessaria sunt opera bona, sicut alibi Dominus ait: *Non omnis, qui dixerit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum; sed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse intrabit in regnum coelorum.* [97] Et adhuc: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus et in nomine tuo daemonia eiecimus et... virtutes multas fecimus?* [98] Sed quid respondebit eis? *Nescio vos: Discedite a me, omnes operarii iniquitatis.* [99] Sic hodie reprobis dicet: *Ite, maledicti in ignem aeternum.* Sed quam ob causam? Non, inquit, quia non credidistis, sed quia *esurivi... et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi bibere.* [100] *Quandiu non fecistis uni ex minoribus fratribus meis, nec mihi fecistis.* [101] Videtis quam manifeste loquitur!

Sola fides non salvat; sed requiruntur opera bona ex caritate facta.

94) Lc 18, 8. Vulg.: *Filius hominis veniens... fidem in terra?* 95) 6, 1. 96) Cf. ibid. vrr. 4-5. 97) Mt 7, 21. Vulg.: *Non omnis qui dicit... sed qui facit*, etc. 98) Ibid. vr. 22. 99) Lc 13, 27. 100) Mt 25, 42. Vulg.: *Non dedistis mihi potum.* 101) Ibid. vr. 45. Vulg.: *De minoribus his*, etc.

quam clare et luculenter dicit quod opera bona ex caritate necessaria sunt ad salutem!

et sanctae virtutes, quae solae iustos a reprobis separant.

Docet hodie Christus perfectum Dei timorem, idest cultum, sicut Regius Vates: *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos. Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos?... Diverte a malo et fac bonum, inquire pacem et persequere eam*, quia *oculi Domini super iustos et aures eius ad preces eorum; vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.*[102] Sic in eo *Psalmo* multa signat apud Deum descrimina inter iustos electos et reprobos peccatores. Causa perpetuae damnationis in hodierno Evangelio una tantum assignatur: neglecta virtus: *Esurivi enim*, inquit, *et non dedistis mihi manducare.* Alibi Dominus ait: *Hoc est autem iudicium: quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem*,[103] creaturas quam Creatorem, mundum quam Deum, vitia quam virtutem; hanc ob causam improbi damnantur.

Fides cum sanctis operibus signum est infallibile aeternae praedestinationis.

IX. Multa sunt in hodierno Evangelio christianae philosophiae dogmata: hic dogma divinae praedestinationis quoad principium, media et finem: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi*, etc.; hic dogma divinae gloriae Christi: *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, et omnes Angeli eius cum eo;* dogma aeternae gloriae in paradiso in praemium virtutis bonorumque operum, et perpetuarum poenarum in inferno in punitionem vitiorum ac malorum operum: *Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.*[104] Sed speciale dogma est quod ad consequendam vitam aeternam non sufficit tantum fides, quae sine dilectione et caritate mortua est,[105] requiruntur etiam bona opera cum caritate, opera misericordiae et pietatis, ita ut non sufficiat tantum a vitiis abstinere, sed opus sit virtutibus operam dare: *Declina a malo et fac bonum;*[106] *Quiescite agere perverse, discite benefacere;*[107] *Bonas facite vias vestras et studia vestra.*[108] Hodie enim ait: *Voca operarios*, idest cultores vineae meae, *et redde illis mercedem*,[109] idest coronam iustitiae.[110]

102) Ps 33, 12-17. Vulg.: *In preces eorum.* 103) Io 3, 19. 104) Mt 25, 46. 105) Cf. Iac 2, 17. 106) Ps 36, 27. 107) Is 1, 16-17. 108) Ier 7, 3. 109) Mt 20, 8. 110) Cf. 2 Tim 4, 8.

ALIA HOMILIA

Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, et omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem, etc. [1]

Duo specialiter de Deo credenda sunt: quod creator omnium sit et iustus remunerator.

I. Positum fuit divinum propitiatorium inter duos Cherubim; [2] I s a i a s Deum vidit inter duos Seraphim, [3] et duobus Angelis comitatus apparuit Deus Abrahamo. [4] Duo sunt quae specialiter credenda de Deo sunt: alterum, quod sit creator omnium; alterum, quod iudex et remunerator: *Accedentem ad Deum credere oportet quia est, et quia inquirentibus se remunerator sit.* [5] Horum alterum extitit in principio mundi, alterum erit in fine. In hodierno Evangelio de Deo remuneratore agitur: *Venite, benedicti,* et: *Ite, maledicti.* [6]

Principale fidei nostrae dogma est Christum universorum iudicem esse.

Mysterium hoc finalis iudicii principale est dogma nostrae fidei. Unum ex primis principiis christianae philosophiae [est] quod Christus *constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum,* [7] sicut Moyses iudex totius populi Israel, [8] sicut Salomon totius regni et propterea accepit a Deo donum coelestis sapientiae, ut populum recte et iuste iudicaret. [9] Sicut autem Moyses, princeps simul et sacerdos, iudex fuit utriusque fori, temporalis et spiritualis, saecularis et ecclesiastici; ita et Christus summus Rex summusque Pontifex, praefiguratus, ut ait P a u l u s, per Melchisedech regem et sacerdotem. [10]

Tria iudici praecipue necessaria sunt: puritas animi, potestas et scientia.

II. Quando Deus instituit Moysen iudicem populi, iussit ut solveret calceamenta de pedibus suis; [11] dedit ei virgam in manu, quae *virga Dei* appellatur, [12] et sapientiae donum: *Ego ero in ore tuo et docebo te quid loquaris.* [13] Tria enim iudici necessaria sunt: puritas animi, auctoritas et potestas iudicandi, ac tandem scientia legum. Haec sunt quae continebantur in arca.

Haec significabantur in ornamentis magni sacerdotis Antiquae Legis.

Inter ornamenta magni sacerdotis in Lege tria erant singularia: lamina aurea in capite, virga sacerdotalis in manu, et *Rationale* iudicii in pectore, in quo erant הָאוּרִים et הַתֻּמִּים, idest l u m i n a et s i m p l i c i t a t e s, sive perfectiones, supra cor; [14] ad iudi-

1) Mt 25, 31. 2) Cf. Ex 25, 18-22. 3) Cf. 6, 1-2. 4) Cf. Gn 18, 1 sqq. 5) Hebr 11, 6. Vulg.: *Credere... oportet accedentem,* etc. 6) Mt 25, 34. 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti.* 7) Act 10, 42. 8) Cf. Ex 3, 7 sqq.; Act 7, 35. 9) Cf. 3 Rg 1, 33 sqq.; 3, 1-4, 1 sqq. 10) Cf. Hebr 7, 1 sqq. 11) Cf. Ex 3, 5. 12) Cf. ibid. 4, 2-5. 20; 17, 9. 13) Ibid. 4, 12. Vulg.: *Doceboque.* 14) Cf. ibid. 28, 1 sqq. Ms.: *Haurim Hathumim,* sic et infra.

candum enim opus est animo puro candidoque et integro, cum lumine prudentiae et rationis. In *Rationali* autem iudicii multa continentur mysteria. Erat *Rationale* illud aspectu pulcherrimum, propter miram varietatem colorum auri, hyacinthi, purpurae, cocci, byssi et gemmarum, quae omnes erant variorum colorum. Sic hodie spectaculum erit pulcherrimum, quia videbitur gloria Dei, gloria Christi, gloria omnium Angelorum, omnium Sanctorum, totius paradisi. Quid pulcrius aut spectabilius? Factum erat ex auro, hyacintho, purpura, cocco bis tincto et bysso, duplum erat et quadratum, magnitudinis unius palmi. Continebat duodecim gemmas, quattuor ordinibus distinctas, cum nominibus omnium tribuum filiorum Israel, et in eo continebantur mysteria, quae dicebantur הָאוּרִים et הַתֻּמִּים, l u m i n a et p e r f e c t i o n e s, sive integritates aut simplicitates. Haec omnia designant divinas qualitates pectoris et animi Christi, qui in *Cantico Canticorum*[15] dicitur habere pectus eburneum, distinctum ornatumque sapphiris, idest gemmis pretiosissimis.

et praesertim in Rationali, per quod summa Christi sanctitas, designabatur.

Specialiter vero designatur quod universalis iudex est omnium, per nomina omnium tribuum. Adhuc vero, quod duodecim sunt mysteria in divino hoc iudicio contemplanda. Primum est signorum ante iudicium; secundum, renovatio mundi; tertium, generalis resurrectio omnium mortuorum; quartum, persona iudicis; quintum, assessorum Apostolorum et Patriarcharum; sextum, curia coelestis: *Omnes Angeli eius cum eo;* septimum, reorum, qui iudicandi sunt: *Congregabuntur ante eum omnes gentes;*[16] octavum, discussio meritorum: *Separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab haedis;*[17] nonum, lectura processuum; decimum, sententia in favorem iustorum, magnum virtutis praemium; undecimum, sententia in damnationem reproborum in poenam vitiorum; ac tandem duodecimum, executio utriusque sententiae: *Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.*[18]

In divino hoc iudicio plurima mysteria contemplanda sunt.

III. Singulariter vero de iudice et de reis agitur in hodierno Evangelio. Iudex tribus modis appellatur: primo, *Filius hominis: Cum venerit Filius hominis in maiestate sua;* secundo, *Pastor: Separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab haedis;* tandem, *Rex* dicitur:

Singulariter vero hodie agitur de persona iudicis deque reis iudicandis.

15) Cf. 5, 14. 16) Mt 25, 32. 17) Ibid. 18) Ibid. vr. 46.

Tunc dicet rex his, qui a dextris eius erunt: Venite, benedicti Patris mei.[19] In his autem designantur quae in optimo iudice requiruntur ut causa iudicii sit optime iustificata : in nomine *regis,* summa auctoritas et potestas, ita ut lata sententia sit per omnem modum inappellabilis, sicut fuit sententia Salomonis in causa duarum mulierum.[20] Sub nomine *pastoris,* certissima et infallibilis scientia ; neque enim pastor errare potest in cognitione ovium et haedorum, ut sumat pro ove haedum aut pro haedo ovem; sic nec Christus errare poterit in iudicio, ut per errorem iudicet damnetque iustum pro peccatore, aut salvet peccatorem pro iusto, sed certissime cognoscet omnes peccatores et iustos. Tandem, sub nomine *Filii hominis,* animus iudicis optime affectus : *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio, ... quia Filius hominis est,*[21] totus humanus, vere humanissimus, ipsamet humanitas : *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei.*[22] Voluit Deus iudicari nos a Christo, qui frater noster est amantissimus, sicut Ioseph amantissimus fratrum suorum, qui pro nobis animam posuit,[23] sicut *bonus pastor... pro ovibus suis;*[24] *maiorem* autem *caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*[25] Hinc fulgebit hodie lucidissime instar solis crux Christi cum omnibus instrumentis passionis ipsius.

Iudex appellatur rex, ad significandam eius plenissimam potestatem; pastor, ad significandam eius perfectissimam scientiam; Filius hominis, ad significandam eius infinitam bonitatem.

Optimus autem Christi animus per *Rationale* iudicii designatur, ubi aurum divinae sapientiae, hyacinthus coelestis puritatis et sanctitatis, purpura regiae nobilitatis, coccus bis tinctus geminae caritatis, byssus candoris et sinceritatis. Quadratum est, propter virtutes cardinales ; duplum est, propter solidam constantiam et incorruptam integritatem, quae labefactari non potest; gemmas habet cum nominibus tribuum Israel, quoniam salutem cuiuscunque hominis magni pendit instar pretiosissimae gemmae ; diligit omnes ordinatissima caritate ; hinc erant digestae gemmae illae in quattuor ordines.

Per *Rationale* etiam eximiae divini iudicis qualitates designabantur, praesertim infinita eius bonitas,

Non potuit Deus pro nobis constituere iudicem meliorem, qui suapte natura *mitis* est *et humilis corde,*[26] summe propensus ad pietatem, ad misericordiam et clementiam ; hinc *Filium hominis* et *fratrem nostrum* se appellat hodie : *Quod uni ex ... fratribus meis ... fecistis,*

qui frater noster amantissimus appellari vult et rex humanissimus,

19) Ibid. vr. 34. 20) Cf. 3 Rg 3, 16-28. 21) Io 5, 22-27. Vulg. : *Neque enim Pater iudicat,* etc. 22) Tit 3, 4. Vulg.: *Benignitas et humanitas apparuit,* etc. 23) Cf. 1 Io 3, 16. 24) Io 10,11. 25) Ibid. 15, 13. Vulg. : *Maiorem hac dilectionem,* etc. 26) Mt 11, 29.

mihi fecistis.[27] Iudex est optimae voluntatis, optimo affectus animo erga nos, qui salvare vellet omnes; quotquot damnabit, nonnisi divinis legibus et iustitia coactus damnabit; nam: *Iudicium sedit, et libri aperti sunt,*[28] libri divinarum legum et humanarum etiam conscientiarum. *Rex* dicitur *maiestatis,* sed tamen humanissimus: *Venite, benedicti Patris mei,* sed pastor optimus, sed frater amantissimus. Multos tamen, licet invitus et coactus, damnabit: *Tunc dicet rex his, qui a sinistris eius erunt: Ite, maledicti, in ignem aeternum.*[29]

nam nonnisi invitus malos damnabit.

IV. Sed forte, cum iudex tam pio sit praeditus animo tantaque humanitate, paucos damnabit. Sed etiam Moyses mitissimus erat,[30] et tamen, propter peccatum idololatriae, adorationis vituli in deserto, multa millia Hebraeorum occidit in deserto.[31] Evangelium Christi manifeste docet quod pauci sunt qui salvantur.[32] Ex hac ergo maxima hominum multitudine pauci statuentur a dextris, quia omnes infideles, omnes haeretici, omnes schismatici: *Qui... non credit iam iudicatus est.*[33] In diluvio pauci salvati fuerunt in arca,[34] extra quam non fuit salus; ex incendio Pentapolis pauci erepti[35] fuerunt, domus tantum Loth;[36] ex ruina Iericho, domus tantum Rahab meretricis conversae.[37] Nos autem fideles sumus, catholici sumus. At vero, non damnantur hi hodie propter defectum fidei, sed caritatis, sed misericordiae, sed bonorum operum: *Iudicium... sine misericordia ei, qui non facit misericordiam;*[38] *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur;*[39] secundum legem mulier sterilis maledicta est.[40] Sic ait: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum... Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare.*

Pauci sunt qui salvantur, multi vero qui damnantur,

quia causa reprobationis non est fidei defectus, sed bonorum operum.

Aliquando legimus quod pauci fidelium perierunt: ex collegio Apostolorum unus tantum, Iudas;[41] ex septem diaconibus etiam unus periit;[42] sed aliquando [quod] pauci salvantur: *Multi sunt*

27) Ibid. 25, 4. Vulg.: *Quandiu fecistis uni*, etc. 28) Dn 7, 10. 29) Mt 25, 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti*, etc. 30) Cf. Nm 12, 3. 31) Cf. Ex 32, 2 sqq. 32) Cf. Mt 7, 14; 20, 16; 22, 14; Lc 13, 23. 33) Io 3, 18. 34) Cf. Gn 7, 1. 7. 23; 1 Petr 3, 20; 2 Petr 2, 5. 35) Ms.: *Erecti.* 36) Cf. Gn 19, 16-29; 2 Petr 2, 7. 37) Cf. Ios 6, 22-25. 38) Iac 2, 13. Vulg.: *Illi qui non fecit.* 39) Mt 7, 19. 40) Cf. Gn 20, 18; 30, 23; Ex 23, 26; Dt 7, 14; 1 Rg 1, 5. 20; Is 4, 1; Os 9, 14; Lc 1, 25. 41) Cf. Io 17, 12. 42) Iuxta communem sententiam est Nicolaus Antiochenus. Cf. S. Irenaeus *Contra Haereses*, lib. 1, cp. 26, (P. G. 7, 687); S. Epiphanius *Adversus Haereses*, haeres. 25, ibid. 41, 319-322; Tertullianus *De Praescriptionibus*, cp. 46, (P. L. 2, 62); S.

vocati, pauci vero electi.[43] Quo loco ait Gregorius *homilia 19,* quod multi venient ad fidem, sed pauci ad regnum coelorum;[44] Chrysostomus *homilia 65 in Matthaeum,* quod ex ipsis christianis, etiam qui boni videntur, medietas perit.[45] Augustinus etiam docet quod, sicut in agro maior est copia palearum quam tritici, ita plures sunt qui pereunt quam qui salvantur.[46] Chrysostomus *homilia 40 ad populum Antiochenum* docet quod ex multis millibus vix centum salvantur.[47] Ex multis millibus Hebraeorum, qui egressi fuerunt de Aegypto, paucissimi ingressi fuerunt in terram promissionis.[48]

Hoc eruitur ex verbis SS. Patrum,

Dominus in parabola nuptiarum docere visus fuit quod pauci pereunt, quia unus tantum expulsus fuit;[49] in parabola decem virginum, quod medietas, quia ex decem, quinque perierunt,[50] sicut in tribubus Israel divisis a Iosue pro benedictione et maledictione,[51] et in nominibus in duas partes divisis in lapidibus onychinis;[52] aliquando quod vix quarta pars salvatur, sicut in parabola seminatoris,[53] nam quarta tantum pars fructum reddidit; sicut etiam nonnisi tres Apostolos secum duxit ad videndam gloriam transfigurationis.[54] Sed licet nonnisi paucissimi damnandi essent, an non timendum nobis maximopere esset ne mala sors nobis contingeret?

ex parabolis quoque Evangelii et ex figuris Veteris Testamenti.

Hilarius *Comment. in Matthaeum,* ibid. 9, 1053; S. Augustinus *De Haeresibus ad Quodvultdeum,* haeres. 5, ibid. 42, 26; S. Isidorus Hisp. *Etymol.,* lib. 8, cp. 5, ibid. 82, 298. 43) Mt 20, 16. 44) *Hom. 19 in Evang.,* (P. L. 76, 1157). 45) *In hom. 65 in Matthaeum* affertur parabola decem virginum, ex quibus quinque eliguntur, quinque vero reiciuntur. In ea autem satis clare non promitur hic sensus S. Io. Chrysostomi; sed clarius alibi affirmat maiorem esse numerum reproborum quam electorum. Sic in illud: *Si esurierit inimicus tuus:* « Quam exiguum in numerum redigantur qui salutem adipiscuntur, ut maior pars corporis Ecclesiae mortuo et immobili corpori assimiletur ». (P. G. 51, 174). Item in *Hom. 24 in Acta Apost.:* « Multo plures sunt qui in gehennam incidunt; sed maius illa est regnum coelorum, etsi paucos habeat ». Ibid. 60, 189. 46) Cf. *Serm. 111,* cp. 1, (P. L. 38, 642). 47) Iuxta Migne est *Hom. 24 in Acta Apost.* citata in nota 45. 48) Cf. Nm 14, 23-38; Ios 5, 4-6. 49) Cf. Mt 22, 11-14. 50) Cf. ibid. 25, 1-12. 51) Cf. Ios 8, 30-34. 52) Cf. Ex 28, 9. 53) Cf. Lc 8, 5-15. 54) Cf. Mt 17, 1-2.

FERIA TERTIA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE

Cum introisset Iesus Ierosolymam, commota est universa civitas dicens : Quis est hic ? [1]

Christus hoc suo glorioso ingressu in Ierusalem, iam a Prophetis praedicto,

I. Non sine causa ad ingressum Christi in Ierusalem tota commota est civitas, sicut ad ingressum magni regis, et sicut totus populus in deserto commotus fuit, viso in terra manna coelesti.[1a] Nam Christus vere ille est *Desideratus cunctis gentibus*, de quo Divinus Vates agens ait, imo Deus per eum : *Adhuc unum modicum... et ego commovebo coelum et terram et mare et aridam et movebo omnes gentes, et veniet Desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimae plus quam primae, dicit Dominus exercituum, et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* [2] Quod quidem vaticinium manifeste de Christo est, de vero Messia, qualem se hodie Christus exhibet Ierosolymae. Unde Zacharias, praeviso in spiritu hoc ingressu, ait : *Exulta valde, filia Sion, iubila, filia Ierusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi iustus et salvator; ipse pauper,* sed tamen *loquetur pacem gentibus, et potestas eius a mari usque ad mare et a fluminibus usque ad fines terrae.* [3]

manifestare voluit se verum esse Messiam in Lege promissum.

Et quidem ingressu hoc suo Christus in Ierusalem hodie nihil aliud praetendit, nisi manifestare se verum esse Messiam, Regem Israeli promissum. Hinc enim pueri clamabant : *Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel :* [4] *Hosanna Filio David !* [5] Hinc venit in templum ; nam scriptum erat de eo : *Veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus... Et quis poterit cogitare diem adventus eius ?*

1) Pericope huius diei Mt 21, 10-17. Cf. Missale Rom. Vulg.: *Cum intrasset.* 1a) Cf. Ex 15, 16. 2) Agg 2, 7-10. 3) 9, 9-10. Vulg. : *Exulta satis.* 4) Mc 11, 9-10 ; Io 12, 13. 5) Mt 21, 9.

et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans et sicut herba fullonum, et sedebit conflans... et purgabit filios Levi et colabit eos sicut argentum et sicut aurum, et erunt Domino offerentes sacrificium in iustitia. [6]

II. Mirabilem se ostendit in hoc suo ingressu, quia *commota est universa civitas dicens: Quis est hic?* Quoniam scriptum erat de eo: *Factus est principatus super humerum eius, et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis.* [7] Regem se ostendit, quoniam scriptum est de Messia: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum, et regnabit rex et sapiens erit et faciet iudicium et iustitiam in terra;* [8] Regem et salvatorem, nam: *Accesserunt ad eum in templo caeci et claudi, et curavit eos,* [9] quia de Messia scriptum est: *In diebus illis salvabitur Iuda, et Israel habitabit confidenter, et hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus iustus noster;* [10] et item: *Deus ipse veniet et salvabit nos; tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt; tunc saliet, sicut cervus, claudus.* [11]

Ingressus est Ierusalem tanquam mirabilis rex ab Israel expectatus

Hanc ob causam dicitur Christus *Desideratus cunctis gentibus,* sive *Desiderium cunctarum gentium,* [12] quia omnes gentes salutem, vitam aeternam et perpetuam felicitatem suapte natura desiderant. De Salomone in *Paralipomenis* legimus quod *omnes... reges terrarum desiderabant videre faciem* eius, et audire *sapientiam, quam dederat Deus in corde eius.* [13] Imo in libris *Regum* ait Divina Scriptura quod *universa terra desiderabat vultum Salomonis* et audire *sapientiam eius, quam dederat Deus in corde ipsius; et singuli deferebant ei munera, vasa aurea et argentea.* [14] Quid si Salomon ipse, uti erat sapientissimus, ita etiam fuisset ditissimus, adeo ut omnibus potuisset munera copiosa largiri, sicut sol stellis universoque mundo, ob nunquam deficientes lucis suae thesauros? In Christo autem non solum, ut in Salomone, reconditi erant *omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei, [15] verum etiam omnes thesauri bonitatis et omnipotentiae Dei, sicut in Moyse, qui

et verus salvator multo iam tempore desideratus

et in Salomone praefiguratus.

6) Mal 3, 1-3. Vulg.: *Colabit eos quasi aurum et quasi argentum..., sacrificia in iustitia.*
7) Is 9, 6. 8) Ier 23, 5. 9) Mt 21, 14. Vulg.: *Ad eum caeci et claudi in templo, et sanavit eos.* 10) Ier 23, 6. 11) Is 35, 4-6. 12) Agg 2, 7. Ex hebraico.
13) 2 Par 9, 23. 14) 3 Rg 10, 24-25. Vulg.: *In corde eius... vasa argentea et aurea.*
15) Col 2, 3.

virga divinitus data faciebat quaecunque volebat in coelo et in terra.[16] Sic enim in Christo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*[17]

Cum tamen regnum eius de hoc mundo non esset, pauper voluit apparere, sed simul magnus rex

III. Sed tamen regnum Messiae non erat futurum de hoc mundo, sicut regnum Salomonis. Hinc ait Vates: *Rex tuus venit tibi... pauper*. Sic pauperem se ostendit Christus et manifeste dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo;*[18] cui latro in cruce: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.*[19] Magnus rex futurus erat Messias, sicut apud Danielem legimus: *Aspiciebam... in visione noctis, et ecce cum nubibus coeli quasi filius hominis veniebat et usque ad antiquum dierum pervenit. Et in conspectu eius obtulerunt eum, et dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient: potestas eius, potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum... quod non corrumpetur.*[20] Sic Christus de seipso ait: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.*[21] Messias futurus erat Deus et homo: *Vocabitur nomen eius Emmanuel;*[22] *Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis... et vocabitur... Deus, fortis;*[23] *Hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus iustus noster; Egressus eius a diebus aeternitatis;*[24] *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te;*[25] *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis.*[26]

et verus Deus,

Christus hodie verum Deum se ostendit: *Nunquam legistis: Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem?*[27] Hinc dominum templi se ostendit: *Scriptum est: Domus mea domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum.*[28] Sic de Messia scriptum erat: *Veniet ad templum suum dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.* Futurus erat Messias fortissimus, sicut Gedeon,[29] sicut Samson,[30] sicut David.[31] Hinc appellatur *Dominus exercituum: Regem Dominum exercituum vidi oculis meis,* dixit Isaias,[32] cum Messiam Deum in humana specie in spiritu vidisset;

fortissimus et potentissimus;

Dominus autem *exercituum* idem est ac potentissimus, omnipotens, sicut rex qui multos habet potentissimos exercitus. At Deus talis dicitur, quia ipse solus potentior est multis exercitibus,

16) Cf. Ex 4, 2-4. 17; 7, 9 sqq.; 8, 1-10, 1-15; 14, 16 sqq.; 17, 5-6. 17) Col 2, 9. 18) Io 18, 36. 19) Lc 23, 42. 20) 7, 13-14. 21) Mt 28, 18. 22) Is 7, 14. 23) Ibid. 9, 6. 24) Mich 5, 2. 25) Ps 2, 7. 26) Ps 109, 1. 27) Mt 21, 16. 28) Ibid. vr. 13. 29) Cf. Idc 6, 12. 30) Cf. ibid. 14, 6-16, 1 sqq. 31) Cf. 1 Rg 16, 18; 17, 34-36. 32) 6, 5.

sicut sol in coelo potentior cunctis astris. Talem se Christus exhibuit hodie; ipse enim solus de templo eiecit *omnes vendentes et ementes.* [33] O mirabilem Christi potentiam! quale hoc miraculum fuit! Vere fortissimus sicut Samson, qui solus et inermis multos armatos Philisthaeos superavit atque prostravit. Sic Christus omnes eiecit vendentes et ementes de templo, ac si leo ipse fuisset, illi autem greges ovium et caprarum. Nam vere ipse *leo* est *de tribu Iuda.* [34]

Futurus erat etiam Messias propheta magnus, sicut Moyses ait: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies.* [35] Sic per Isaiam: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit... me, evangelizare pauperibus misit me.* [36] Sic de Christo legimus: *Propheta magnus surrexit in nobis;* [37] *Hic est... propheta, qui venturus est in mundum;* [38] *Qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo.* [39] Sic hodie: *Hic est Iesus propheta a Nazareth Galilaeae:* [40] *propheta,* idest homo vere sanctus et Divino Spiritu afflatus. De Christo autem Isaias ait: *Requiescet super eum Spiritus Domini... et erit iustitia cingulum lumborum eius, et fides cinctorium renum eius,* [41] idest iustissimus et sanctissimus erit, sicut apud Danielem dicitur *Sanctus sanctorum* [42] et a Malachia dictus est *Sol iustitiae.* [43] Ieremias autem appellavit eum *germen iustum,* [44] sive *germen iustitiae;* nam Christus ipsamet iustitia et sanctitas est. Hinc in mysterio dicitur *a Nazareth Galilaeae;* Nazareth nanque puritatem significat, et Galilaea circulum, sphaeram, figuram perfectionis symbolum, quoniam in Christo omnis perfectio.

et propheta magnus,

plenus Spiritu Sancto atque sanctissimus,

O utinam, fratres, nos vere Christum cognoscamus! Nam, ut ipse ad Patrem ait: *Haec est... vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum.* [45] Hinc Paulus tantopere cupiebat ut Christum omnes cognosceremus: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi..., ut det vobis virtute corroborari in spiritu..., ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis quae sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum; scire etiam superemi-*

quem cognoscere vera vita est.

33) Mt 21, 12. 34) Apc 5, 5. 35) Dt 18, 15. 36) 61, 1. Ex Translat. Septuaginta; Lc 4, 18. 37) Lc 7, 16. 38) Io 6, 14. 39) Lc 24, 19. 40) Mt 21, 11. 41) 11, 2-5. 42) 9, 24. 43) 4, 2. 44) 23, 5. 45) Io 17, 3. Vulg.: *Solum Deum verum.*

nentem scientiae caritatem Christi, [46] idest ut vobis gratiam largiatur, qua possitis agnoscere magnitudinem Christi et eius incomprehensibilem caritatem.

Magnitudo gloriae Christi immensa est, quia aeterna et divina;

IV. Magnitudo gloriae Christi immensa est, quia aeterna: haec ipsius longitudo; totum replet mundum: *Data est mihi omnis potestas:* haec latitudo, non est regnum et imperium Christi limitibus aut terminis circumscriptum; Rex coeli est: « Sedet ad dexteram Patris »: [47] haec est sublimitas; habet *claves mortis et inferni:* [48] hoc profundum. Talis est magnitudo Christi qualis magnitudo Dei, quoniam Christus vere Deus–homo est.

sed revelatur maxime in operibus iustitiae et misericordiae,

Multa miracula operatus fuit hodie Christus, nam ait: *Videntes... mirabilia quae faciebat.* [49] Sed tamen singulariter opera exercuit iustitiae et misericordiae, quoniam ipse columna Dei est ignis et nubis; [50] ipse cherub apud Ezechielem, habens faciem hominis et leonis; [51] ipse in *Apocalypsi* agnus et leo, [52] circa thronum eius iris speciem habens aquae et ignis; [53] ipse Summus Pontifex, qui in die consecrationis sanguine et oleo ungebatur; [54] ipse arca testamenti, in qua vas mannae et virga. [55]

quae de Deo singulariter praedicantur et vero principi conveniunt.

De Deo duo haec, iustitia et misericordia, in Sacris Litteris quam maxime praedicantur: *Misericordia et veritas obviaverunt sibi, iustitia et pax osculatae sunt.* [56] De Christo autem dicitur: *Orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis.* [57] Sic thronus Salomonis ex ebore et auro erat leonesque habebat aequales a dextris et a sinistris; [58] decet enim principem potentem esse ad praemiandum aeque ac ad puniendum.

Christus enim Rex est universi, omnipotens atque aeternus,

Haec igitur de Christo, fratres, cognoscenda sunt nobis, quod Rex sit aeternus et omnipotens, qui habet *in capite* suo, sicut in *Apocalypsi* legimus, *diademata multa,* [59] quoniam Rex est mundi totius, totius Ecclesiae et totius regni coelorum empyrici paradisi: *Qui habet... in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium;* [60] quem sequebantur omnes exercitus qui sunt in coelo. [61] Sed tandem Rex

46) Eph 3, 14-19. Vulg.: *Virtute corroborari per spiritum.* 47) Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum,* n. 54. 48) Apc 1, 18. 49) Mt 21, 10. Vulg.: *Quae facit.* 50) Cf. Ex 13, 21-22. 51) Cf. 1, 6-10. 52) 5, 5-6. 8. 12-13; 6, 1; 7, 9 sqq.; 14, 1. 4. 10; 21, 9. 14. 22-23. 27; 22, 1. 3. 14. 53) Cf. ibid. 4, 3. 54) Cf. Ex 29, 21. 55) Cf. ibid. 16, 33-34; 17, 10; Hebr 9, 4. 56) Ps 84, 11. 57) Ps 71, 7. 58) Cf. 3 Rg 10, 18-19; 2 Par 9, 17-18. 59) 19, 12. 60) Ibid. vr. 16. 61) Cf. ibid. vr. 14.

clementissimus et humanissimus erga bonos, iustissimus et severissimus contra malos. Hinc Regius Vates ait: *Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi, virga directionis virga regni tui. Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.*[62] En hodie Christi misericordia: *Accesserunt ad eum caeci et claudi in templo et curavit eos.*[63] Sed ecce iustitia: Eiecit de templo *omnes vendentes et ementes*, sicut Deus de coelo eiecit rebelles angelos[64] et de paradiso homines, post peccatum;[65] sicut Abraham de domo sua eiecit ancillam et filium eius,[66] sicut Iosue de terra promissionis Chananaeos,[67] sicut in die iudicii eiciet omnes reprobos a facie sua dicens: *Ite, maledicti, in ignem aeternum.*[68]

clementissimus simul atque iustissimus.

Haec, fratres, meditanda sunt nobis, ut simul timorem Domini et spem concipiamus, scientes quod Regem hunc latere nil poterit; *sapiens*, inquit, *erit*,[69] utique sicut Salomon qui etiam Ecclesiastem egit.[69a] Sic de Christo Lucas ait quod *erat docens quotidie*, idest tota die, *in templo.*[70]

Haec meditanda nobis sunt.

V. *Hic est Iesus propheta a Nazareth Galilaeae. Iesus* singulariter dictus est Christus propter allatam mundo salutem: *Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum;*[71] propter quam salutem Christus dictus est *Desiderium cunctarum gentium*[72] et *Desiderium collium aeternorum*, sicut Iacob patriarcha dixit in benedictione Ioseph: *Benedictiones patris tui confortatae sunt benedictionibus patrum eius, donec veniat Desiderium collium aeternorum*,[73] idest sanctorum Patriarcharum et Prophetarum. Hinc ipse aiebat: *Salutare tuum expectabo, Domine:*[74] et Prophetae clamabant orantes: *Rorate, coeli, desuper et nubes pluant iustum, aperiatur terra et germinet Salvatorem.*[75]

Christus vocatus est *Iesus*, quia mundi Salvator;

Sed quomodo dicitur *Desiderium cunctarum gentium*, cum gentes Messiam non expectarent et omnino ignorarent? Neque enim fidem aut legem vel Prophetas habebant. Incognita et ignorata nec diligere possumus nec desiderare. Sed enim etiam terram, segetes et plantas

dicitur etiam *Desiderium cunctarum gentium*, licet omnino ignoratus,

62) Ps 44, 7-8. 63) Mt 21, 14. Vulg.: *Et sanavit eos.* 64) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6; Apc 12, 9. 65) Cf. Gn 3, 23-24. 66) Cf. ibid. 21, 14. 67) Cf. Ios 12, 1 sqq. 68) Mt 25, 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti*, etc. 69) Is 23, 5. 69a) Iuxta opinionem quae Salomonem dicit auctorem libri inscripti *Ecclesiastes*. Cf. Cornely-Merk *Introduct. in S. Script. Libros*, cp. 5, pag. 494-495. 70) 19, 47. 71) Mt 1, 21. 72) Agg 7, 8. Ex hebraico. 73) Gn 49, 26. Vulg.: *Donec veniret*, etc. 74) Ibid. vr. 18. 75) Is 45, 8.

dicimus desiderare pluviam aut solem et laeta tempora, cum his egent. Et Regius Vates ait: *Sitivit in te anima mea: quam multipliciter tibi caro mea;* [76] et: *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum meum.* [77] Paulus ait quod *expectatio creaturae revelationem* gloriae *filiorum Dei expectat,* idest naturaliter desiderat gloriam, felicitatem et vitam sempiternam; nam: *Vanitati... creatura subiecta est non volens... et liberabitur ipsa creatura a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei... Omnis* enim *creatura ingemiscit et parturit usque adhuc; non solum autem illa, sed et nos ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum expectantes, redemptionem corporis nostri.*[78] Natura ipsa desiderat liberari a malis omnibus et omnibus frui et ditari bonis.

quia salutem, quam allaturus erat, omnes naturaliter desiderabant.

Quoniam vero universalem hanc salutem Christus allaturus erat ad restituendos homines pristinae felicitati ob peccatum amissae, imo multo maiori in coelis, propterea dicitur *Desiderium cunctarum gentium;* nam *totus* ipse *desiderabilis* dicitur in *Canticis,* sive *omnia ipse desideria,* [79] quoniam in ipso est omne desiderium nostrum; praestare potest solo voluntatis nutu quidquid desideramus vel etiam desiderare possumus. Quia igitur Salvator divinus a peccatis, idest a malis omnibus, quae propter peccata in mundum ab initio invecta sunt, [nos liberavit], propterea dicitur *Desiderium cunctarum gentium;* nam pro salute [80] omnium gentium misit Deus Christum in mundum.

Ad hoc enim Christus a Deo missus fuit in mundum, licet non omnes salvi fiant.

Deus enim *vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire.* [81] Hinc ait: *Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* [82] Et tamen non omnes salvantur; multi eicientur de templo, imo omnes, sed *vendentes et ementes,* non orationi et divino cultui operam dantes. Non salvantur nisi fideles veri: *In diebus illis salvabitur Iuda, et Israel habitabit confidenter.* [83] Iuda autem confessio interpretatur. Angelus Danieli dixit: *In tempore illo salvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit scriptus* [84] *in libro et multi de his, qui dormierunt in terrae pulvere, evigilabunt: alii in vitam aeternam, alii in opprobrium*

76) Ps 62, 2. 77) Ps 83, 3. Vulg.: *In Deum vivum.* 78) Rom 8, 19-23. Vulg.: *Et ipsa creatura liberabitur,* etc. 79) 5, 16. Ex hebraico. 80) Ms.: *Salutem.* 81) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult... veritatis venire.* 82) Io 3, 17. 83) Ier 23, 6. 84) Ms.: *Scriptus* bis ponitur.

ut videant semper. [85] *Salvabitur*, inquit, *populus tuus omnis*, non simpliciter, sed *qui inventus fuerit scriptus in libro;* alludit ad illud M o y s i : *Dele me de libro* vitae. *Cui... Dominus: Qui peccaverit mihi delebo eum de libro meo* [86] quem scripsi. Idem ergo est ac dicere : Salvabitur omnis, qui inventus fuerit verus Dei cultor, sine peccato. Nam alioquin nullus eorum, qui in deserto contra Deum peccavere, ingressus fuit in terram promissionis, nisi tantum Iosue et Caleb, qui fideles Deo fuerunt ; alii omnes, qui de Aegypto egressi fuerunt et mare Rubrum transierunt, perierunt in deserto. [87]

VI. Fratres mei, in coelestem Ierusalem aliquid coinquinatum non introibit. [88] P a u l u s etiam manifeste praedicat quod *iniqui regnum Dei non possidebunt... Et haec quidem fuistis*, inquit, *sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi.* [89] Propterea enim docet ipse P a u l u s quod Christus *factus est nobis a Deo sapientia et iustitia et sanctificatio et redemptio,* [90] utique ut nos sanctificaret et iustificaret, ideo nanque *Iustus* [91] et *Sol iustitiae* [92] appellatus est. Regnum coelorum et vita aeterna dicitur *hereditas filiorum Dei.* [93] Qui non fuerit hic filius Dei per gratiam, nec heres poterit esse per gloriam.

Solum veri fideles salvantur, qui per gratiam filii Dei sunt;

Certissimum est, fratres mei, quod peccatores omnes in die iudicii non statuentur ad dexteram Christi cum Angelis benedicendi, sed ad sinistram maledicendi. Hi qui eiciuntur hodie a templo, Iudaei erant, fidem habebant, sed ob neglectam et violatam religionem eiciuntur a facie Dei. Haec enim duo Christus in eis accusat : n e g l e c t a m r e l i g i o n e m et v i o l a t a m : *Scriptum est quia domus mea domus orationis est cunctis gentibus, vos autem fecistis illam speluncam latronum.* [94] Non orare in templo Dei, neglecta pietas et religio est ; sed templum Dei convertere in forum mercatorum, in templum idolorum – nam avaritia *est idolorum servitus,* [95] – violata religio est : *Qui autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus* [96].

iniqui autem in regnum Dei non introibunt

85) Dn 12, 1-2. Vulg. : *Qui dormiunt, etc.* 86) Ex 32, 32-33. 87) Cf. Nm 32, 1-13. 88) Cf. Apc 21, 27. 89) 1 Cor 6, 9-11. Sic legitur in antiquis editionibus Vulg., cf. Corn. a Lapide *Commentaria*, h. l. ; postea vero vox *quidem* emendata fuit iuxta graecum: *Quidam.* Cf. Aug. Calmet *Comment. in S. Script.*, h. l. 90) 1 Cor 1, 30. Vulg.: *Factus nobis sapientia a Deo*, etc. 91) Ier 23, 5 ; 33, 16. 92) Mal 4, 2. 93) Cf. Rom 8, 17. 23 ; 1 Petr 3, 9. 22. 94) Mt 21, 13 ; Is 56, 7. 95) Eph 5, 5. 96) 1 Cor 3, 17. Vulg. : *Si quis autem templum Dei*, etc.

Omnes eiecit de templo. Sicut Moyses occidit omnes, qui vitulum aureum adoraverunt; [97] sicut Iehu, rex Israel, zelo Dei plenus, occidit in templo omnes sacerdotes et servos Baal, ita ut nec unus quidem remanserit; [98] ita Christus damnabit in aeternum omnes mundi cultores et qui mammonae serviunt, non Deo, nam: *Nemo potest duobus dominis servire... non potestis Deo servire et mammonae.* [99] Ezechias, rex sanctus, purgavit templum Domini ab idolorum immunditiis, [100] quod etiam Iosias, rex sanctissimus, praestitit; [101] sic hodie Christus, verus et summus Rex.

quia suis vitiis veram pietatem neglexerunt et religionem violaverunt.

VII. Ostendit hodie Christus opera tum misericordiae tum iustitiae. Semper in Sacris Litteris simul coniunguntur misericordia et iustitia Dei, sicut in homine vires concupiscibilis et irascibilis. Satanas autem semper dividere ac separare nititur; in vita solam praedicat misericordiam, ut homines, nimium de illa praesumentes, magna cum licentia peccent et perseverent in peccatis; in morte autem solam iustitiam, ut prae nimio timore divinae severitatis tremendique iudicii desperent misericordiam et desperati moriantur sicut Cain impius, [102] sicut Iudas proditor. [103] Christianus homo, si salvari desiderat, haec semper coniungat, stans ad pedes Domini, sicut Sunamitis ad pedes Elisei, [104] Magdalena ad pedes Christi. [105] His pedibus ambulat Deus et ad nos venit; non est claudus, aequales pedes habet.

Qui salvari volunt opera misericordiae et iustitiae simul coniungere debent

Invenit in templo *vendentes et ementes.* Bona est mercatura et valde utilis reipublicae; non tamen in loco sacro, cum neglectu religionis, cum fraudibus et mala conscientia. Tales enim mercatores apud Deum, « quem conscientiae secreta non fallunt », [105a] fures sunt et latrones. Displicebant Eliae Israelitae, qui nunc Deum, nunc Baal colebant: *Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus* ipse *est Deus, sequimini eum,* [106] et si Baal sequimini illum. Non placuere Deo Samaritani, qui cum Deo Israel simul Gentium idola colebant; [107] arca Dei noluit simul cum Dagone, deo Philisthaeorum, in eodem templo et super eodem altari manere. [108]

et in sanctis virtutibus perseverare.

97) Cf. Ex 32, 4-28. 98) Cf. 4 Rg 10, 18-28. 99) Mt 6, 24; Lc 16, 13. 100) Cf. 4 Rg 18, 4-5. 22. 101) Cf. ibid. 23, 4-24. 102) Cf. Gn 4, 13. 103) Cf. Mt 27, 3-10; Act 1, 18. 104) Cf. 4 Rg 4, 27. 105) Cf. Lc 7, 38; 10,39. 105a) S. Ambrosius *Exposit. in Evang. sec. Lucam,* lib. 2, (P. L. 15, 1575). 106) 3 Rg 18, 21. Vulg.: *Sequimini illum.* 107) Cf. 4 Rg 17, 32 sqq. 108) Cf. 1 Rg 5, 2-5.

Primum Divinae Legis praeceptum est ne Deum simul cum idolis colamus.[109] Iacob patriarcha iussit filios suos abicere omnia idola eaque in terra sepelivit, ut unum solum verum Deum colerent qui in Bethel apparuerat ei. *Convocata* enim *omni domo sua, ait: Abicite deos alienos qui in medio vestri sunt, et mundamini ac mutate vestimenta vestra. Surgite et eamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo, qui exaudivit me in die tribulationis meae et socius fuit itineris mei. Dederunt ergo ei omnes deos alienos, quos habebant, et... infodit subter terebinthum.*[110] Sic etiam Samuel ait populo: *Auferte deos alienos de medio vestri, praeparate corda vestra Domino et servite illi soli.*[111]

quia qui vitia sequitur Deo placere non potest,

Puram enim, mundam et omnino immaculatam religionem requirit Dominus; ideo hodie Christus purgat et mundat templum: *Intravit Iesus in templum... et eiciebat omnes vendentes et ementes.* Venit hodie Christus armatus, sicut rex exercitu stipatus, in templum, sicut David armatus cum suis militibus abiit contra Nabal Carmelum, avarum hominem et insipientem, iuxta nomen suum.[112] Venit armata manu in templum ut eiceret inde avaritiam, quae ad tantam insolentiam devenerat, ut Deum vellet domo sua eicere; divinitati bellum gerebat, sicut Agar dominae suae Sarae, quare opus fuit illam domo eicere una cum filio.[113] O avaritiam insolentem!

nec vera religio cum peccatis convenit.

Invenit in templo *vendentes et ementes: Eiciebat... vendentes et ementes,* dicens: *Scriptum est* quia *domus mea domus orationis* est, *vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Pecunia facta est in mundo regina rerum: *Pecuniae obediunt omnia*;[114] eo autem insolentiae progressa fuerat, ut etiam in domo Dei dominari vellet et imperare, ipso etiam Deo contempto ac flocci penso. Non potuit Christus talem tantamque ferre iniuriam; propterea armata manu venit ad eam eiciendam e domo Dei: *Eiciebat... vendentes et ementes in templo,* docens templum esse domum Dei, domum religionis ac pietatis divinae, domum orationis, non negotiationis, non *speluncam latronum,* non templum idolorum; nam avaritia *est idolorum servitus,* summa impietas est, Deum ex alto contemnit.

Ideo hodie Christus omnes eiecit de templo, quia omnes avaritiae operam dabant, quae maxima impietas est.

109) Cf. Ex 20, 2-5; Dt 5, 7-9. 110) Gn 35, 2-4. Vulg.: *Ascendamus in Bethel,* etc. 111) 1 Rg 7, 3. Vulg.: *Servite ei soli.* 112) Cf. ibid. 25, 1-13. 25. 113) Cf. Gn 21, 9-16. 114) Eccle 10, 19.

ALIA HOMILIA

Cum intrasset Iesu Ierosolymam, commota est universa civitas dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant. [1]

Manna Christum praefigurabat, quia ipse est verus panis de caelo descendens

I. Magno studio ardet hodie universa sancta civitas Ierusalem cognoscendi Christi, sicut populus in deserto cognoscendi manna ;[2] nam manna illud nonnisi Christum ipsum praefigurabat : *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi.*[3] Magnum mysterium continetur in manna ; nam, iuxta rationes secretioris theologiae Hebraeorum, unitate tantum deficit a nominibus Dei אֲדוֹנָי, יְהֹוָה, et הָאֱלֹהִים.[4] Sic Regius Vates ait : *Minuisti eum paulo minus a Deo,*[5] ut D. Hieronymus ex hebraico fonte interpretatur :[6] וַתְּחַסְּרֵהוּ מְעַט מֵאֱלֹהִים.[7] Nomen הָאֱלֹהִים [8] apud Hebraeos cum ה notificationis, ut legitur *Exodi 21,*[9] eundem explet numerum, quem אֲדֹנָי cum יְהֹוָה. Christus, ut homo, paulo minor est Deo, quia maior et superior Angelis est. Nam ait : *Omnia subiecisti sub pedibus eius.*[10] Interpretatur Paulus : Omnia praeter ipsum Deum.[11] Ipsum autem nomen hebraicum מָן, quod unitate tantum deficit a divinitate, ipsam unitatem virtute continet, א litteram post vocalem maiorem.[12] Sic sacra humanitas Christi virtute continet ipsam divinitatem, quoniam : *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis.*[13]

et humanitas eius virtute continet divinitatem.

Mirabilis supra modum videtur hodie Christus civitati Ierusalem

1) Mt 21, 10-11. 2) Cf. Ex 16, 15. 3) Io 6, 51. 4) In ms. invenitur tantum : *A nominibus Dei Adonai.* Sed cum postea nomina etiam *Elohim* et *Iehovah* afferat, putantes hic ea per oblivionem omissa fuisse, nos adiecimus. 5) Ps 8, 6. 6) *Breviarium in Psalmos,* (P. L. 26, 838). 7) Ms. : *Vattehasserehu mehath meelohim.* 8) Ms. : *Elohim,* et sic infra : *Adonai, Iehovah, Man, Aleph.* 9) Vr. 13. 10) Ps 8, 8. 11) Cf. 1 Cor 15, 27. 12) Ut cabalistica haec interpretatio intelligatur, in numeros resolvendae sunt singulae litterae horum nominum.

Et primo, אדני :	י = 10, נ = 50, ה = 4 א = 1,	summa	65.
Secundo, יהוה :	ה = 5, ו = 6, ה = 5, י = 10,	»	26.
Porro ex istis duobus simul computatis perficitur		»	91.
Tertio, האלהים : ם = 40, י = 10, ה = 5, ל = 30, א = 1, ה = 5,		»	91.

Ergo duo priora nomina simul iuncta eundem numerum explent, qui continetur in hoc posteriore. Hinc autem apparet nomen מן unitate tantum deficere ab his nominibus Dei ; nam ן : = 50, מ = 40, s. t. 90. Si vero adiciatur א = 1, מאן, sicut habetur in Talmud, habebimus s. t. 91. 13) Col 2, 9.

Christus vere admirabilis, quia verus Deus gloriae,

magnumque miraculum. Huius autem rei causas aperit Isaias dicens: *Vocabitur nomen eius admirabilis:* פֶּלֶא,[14] *miraculum*, quia *Deus, fortis, pater aeternitatis, princeps pacis*, sive *dominus felicitatis . . ., et pacis*, sive *felicitatis, non est finis.*[15] Sic responderi potest ad hoc quaesitum hodie: *Quis est hic?* sicut Moyses respondit populo de manna: *Iste est panis, quem dedit vobis Dominus ad vescendum.*[16] *Quis est hic?* Hic est *Deus, fortis, pater aeternitatis, princeps pacis*, idest Rex infinitae gloriae, sicut in *Psalmo: Quis est iste rex gloriae? Dominus virtutum*, idest Deus omnipotens, *ipse est rex gloriae;*[17] *Deus fortis*, qui decima sphaera intellectualis est supra novem choros Angelorum, sicut primum ac supremum coelum decima sphaera corporalis est; *Deus fortis*, qui in Sacris Litteris decem nominibus insignitur: שַׁדַּי • אֲדֹנָי • עֶלְיוֹן • אֱלֹהִים • אֱלֹהַּ • אֵל • יְהוָה • אֶהְיֶה • יָהּ צְבָאוֹת[18]; *Deus fortis*, qui Moysi ait: *Ego sum qui sum*,[19] primum ens quod est unum ens.

sicut declaratur ab Angelis et a Patre.

Ad quaesitum hoc aliquando nullum datur responsum. Proposuit hoc David: *Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quia visitas eum?*[20] Sed non respondit. Aliquando respondent ad hoc homines, sicut hodie turbae: *Hic est Iesus propheta.*[21] Aliquando Angeli superiores: *Quis est iste rex gloriae? Dominus virtutum ipse est rex gloriae.* Aliquando Deus ipse: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*[22] Sic in Iordane ait, aperto coelo, sic in monte sancto, transfigurato Christo, alludens ad illud *Psalmi: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*,[23] Filius consubstantialis, coaeternus, coaequalis Patri, unus verus Deus. Ergo: *Quis est hic?* Hic est verus Deus ille, qui apparuit Iacob in vertice scalae coelestis,[24] Moysi in rubo ardenti;[25] ille verus Deus, qui substantia est prima omnium et suprema essentia.

Variis modis S. Scriptura quaestionem

II. Quaesitum hoc de Christo nunc invenimus in quid, nunc in quis, nunc in qualis: Quid *est homo, quia magnificas*

14) Ms.: *Peleh*. 15) 9, 6-7. Ex hebraico. 16) Ex 16, 15. 17) 23, 8. 10.
18) Ms.: *Iah, Heieh, Iehovah, El, Eloah, Elohim, Helion, Adonai, Sadai, Zebaoth*. 19) Ex 3, 14.
20) Ps 8, 5. Vulg.: *Quoniam visitas eum*. 21) Mt 21, 11. 22) Ibid. 3, 17; 17, 5.
23) 2, 7. 24) Cf. Gn 28, 12-14. 25) Cf. Ex 3, 2.

ponit de Christo: quid sit, quis sit, qualis sit,

eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? [26] Quid *est homo, quod memor es eius?* Qualis *est dilectus ex dilecto?* [27] Qualis *est hic, quia ventis et mari imperat, et obediunt ei?* [28] Quis *est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae?* [29] Omnes fere categoriae de Christo quaeruntur. Sed Isaias ad omnia respondere videtur, referens Christi visionem: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et ea, quae sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant iuxta illum... et clamabant...: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus... exercituum; plena est omnis terra gloria eius.* [30] Vidit hic Isaias gloriam Christi, ut Ioannes ait in suo Evangelio. [31] Quis est Christus? *Vidi Dominum, Regem Dominum exercituum vidi oculis meis,* [32] *super solium excelsum et elevatum: Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos;* [33] Rex naturalis omnium creaturarum, sicut sol naturalis dominus stellarum. Naturalis princeps quoad quantitatem: *Ea, quae sub ipso erant, replebant templum, fimbriae eius,* hebraice; *Coelum et terram ego adimpleo* [34], sicut sol mundum sua luce; quem *coelum et coeli coelorum capere... non possunt,* [35] non eum capiebat templum illud augustissimum; quoad qualitatem: *Plena est omnis terra gloria eius:* fulgebat ut sol, praedicatur a Seraphim ter Sanctus et omnipotens, hoc enim est *Dominus exercituum,* Dominus omnipotens, sicut in *Apocalypsi* sancta quattuor animalia canunt: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens;* [36] quoad relationem dicitur *Dominus: Vidi Dominum*; cuius rei? Aliud est dicere: vidi Papam; aliud: vidi Episcopum. Si quis dicat se vidisse Episcopum, interrogari potest: cuius loci aut civitatis, quia multi sunt Episcopi in multis civitatibus; sed Papa unus tantum est, dominus omnium ecclesiarum; quoad actionem: *Replebat templum:* glorificabat universam terram; quoad passionem: sanctificabatur a Seraphim, sed fumum patiebatur a templo: *Domus repleta est fumo:* [37] infinita patientia Deus fert omnia mundi peccata; quoad locum: Supra templum; quoad

quia omnes categoriae praedicari possunt de Christo, sicut eruitur ex verbis Isaiae;

26) Iob 7, 17. 27) Ct 5, 9. 28) Mt 8, 27; Lc 8, 25. 29) Is 63, 1. 30) 6, 1-3. Vulg.: *Stabant super illud,* etc. 31) Cf. 12, 41. 32) Is 6, 5. 33) Ps 96, 9. 34) Ier 23, 24. Vulg.: *Ego impleo.* 35) 2 Par 2, 6. Vulg.: *Nequeunt.* 36) 4, 8. 37) Is 6, 4.

t e m p u s : *In anno, quo mortuus est rex Ozias:* [38] Deus etiam immortalis, aeternus est; quoad s i t u m : Sedebat *super solium;* quoad h a b i t u m : Indutus erat vestibus gloriae tanquam Rex gloriosissimus et Dominus Angelorum. O quam magnus Christus, quam mirabilis quoad omnes categorias! S u b s t a n t i a : Deus et homo est, verus Deus perfectus homo; q u a n t i t a t e : immensus, infinitus; q u a l i t a t e : optimus, maximus; r e l a t i o n e : verus, unicus Filius Dei, Dominus mundi, sponsus Ecclesiae, Rex Angelorum; quoad a c t i o n e m : creator, rector, servator, redemptor mundi, sanctificator Ecclesiae, glorificator paradisi; quoad p a s s i o n e m : pro salute totius generis humani, impassibilis immortalisque Deus, factus est homo passibilis, mortalis, vereque passus multa in mundo et mortuus in cruce; quoad l o c u m : in coelo est; quoad t e m p u s : vivit aeternus; quoad s i t u m : sedet ad dexteram Dei; quoad h a b i t u m : Dominus est universorum absolutissimus.

Et tamen non ad omnia quaesita de Christo respondetur; nunquam enim responsum est ad quaesitum: q u i d e s t , sed tantum ad quaesitum: q u i s e s t et q u a l i s e s t . Nam ad quaesitum: q u a l i s e s t , respondet sponsa in *Cantico: Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus, vexillarius in decem millibus,* [39] Deus et homo, princeps omnium, optimus, maximus. Ad quaesitum: q u i s e s t , respondent hodie populi, respondent Angeli, respondet ipse Christus apud I s a i a m : *Ego qui loquor iustitiam et propugnator sum ad salvandum:* [40] רַב לְהוֹשִׁיעַ. [41] *multus ad salvandum,* magnus, abundans, nedum sufficiens, sicut sol ad salvandum mundum a tenebris, *multus ad salvandum* a peccato, a morte, a satana, ab inferno. Ad quaesitum hoc etiam P e t r u s respondit dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi,* [42] ex divina revelatione; respondit Ioannes Baptista: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; ... ante me factus est,* [43] *cuius ego non sum dignus ut solvam eius corrigiam calceamenti.* [44] Sed ad quaesitum: q u i d e s t , nullibi responsum est, quoniam divina essentia et natura Christi vere est ineffabilis et incomprehensibilis: *Non ... videbit me homo et vivet; posteriora mea videbis; faciem ... meam*

sed explicari potest quis et qualis sit, non autem quid sit.

quia essentia eius vere ineffabilis est.

38) Ibid. vr. 1. 39) 5, 10. Ex hebraico. 40) 63, 1. 41) Ms.: *Rab lehosciah.*
42) Mt 16, 16. 43) Io 1, 29-30. Vulg.: *Peccatum mundi.* 44) Ibid. vr. 27.

videre non poteris.[45] Hinc Divinae Litterae de essentia Dei rarissime loquuntur, saepe vero de potentia, sapientia, bonitate, sanctitate et perfectione divina. Sic in hodierno Evangelio de Christo : *Hic est Iesus,* potens ad salvandum, *propheta,* divina supernaturali sapientia praeditus, *a Nazareth,* a sanctitate, *Galilaeae,* perfectione. Sic a posteriori cognoscitur hodie Christus quis et qualis sit.

Vere admirabilis Christus, Rex gloriae hodie super asinum sedens.

III. *Quis est hic? Vidi Dominum, regem exercituum, super solium excelsum,* supra angelicam naturam, hodie autem super asinum;[45a] sed quanto homo intellectu et mente maior est asino, tanto et multo maior Deus est Angelis; Christus autem verus Deus [est]. *Vidi Dominum,* qui ter sanctus est et omnipotens, qui mundum gloria replet, a quo omne bonum. Cupit Paulus ut Christum Regem nostrum et principem agnoscamus; quanta sit eius longitudo, latitudo, sublimitas et profundum, qualis etiam et quanta eius sit caritas, bonitas, benignitas, sanctitas;[46] ex hac enim cognitione multa oriuntur bona.

Ipsum cognoscere vera sapientia est et vita christiana.

Postquam manifestata est hodie Christi magnitudo : *Hic est Iesus,* etc., purgatum est templum, illuminati sunt caeci, rectificati ac consolidati sunt claudi. Exercuit Christus tres actus hierarchicos. Christi nanque cognitio purgat cor : *Fide purificans corda eorum,*[47] illuminat mentem, perficit animum. Fons et origo unde mala omnia oriuntur, ignorantia est : *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Corrupti sunt et abominabiles facti sunt;*[48] *Israel... me non cognovit, et populus meus non intellexit. Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis!*[49] *Non est scientia Dei in terra; maledictum et mendacium et adulterium et furtum et homicidium inundaverunt.*[50] Sic ignorantia fons et origo est omnium malorum. Agnitus autem Christus purgat templum, illuminat caecos cognitione boni et mali, ne ponant *tenebras* in *lucem et lucem* in *tenebras;*[51] rectificat ac perficit gressus tanquam cervorum,[52] ne cum Israelitis, quos Elias

45) Ex 33, 20-23. Vulg.: *Videbis posteriora mea,* etc. 45a) Cf. Mt 21, 5. 46) Cf. Eph 3, 18. 47) Act 15, 9. 48) Ps 52, 1-2. 49) Is 1, 3-4. 50) Os 4, 1-2. Vulg.: *Mendacium et homicidium et furtum et adulterium,* etc. 51) Is 1, 20. 52) Cf. Ps 17, 34; Hab 3, 19.

arguit, [53] claudicent in duas partes, adorantes nunc Deum verum, nunc Baal ; nam : *Nemo potest duobus dominis servire . . . Non potestis Deo servire et mammonae,* [54] spiritui et carni, virtuti et vitio, Christo et satanae, Deo et mundo, qui *totus in maligno positus est.* [55]

53) Cf. 3 Rg 18, 21. 54) Mt 6, 24 ; Lc 16, 13. 55) 1 Io 5, 19.

FERIA QUARTA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE

Accesserunt ad Iesum scribae et Pharisaei dicentes: Magister, volumus a te signum. [1]

Christus acriter hodie arguit Iudaeos ab eo signa de coelo petentes,

I. Dominus noster Iesus Christus – cum ille sit verus Deus qui Noe dedit signum iridis in coelo, [2] Abrahamo signum circumcisionis, [3] Moysi signa conversionis virgae in serpentem, [4] aquae in sanguinem, [5] manus sanae in leprosam et leprosae in sanam, [6] Gedeoni signa roris in area et in vellere, [7] Ezechiae signum retrocessionis descensusque solis per decem lineas; [8] qui Hebraeis multa dedit signa in Aegypto, in mari Rubro, in deserto, in terra promissionis; qui per Isaiam invitavit regem impium Achaz ut signum peteret vel de coelo vel de terra aut inferno, [9] – acriter hodie arguit Iudaeos, scribas et Pharisaeos, eo quod signum petierint ab eo: *Generatio mala et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei, nisi signum Ionae prophetae.* [10]

quia ex incredulitate et malignitate petebant quod necessarium non erat,

II. Videtur aliquando Deus contraria operari, contraria praecipere, sicut coelum motu suo diem et noctem efficit, sicut sol liquefacit nivem et glaciem in aquam et aquam maris indurat in salem, igni liquefacit ceram et indurat lutum. Deus siccavit mare [11] et Iordanem, [12] et ex petra eduxit flumen aquarum: [13] *Posuit flumina in desertum et exitus aquarum in sitim... posuit desertum in stagna aquarum et terram sine aqua in exitus aquarum.* [14] Moysi praecepit ut pedes discalcearet, [15]

1) Pericope huius diei Mt 12, 38-50. Sic legitur in Missali Rom. edit. cit. pag. 28, not. 1. Posterius autem ab Urbano VIII a. 1634 emendatum fuit iuxta Vulg.: *Responderunt Iesu quidam de scribis et Pharisaeis dicentes*, etc. 2) Cf. Gn 9, 12-17. 3) Cf. ibid. 17, 9-14. 4) Cf. Ex 4, 2-5; 7, 8-12. 5) Cf. ibid. 7, 15-21. 6) Cf. ibid. 4, 6-7. 7) Cf. Idc 6, 36 sqq. 8) Cf. 4 Rg 20, 9-11. 9) Cf. 7, 10-11. 10) Mt 12, 39. 11) Cf. Ex 14, 21-22. 12) Cf. Ios 3, 13 sqq. 13) Cf. Nm 20, 11. 14) Ps 106, 33-35. 15) Cf. Ex 3, 5.

Hebraeis ut calceati pedes agnum paschalem comederent;[16] Hebraeos iussit baculos manibus tenere,[17] Apostolos baculos non portare.[18] Sic praecepit Achaz ut signum de coelo peteret, et nunc acerbe arguit Iudaeos, quia de coelo signa petivere.

sicut Hebraei in deserto aquam petierunt a Moyse.

Sed egit cum his Christus sicut Moyses cum Hebraeis, quando petierunt ab eo panem, quo vere opus habebant ne fame perirent in deserto: nil eos coarguit, sed ad Deum abiit manifestans Deo necessitatem populi, et manna de coelo eis obtinuit;[19] at, cum petierunt aquam, severe eos increpavit dicens: *Audite, rebelles et increduli: num de petra hac vobis aquam poterimus eicere?*[20] Aqua enim non vere opus habebant, nam manna simul et famem explebat et levabat sitim; sed tentantes Deum petierunt aquam. Hinc, sicut in *Exodo* legimus,[21] appellavit Moyses locum illum: *Tentatio . . ., quia,* inquit, *tentaverunt Dominum dicentes: Est ne Deus in nobis an non?* Sic Dominus arguit scribas et Pharisaeos, quia non petebant necessaria ad salutem. Hinc adducit exemplum Ninivitarum, qui, nullis visis miraculis, Ionae crediderunt et poenitentiam egerunt;[22] exemplum reginae Sabaeorum, quae venit a longissime distantibus regionibus ad audiendam sapientiam Salomonis, qui nulla miracula faciebat.[23]

Moyses enim fide dignus omnino erat ob sanctitatem,

Arguit Moyses Hebraeorum duritiem et incredulitatem, dolens quod, cum tot tantisque signis legationem suam suamque doctrinam et divinam legem confirmasset, adhuc tamen dubitabant de eo, adhuc non credebant; hinc *rebelles et incredulos* appellavit. Sic et Christus hodie. Nam, sicut misit Deus Moysen pro salute Hebraeorum, sic misit Christum; et sicut Moysi, ut dignus esset fide, tribuit divinam quandam sanctitatem, Spiritus Sancti copiosum munus – nam tulit Deus de spiritu Moysi et dedit septuaginta senioribus;[24] hoc splendor faciei ipsius designabat,[24a] hoc quod ait: *Constitui te deum Pharaonis;*[25] – praeterea, ut dignus aptusque esset Hebraeorum doctor, magister et legislator, divinam contulit sapientiam: *Ego ero tecum in ore tuo et docebo te quid loquaris,*[25a] et tandem, ad confirmandam doctrinam suam pro veritatis testimonio, ad fidem sibi conciliandam, dedit ei virtutem

divinam sapientiam et potestatem supernaturalem.

16) Cf. ibid. 12, 11. 17) Cf. ibid. 18) Cf. Mt 10, 10. 19) Cf. Ex 16, 1 sqq.; Nm 11, 1-7. 20) Nm 20, 10. 21) 17, 7. 22) Cf. Mt 12, 41. 23) Cf. ibid. vr. 42. 24) Cf. Nm 11, 16-17. 24a) Cf. Ex 34, 29-35. 25) Ibid. 7, 1. 25a) Ibid. 4, 12. Vulg.: *Doceboque te.*

et potestatem supernaturalem ad facienda miracula, quod ante Moysen nulli hominum concesserat;[26] ita quoque tria haec Christo dedit.

Christus etiam eadem fide dignissimus erat, quia sanctissimus, sapientissimus et potentissimus.

Hanc ob causam Christus hodie seipsum comparat Ionae ob vitae puritatem et Spiritus Sancti plenitudinem, Ionas enim columba interpretatur, et Spiritus Sanctus in columbae specie super Christum descendit et mansit[26a]; propter sapientiam divinam comparat seipsum Salomoni, et propter divinam miraculorum potestatem utroque maiorem se dicit: *Ecce plus quam Ionas hic... Ecce plus quam Salomon hic.*[27] Neuter enim horum operatus fuit miracula; Christus autem ait: *Si non venissem et locutus eis fuissem* et fecissem in eis signa, *quae nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*[28] Hac igitur de causa tam acerbe increpat: *Generatio mala et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei, nisi signum Ionae prophetae.*

Maxime Deo displicet incredulitas, placet autem sincera fides.

Displicet supramodum Christo, displicet Deo incredulitas et perfidia, placet autem puri et candidi animi simplex et sincera fides; propterea enim hodie extendens manus in discipulos suos, dicit: *Ecce mater mea et fratres mei; quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse meus frater et soror et mater est.*[29] Ita, inquit, fide pura delector, ut fideles me diligant, sicut homo coniunctissimos sibi diligere solet, fratres, sorores, matrem; imo sicut mater unicum filium suum diligit: *Nunquid potest mulier oblivisci infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Sed si ipsa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.*[30]

Absoluta antithesis est fidei et incredulitatis.

III. Habemus in hodierno Evangelio perfidiam et fidem, perfidos scribas et Pharisaeos, fideles autem Christi discipulos; habemus duos populos: Aegyptiorum et Hebraeorum, Chananaeorum et Israelitarum, filios Esau et filios Iacob; habemus cives Babylonis et cives Ierusalem; habemus mysticos Iudaeos et Samaritanos, mysticos Cain et Abel, Ismael et Isaac, Esau et Iacob; praedestinatos et praescitos, electos et reprobos, iustos et peccatores, oves et haedos, filios Dei et filios satanae, heredes civesque paradisi et inferni. Discrimen autem inter

26) Cf. Dt 34, 10 sqq. 26a) Cf. Mt 3, 16; Mc 1, 10; Lc 3, 22; Io 1, 32-33. 27) Mt 12, 41-42. 28) Io 15, 22-23. Vulg.: *Locutus fuissem eis*, etc. 29) Mt 12, 49-50. 30) Is 49, 15. Vulg.: *Nunquid oblivisci potest mulier... Et si illa oblita*, etc.

eos est pura vivaqua fides et incredula perfidia aut perfida incredulitas. Lux et tenebrae discernebant in Aegypto Hebraeos et Aegyptios; ubi erant Hebraei, lucis erant splendidissimi radii; ubi autem Aegyptii, tenebrae palpabiles, horribilissimae.[31] Fides pura lux est, quam Deus primo die creavit;[32] incredulitas et perfidia, *tenebrae... super faciem abyssi.*[33] Inter castra Hebraeorum et Aegyptiorum columna ignis et nubis discrevit, quae Hebraeis quidem lucida erat, Aegyptiis autem tenebrosa;[34] sic viva fides discrevit inter electos et reprobos. Fides viva arbor vitae est:[35] *Haec est... voluntas* Dei, *ut omnis, qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam;*[36] *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam;*[37] incredulitas autem et perfidia, arbor mortis: *Qui non credit iam iudicatus est.*[38]

Habemus autem in hodierno Evangelio utriusque fructus, tum perfidiae tum fidei. Et in primis quidem, sicut fides virtutum omnium basis et fundamentum est, ut Paulus ait,[39] ita incredulitas malorum omnium radix. Hinc Habacuc propheta, veluti compendio colligens hodierni Evangelii mysteria, dixit: *Qui fuerit incredulus, non erit recta anima eius in semetipso; iustus autem in fide... vivet.*[40] Si radix arboris viva fuerit et fecunda, possunt sperari ex ea fructus; si autem mortua et corrupta fuerit, impossibile est ut fructus percipiamus ex ea. Radix omnium malorum fuit, quoniam Adam et Eva, decepti a serpente,[41] verbis eius potius crediderunt quam Dei. Hinc nascimur omnes sine fide, cum incredulitate, quae ob peccatum illud veluti connaturalis facta est homini, ut natura tardissimus sit ad credendum divina, quae oculis impervia sunt nec sensibus patent. Unde Thomas: *Nisi videro... non credam.*[42] Cui Dominus: *Noli esse incredulus, sed fidelis.*[43] Sic exprobravit incredulitatem Apostolorum,[44] et discipulis euntibus in Emmaus dixit: *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quae locuti sunt Prophetae!*[45] Hinc Moyses, imo Deus ipse tantopere arguit duritiam cordis et incredulitatem Hebraeorum.[46]

quia fides fundamentum est omnium virtutum.

incredulitas autem radix omnium malorum.

Ex peccato primorum parentum, quod ab incredulitate quadam,

31) Cf. Ex 10, 22-23. 32) Cf. Gn 1, 3. 33) Cf. ibid. vr. 2. 34) Cf. Ex 13, 21-22; 14, 19-20. 35) Cf. Gn 2, 9. 36) Io 6, 40. 37) Ibid. 3, 15. 38) Ibid. vr. 18. 39) Cf. Hebr 11, 1 sqq. 40) 2, 4. Vulg.: *Qui incredulus est*, etc. 41) Cf. Gn 3, 1-6. 42) Io 20, 25. 43) Ibid. vr. 27. 44) Cf. Mc 16, 14. 45) Lc 24, 25. 46) Cf. Ex 32, 9; 33, 3. 5; 34, 9; Lv 20, 10; Dt 1, 26 sqq.; 9, 6. 13; 31, 27; 32, 5-6. 28.

Patet hodie in Pharisaeis, qui ad Christum accedunt sine reverentia.

ut diximus, originem sumpsit, orta est concupiscentia carnis, voluntas inordinata et mala, quae voluntas propria dicitur, divinae voluntati minime conformis; inde vanitatum appetentia. Et ecce in hodierno Evangelio malus hic fructus in scribis et Pharisaeis. Accedentes ad Christum dicunt: *Magister, volumus a te signum videre.* Accedunt sine reverentia, quam Deus a Moyse requisivit: *Ne appropies... huc; solve calceamenta de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est;* [47] et Angelus a Iosue eandem reverentiam exhiberi sibi voluit; [48] cuius causa etiam sacerdotes lotis nudisque pedibus sanctuarium Domini ingrediebantur. [49] Hi autem absque ulla reverentia ad Christum accedunt.

cum tanquam verum Deum non agnoscentes;

Nam qui regem non noverunt in venatorio habitu, si in campo inveniant aut obvium habeant, minime reverentur. Deus in hac vita nonnisi per fidem vere agnoscitur, licet per rationem nonnihil etiam cognosci possit. Christus autem *Deus* erat *absconditus,* [50] ab incredulis Iudaeis non agnoscebatur. Orta est ex peccato in intellectu ignorantia divinorum maxime, et in voluntate inordinatus affectus. Sic Pharisaei, ignorantes divinam Christi maiestatem, accesserunt ad Christum, nec divinam ipsius omnipotentiam agnoscentes, *tentantes,* ut Lucas habet, *signum petebant ab eo,* sed *signum de coelo,* [51] qualia fuerunt signa Moysi in Aegypto, signum Iosue, qui solem et lunam in coelo stare fecit a motu, [52] sicut signum Samuelis, [53] Eliae [54] et aliorum, [55] quasi haec Christus praestare minime posset, quae tamen in cruce praestitit. [55*]

ideo non exaudiuntur, quia non serio, sed tentantes signa ab eo petunt.

Sic *tentantes,* non serio, sed ioco, tanquam illudere volentes; vel, si serio, eum minime posse certo existimantes, signum coeleste petunt, miraculum inane, ad pascendos oculos, absque ulla utilitate, ad satisfaciendum appetitui ipsorum. Altera etiam vice signum de coelo petierunt a Domino scribae et Pharisaei, [56] sed non obtinuerunt pro libito; nam Deus. *Voluntatem timentium se faciet et deprecationem eorum exaudiet et salvos faciet eos;* [57] sed: *Non sic impii non sic;* [58] *Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret; ad Dominum, nec exaudivit eos.* [59]

47) Cf. Ex 3, 5. 48) Cf. Ios 5, 16. 49) Cf. Ex 29, 4; 30, 17-21; 40, 12. 29-30; Lv 6, 27; 8, 6. 50) Is 45, 15. 51) 11, 16. Vulg.: *Quaerebant ab eo.* 52) Cf. Ios 10, 12-14. 53) Cf. 1 Rg 12, 18-19. 54) Cf. 3 Rg 18, 38. 44-45; 4 Rg 1, 10-12. 55) Cf. Ios 10, 12-14; 4 Rg 6, 17 sqq.; 1 Par 21, 26; 2 Mach 1, 22. 55*) Cf. Mt 27, 45-54. 56) Cf. Mc 8, 11. 57) Ps 144, 19. 58) Ps 1, 4. 59) Ps 17, 42.

IV. Incredulitas apud Deum nullam meretur misericordiam, nullam invenit gratiam, sed indignationem et iram. Hinc ait: *Generatio mala et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei.* In quibus verbis ostendit Dominus quod ex incredulitate oriuntur non tantum vitia mentis, verum etiam carnis. Oritur mala vita: *Generatio mala et adultera* in oculis Dei et hominum, quales nunc manifeste sunt increduli et perfidi Iudaei, qui in Christum credere noluerunt; *pessimam* etiam *generationem* appellavit: *Sic fiet generationi huic pessimae,* [60] quoniam iniquitas proficit semper in peius, sicut mortalis infirmitas: *Unusquisque... tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus; concupiscentia autem, cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem;* [61] sic Lazarus infirmus moritur, sepelitur et fetet quatriduanus in monumento. [62] Crescit in summum malitia cordis; sic malitia Ninive, cum viveret in incredulitate, ascendit coram Domino, adeo ut digna esset subversione. [63]

Incredulitatis fructus: nullam a Deo meretur gratiam, sed iram;

ex ea oriuntur vitia mentis et carnis,

Sed adhuc alius oritur fructus ex perfida incredulitate: obstinatio in malum et impoenitentia: *Viri Ninivitae surgent in iudicio contra generationem istam..., quia poenitentiam egerunt in praedicatione Ionae,* [64] non autem perfidi Iudaei in praedicatione Christi: *Ecce plus quam Ionas hic.* Praedicavit autem Christus poenitentiam dicens: *Poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum coelorum.* [65]

obstinatio in malum et impoenitentia,

Adhuc alius malus fructus ex hac radice exoritur: contemptus bonorum spiritualium coelestisque et divinae sapientiae: *Regina Austri surget in iudicio contra generationem istam,... quia venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis; et ecce plus quam Salomon hic,* [66] quoniam in Christo erant *omnes thesauri sapientiae et scientiae* [67] Dei. Iudaei autem ob perfidam incredulitatem contempserunt doctrinam et sapientiam fidemque ipsius noluerunt accipere, similes patribus eorum qui ad coelestem mannam nauseabant, nec nisi carnes et fructus terrae Aegypti appetebant, [68] multoque ad terrena quam ad coelestia, ad carnalia quam ad spiritualia, ad mundana quam ad divina propensiores fuere semper; imo ad idolorum cultum quam ad Dei

contemptus bonorum spiritualium et concupiscentia corporalium,

60) Mt 12, 45. Vulg.: *Sic erit et generationi,* etc. 61) Iac 1, 14-15. Vulg.: *Deinde concupiscentia, cum conceperit,* etc. 62) Cf. Io 11, 1-39. 63) Cf. Ion 1, 2; 3, 4. 64) Mt 12, 41. Vulg.: *Surgent... cum generatione ista,* etc. 65) Mt 4, 17. 66) Ibid. 12, 42. Vulg.: *Surget... cum generatione ista,* etc. 67) Col 2, 3. 68) Cf. Nm 11, 1-6; 21, 5.

religionem et pietatem procliviores, ad terram Aegypti quam ad terram promissionis sanctam. [69]

transformatio hominis ex templo Dei in habitaculum daemonum,

Adhuc autem et alius est fructus perfidae incredulitatis : hominem enim ex templo Spiritus Sancti facit habitationem daemonum, stabulum infernalium bestiarum. Sic Dominus ait : *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida et inaquosa quaerens requiem et non inveniens . . . tunc vadit et assumit septem alios spiritus . . . nequiores se, et ingressi habitant ibi; et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus. Sic fiet generationi huic pessimae.* [70] Hinc Ioannes de Iudaeis in *Apocalypsi* dixit quod *sunt synagoga satanae;* [71] et item: *Corpora eorum iacebunt in plateis civitatis magnae, quae vocatur spiritualiter Sodoma et Aegyptus, ubi . . . Dominus crucifixus est.* [72] Hominem facit ex paradiso infernum ; nam paradisus est ubi Deus, infernus autem ubi daemon inhabitat.

et tandem aeterna damnatio,

Tandem, ultimus fructus, aeterna damnatio : *Viri Ninivitae surgent in iudicio contra generationem istam et condemnabunt eam . . ., regina Austri surget in iudicio contra generationem istam et condemnabit eam.* O damnatio ! De illa utique loquitur, qua damnaturus est reprobos ad aeterna inferni supplicia : *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius.* [73] Sic legimus quod *venit diabolus et tollit verbum* Dei *de corde* hominum, *ne credentes salvi fiant,* [74] idest ut in aeternum pereant.

quia incredulitas excaecat corda pravis affectibus,

Hi igitur sunt fructus pessimi incredulitatis et perfidiae, quae excaecat mentes hominum, ut non effulgeat eis lux divinae veritatis, sicut Paulus ad *Corinthios* ait : *Si . . . opertum est Evangelium nostrum, . . . iis qui pereunt opertum est, in quibus deus huius saeculi excaecavit mentes infidelium, ut non effulgeat eis illuminatio Evangelii gloriae Christi.* [75] Increduli enim a Deo in reprobum sensum traduntur, sicut de Iudaeis manifeste per Isaiam ait : *Excaeca cor populi huius . . . ne . . . oculis videant et auribus audiant et corde intelligant et convertantur et sanem eos.* [76] Sic *obscuratum est insipiens cor* [77] infidelium Iudaeorum. Est intellectus in anima sicut oculus in corpore :

69) Cf. Ps 105, 19-39. 70) Mt 12, 43-45 cum Lc 11, 24. Vulg.: *Sic erit et generationi*, etc. 71) 2, 9. 72) 11, 8. 73) Mt 25, 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti*, etc. 74) Lc 8, 12. 75) 2 Cor 4, 3-4. Vulg.: *Iis qui pereunt est opertum... ut non fulgeat illis*, etc. 76) 6, 10. Ex Translat. Septuaginta. 77) Rom 1, 21.

oculus aliquando non videt vel quia caecus est, vel male affectus, male dispositus, vel quia valde debilis ut non videat valde distantia, vel tandem quia externum lumen non habet quo ad videndum opus est. Animus autem humanus pravis affectibus impeditur ne videat splendidam veritatis lucem. Hinc Christus aiebat : *Quomodo ... potestis credere, qui gratiam ab invicem accipitis, et gloriam, quae a ... Deo est, non quaeritis?* [78] Sicut oculus per ocularia colorata non potest videre et recte de coloribus iudicare, ita nec animus pravis affectibus impeditus. Unde ait Deus quod munera excaecant oculos sapientum. [79] Qui autem Deum et Christum vere non cognoscit, nec diligere potest ignotum ; sed : *Qui non diligit, manet in morte,* [80] reus est perditionis aeternae.

ne videant veritatis lucem.

V. Verum, multiplex etiam fructus fidei purae et sanctae habetur. Nam ipsa nos facit Christo dilectos et caros tanquam fratres et sorores: ergo filios Dei ; quod *si ... filii,* inquit Paulus, *et heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* [81] Facit igitur nos capaces salutis aeternae : *Accipientes finem fidei vostrae salutem animarum* [82] vestrarum. Imbuit nos Dei veri cognitione et amore ; constituit nos iudices in die iudicii, sicut Ninivitas et reginam Austri ; principium est poenitentiae, nam Ninivitae, quia crediderunt, et egerunt poenitentiam ; facit nos avidos divinae sapientiae, sicut regina Saba ; facit etiam nos de habitaculo daemonis templum Spiritus Sancti, mundatum et ornatum ; ait enim : *Cum ... immundus spiritus exierit ab homine,* utique per fidei sacramentum, invenit domum hanc *scopis mundatam et ornatam,* nam Deus fide purificat corda ; [83] et sicut ipsa incredulitas facit animam peccati servam et satanae concubinam, unde dicitur a Domino : *Generatio mala et adultera,* ita, per oppositum, fides eam facit liberam sponsam ipsius Dei : *Desponsabo te mihi in fide.* [84]

Fructus fidei: anima redditur Christo dilecta,

templum Spiritus Sancti, heres regni coelestis.

Sic, fratres, habemus in hodierno Evangelio arborem utique vitae et arborem mortis. Periit Adam, quia de arbore mortis, non vitae, satana ipso suggerente, voluit gustare ; [85] periit synagoga Iudaeorum – quis ruinam eius non videt? quis? – sed ob eandem causam, quia

Ne ergo cum Iudaeis pereamus, veri Christi fideles satagamus esse.

78) Io 5, 44. Vulg.: *Gloriam,* loco: *Gratiam.* 79) Cf. Eccli 20, 31. 80) 1 Io 3, 14.
81) Rom 8, 17. 82) 1 Petr 1, 9. Vulg.: *Reportantes finem,* etc. 83) Cf. Act 15, 9.
84) Os 2, 20. Vulg.: *Sponsabo.* 85) Cf. Gn 3, 1 sqq.

in Christum credere noluerunt. Videamus et satagamus nos, fratres mei, ut veri discipuli et sequaces, veri Christi fideles simus, alioquin cum ipsius Dei hostibus Iudaeis peribimus; non salvi erimus cum Ninivitis, cum regina ipsa Saba ; non statuemur ad dexteram Christi cum electis, sed ad sinistram cum ipsis reprobis.[85a] Caveamus ne fiant *novissima* nostra *peiora prioribus.*

Multa media ad salutem instituta sunt, naturalia et supernaturalia,

VI. Aiunt impii Pharisaei : *Magister, volumus a te signum videre.* Multi salvari volunt per miraculum, per viam utique extraordinariam; sicut homo qui vivere vellet, sed per miraculum, ut illi plueret Deus manna suave de coelo, sicut olim Hebraeis, [86] ut aquam educeret de petra [87] et in vinum mutaret miraculo. [88] Sed sicut providit Deus pro vita et salute corporis, tempore tum sanitatis tum infirmitatis, quaedam ordinaria media ; ita etiam pro salute animae instituit naturalia dona: intellectum ad cognoscendum bonum et malum, voluntatem cum naturali desiderio boni et odio mali; dedit Sacramenta, fidem, Scripturas, sanctos libros, praedicatores, doctores, patres spirituales ; dat etiam internas inspirationes : *Sto ad ostium et pulso.*[89] Ne his mediis et auxiliis abutare, ne contemnas ! Nam contemptus iste impedit maiora Dei auxilia, favores et gratias, sicut spinae suffocantes in agro frumentum impedimento sunt ne crescat et afferat fructus. [90] Si aes in ignem mittatur, ut statua aliqua ex eo fundatur, et, priusquam liquefactum sit, removeatur ab igne vel ignis sinatur extingui, non poterit suscipere optatam formam.

non utique spernenda, ne etiam maiora auxilia amittantur.

VII. *Generatio mala et adultera.* Sicut in mundo non solum tenebrae et nox reperitur, verum etiam lux et dies ; ita in hodierno Evangelio reperitur perfida incredulitas Iudaeorum contra Christum, et sancta fides discipulorum : *Extendens manus in discipulos suos,* [91] sicut columna inter duos exercitus. [92]

Duae classes peccatorum ostenduntur hodie: poenitentium in Ninivitis, impoenitentium in Iudaeis.

Duo sunt genera peccatorum in hodierno Evangelio : Iudaei et Ninivitae, poenitentes et impoenitentes, praeter iustos : Ionam, Salomonem, reginam Sabam. Iusti salvantur et peccatores poenitentes ; impoenitentes vero damnantur, reprobi sunt. Magnum autem est

85a) Cf. Mt 25, 31 sqq. 86) Cf. Ex 16, 13-15. 87) Cf. Nm 20, 11. 88) Cf. Io 2, 7-10. 89) Apc 3, 20. 90) Cf. Mt 13, 7. 22; Mc 4, 7. 18-19 ; Lc 8, 7. 14. 91) Mt 12, 49. Vulg.: *Manum.* 92) Cf. Ex 13, 21-22.

reprobationis signum quando peccator redit ad peccatum, sicut *canis... ad vomitum.* [93] Patet in Pharaone, in Saul contra David.

Signum a Christo promissum est eius resurrectio et conversio mundi ad fidem;

Signum non dabitur, nisi signum Ionae prophetae, signum resurrectionis, signum conversionis mundi. Si nautae, qui de navi miserunt Ionam in mare eunque viderunt a cete devorari, [94] ivissent in civitatem Ninive et videntes talem tantamque conversionem, petissent quisnam in causa extitisset talis mutationis, audito quod Ionas, an potuissent non mirari? Ionam nos ipsi misimus in mare, ipsis oculis vidimus eum devorari a pisce. Quomodo ergo venit in hanc civitatem? Quomodo talia operatus est? Opus Dei est! opus Dei est! miraculum! miraculum! Ita plane visus est Christus crucifixus, mortuus et sepultus, maxima cum ignominia relictus ab omnibus. Quis ergo convertit mundum? Quis convertit primos christianos, Apostolos, discipulos Christi? Quis Paulum? Mortuum suscitare et occisum, non potest, nisi Deus; nulla creatura potest. Deus ergo Christum suscitavit; ergo Christus electus Dei, dilectus Dei, verus propheta, verus Messias, vera eius fides in destructionem peccati omnisque vitii in favorem omnis virtutis, contra diabolum in favorem Dei. O vere evidentissimam, clarissimam, certissimam plus quam mathematicam demonstrationem! Quis non hic luce clarius videt christianae fidei veritatem?

hac testantur eius divinitatem et fidei veritatem.

Figura Christi fuit Salomon, qui templum aedificavit in quo solo fieri poterant sacrificia;

Designatur Christus per Salomonem, qui templum aedificavit; quo constructo, cessavit penitus tabernaculum Moysi; arca inde in templum translata fuit; [95] non poterant amplius offerri sacrificia in illo, sed tantum in templo; [96] et gratum fuit sacrificium Salomonis, nam descendit ignis de coelo et devoravit illud. [97] Sic hodie nonnisi in Ecclesia Christi sacrificatur Deo, et per Malachiam Deus ait gratum sibi esse hoc sacrificium. [98] Designatur per Ionam, qui Ninivitis non praedicavit circumcisionem, non legem Moysi, sed tantum poenitentiam et veram religionem, cognitionem et cultum veri Dei; [99] ita Christus haec praedicavit mundo. Dicit hebraeus Christum non esse verum prophetam, quia non praedicavit circumcisionem et legem Moysi; sed neque Ionas Ninivitis: num propterea falsus propheta fuit? non rem Deo gratam egit? non laude magna dignus fuit?

figura Christi fuit Ionas, qui poenitentiam et cultum Dei praedicavit.

93) 2 Petr 2, 22. 94) Cf. Ion 1, 15. 95) Cf. 3 Rg 8, 1 sqq.; 2 Par 5, 2 sqq.
96) Cf. Dt 12, 5-6. 13; 16, 2; 2 Par 7, 12. 97) Cf. 2 Par 7, 1-3. 98) Cf. 1, 11.
99) Cf. Ion 3, 1-4.

Incredulitas miraculis non flectitur ad fidem; hoc patet in Aegyptiis qui Moysi non crediderunt;

VIII. *Magister, volumus a te signum videre. Tentantes signum de coelo petebant ab eo* [99a] scribae et Pharisaei. Sicut Aegyptii, multa cum vidissent miracula Moysi, a diabolo tamen fascinati non crediderunt ei ut, relicta idololatriae superstitione et divina religione suscepta, salvarentur, sed in mari Rubro postea, salvatis Hebraeis, misere perierunt; [100] ita Iudaei, visis innumeris miraculis Christi, in eum credere minime voluerunt. Licet bonum semen, purissimum triticum seminetur in arena et copiosa suis temporibus descendat pluvia, fructum tamen nullum reddit; ubi bona terra, decuplicatum reddit.

ideo Moyses figura fuit Christi, in quem reprobi Iudaei credere noluerunt;

Fuit Moyses singularis figura Christi; Messias enim propheta similis Moysi in Lege promissus erat, [101] similis vita, doctrina, miraculis, beneficiis. Sicut autem Aegyptii, qui non erant de populo electo, non crediderunt Moysi, visis miraculis divinis per eum patratis, ita nec reprobi Iudaei crediderunt in Christum: *Vos*, inquit, *non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* [102] Non crediderunt Aegyptii Moysi, quoniam existimabant ipsum magum esse; sic et Iudaei a satana excaecati, autumabant de Christo: *In Beelzebub principe daemoniorum eicit daemonia.* [103]

crediderunt autem electi, sicut Moysi populus fidelis.

Sicut tamen omnes Hebraei, qui erant populus Dei electus, crediderunt Moysi; ita omnes electi Dei crediderunt in Christum, sicut in *Actis Apostolorum* legimus: *Crediderunt quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam.* [104] Ita in hodierno Evangelio legimus scribas et Pharisaeos incredulos in Christum perfide credere nolentes, discipulos vero credentes: *Extendens manum in discipulos suos* dicebat: *Ecce mater mea et fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse*, etc. [105] Sic medius est hodie Christus inter incredulos et credentes, sicut Moyses inter Aegyptios et Hebraeos, *stella splendida et matutina* [106] inter lucem diei et tenebras noctis.

Moyses fuit verus Dei propheta; Christus autem princeps Prophetarum,

Ex tribus tamen agnitus fuit Moyses ab Hebraeis verus Dei nuncius et legatus: a sanctitate vitae, religione et pietate in Deum; ex veritate et sanctitate doctrinae, maxime ex veraci spiritu prophetiae; tandem, ex ipsis miraculis; et tria haec signa dantur in *Deuteronomio* ad dignoscendum verum prophetam a falso.[107] Sic et Christus, sicut Moyses, princeps Prophetarum: *Ecce plus quam Ionas hic:... Ecce plus quam*

99a) Lc 11, 16. Vulg.: *Quaerebant ab eo.* 100) Cf. Ex 14, 24 sqq. 101) Cf. Dt 18, 15. 102) Io 10, 26. 103) Lc 11, 15. 104) 13, 48. 105) Mt 12, 49-50. 106) Apc 22, 16. 107) Cf. 18, 18-22.

Salomon hic. De Moyse tria tantum legimus: sanctitatem vitae, quia servus Dei sanctissimus; veritatem doctrinae, quia legem divinam docuit; et miraculorum operationem.[108] Et vera haec esse oportet; nam alioquin non credidissent in eum Hebraei; nunc autem manifestum est quod in hunc usque diem credunt in eum. Quomodo enim secuti fuissent hominem ignobilem, pauperem, ineloquentem, pastorem ovium? Sic tria haec legimus de Christo, et vera esse oportet; alioquin quomodo credidisset in eum mundus? Nunc autem manifestum est quod credit in Christum, qui homo fuit pauper, hominum opinione ignobilis, filius fabri,[109] imo homo inter latrones crucifixus,[110] sine miraculis credere talem hominem verum Dei Filium et tanquam verum Deum adorare? Si quae in Evangelio scribuntur de Christo falsa sunt, quomodo qui primi crediderunt in Christum, a quibus veluti a vivis fontibus ad nos usque fides derivavit, credere potuerunt tam aperta mendacia, et ita credere ut pro fide hac sustentanda ipsam etiam vitam et sanguinem filiorum prodegerint? Sic Christus creditur maior Iona, maior Salomone, quia verus Deus creditur, unigenitus Filius Dei, Salvator mundi.

quia divinitatem suam miraculis certissimis confirmavit,

sine quibus mundus in hominem non credidisset.

IX. Ostenditur autem Christus verus Messias a veracibus praedictionibus et vaticiniis. Multa enim praedixit de seipso,[111] de Apostolis suis,[112] de Ecclesia sua,[113] de synagoga Iudaeorum,[114] de mundo ipso, quod convertendus esset ad fidem ipsius,[115] sicut Ninive. Significatur hodie Christus per Salomonem, qui prophetatus fuit Davidi nasciturus, quod futurus erat rex, quod regnaturus in summa pace, quod aedificaturus erat templum Domini, quod appellandus erat *pacificus*, quod est Salomon.[116] Cum autem haec omnia in ipso evenerint sicut praedicta fuerant, ipse igitur vere fuit ille Davidi ante promissus filius. Sic de Christo impleta sunt omnia vaticinia quae de vero Messia praedicta erant, licet incredibilia viderentur. Sicut promissio facta Abrahamo de Isaac, quod ex centenario sene et nonagenaria vetula

Verus Messias ostenditur Christus ex ipsis suis praedictionibus,

et ex vaticiniis de eo factis et in eo impletis.

108) Cf. ibid. 34, 10-12; Eccli 45, 1 sqq. 109) Cf. Mt 13, 55; Mc 6, 3. 110) Cf. Mt 27, 38; Mc 15, 27; Lc 23, 33. 111) Cf. Mt 16, 21; 17, 22; 20, 19; 26, 32; Mc 8, 31-32; 9, 8-12; Lc 9, 22; 18, 33; Io 2, 19; 12, 32. 112) Cf. Mt 10, 17-23; 24, 9; 26, 34; Mc 13, 8-13; 14, 27-30; Lc 21, 12 sqq.; Io 15, 18-21. 113) Cf. Mt 16, 18. 114) Cf. Lc 19, 41-44; 21, 20-24; 115) Cf. Mt 24, 5 sqq.; Mc 13, 6 sqq. 116) Cf. 2 Rg 7, 12-14; 1 Par 17, 11-14; 22, 9.

nasciturus erat filius, incredibilis res visa fuit Abrahamo, et tamen ita accidit.[117] Promissio item hereditatis terrae Chanaan incredibilis visa eidem fuit; exitus tamen veram promissionem comprobavit.[118] Ita plane accidit in vaticiniis Christi.

Ionas et Salomon designabant duplicem Christi statum:

In hodierno Evangelio post Ionam ponitur Salomon, ad designandos duos status personae Christi: statum humilitatis ante mortem, et statum gloriae post mortem. Sed quomodo pervenit Christus ad gloriam Salomonis? Per mortem turpissimam: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem... crucis; propter quod et Deus exaltavit illum.*[119] Quis unquam turpi et infami morte paravit sibi gloriam immortalem, aeternam, nunquam interituram? Christus. O magnum miraculum! Mirabile est opus quod fit instrumento aliquo ad tale opus inepto; quod pictor carbone tantum usus pingeret regem in maiestate vivis coloribus ad naturale, miraculum videretur, quia non potest carbo niger colores illos reddere. Sic fuit crux Christi, et tamen: *Ecce plus quam Salomon hic;* hoc est *signum Ionae prophetae,* hoc miraculum miraculorum. Quod virga Moysi aquas Aegypti in sanguinem converteret,[120] solem in coelo obscuraret,[121] mare Rubrum aperiret,[122] flumen aquae de petra educeret,[123] miracula dicimus, quia non erat instrumentum aptum ad haec. Sed quod crux Christi talem tantamque gloriam pepererit Christo, Apostolis, Ecclesiae, quod mundum ad Christi crucifixi fidem converterit, summum miraculum est.

humilitatis ante mortem, et gloriae post mortem.

ALIA HOMILIA

Magister, volumus a te signum videre... Generatio mala et adultera signum quaerit.[1]

Impudens Pharisaeorum petitio ad indignationem Christum movet.

I. Iusta indignatione et ira commotus videtur Christus contra scribas et Pharisaeos, petentes novum signum et miraculum ad probandum se esse verum Messiam, quasi non fuerit operatus sufficientia miracula ad veritatem hanc confirmandam et demonstrandam; sicut Moyses indignatus fuit contra Hebraeos novum aquae miraculum quaerentes,[1a]

117) Cf. Gn 18, 10-15; 21, 1-7. 118) Cf. ibid. 12, 7; 13, 14-17; 15, 18-21; 17, 8; Ex 33, 1-4; Dt 34, 4. 119) Phil 2, 8-9. 120) Cf. Ex 7, 19-21. 121) Cf. ibid. 10, 21-23. 122) Cf. ibid. 14, 21. 123) Cf. ibid. 17, 6; Nm 20, 11.

1) Mt 12, 38-39. 1a) Cf. Ex 17, 2-7; Nm 20, 2-10.

sed tentando an Deus esset cum eis, quasi Moyses non fuisset operatus miracula quae ad hoc satis essent, ut firmiter crederent ipsum verum esse prophetam a Deo missum.

Miracula testimonium sunt veri prophetae;

Signum et miraculum petunt scribae et Pharisaei, legis doctores; sciebant enim ex Lege et Prophetis quod Messias facturus erat magna miracula sicut M o y s e s; nam ait: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis suscitabit tibi Dominus Deus tuus sicut me: ipsum audies.* [2] Propheta autem divinis miraculis tenebatur confirmare doctrinam suam ad conciliandam sibi fidem, sicut in veritatis firmum testimonium in pontificiis diplomatibus et regiis litteris opus est sigillis, sine quibus litterae nihil valent. Sic miracula fecit Moyses, Iosue, [2a] Samuel, [3] Elias, [4] Eliseus, [5] Isaias [6] et alii prophetae. [7] De Christo autem specialiter legimus apud I s a i a m: *Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis.* [8] *Consiliarius* dicitur ratione legis, quam laturus erat; nam de Christo idem V a t e s ait: *Dominus legifer noster, Dominus rex noster.* [9] *Mirabilis* autem dicitur, sive, ut hebraice, *miraculum*, aut miracula faciens, sicut Angelus Domini qui in persona Christi apparuit parentibus Samsonis, [10] quoniam legem suam multis miraculis confirmaturus erat. Et alibi ait: *Deus ipse veniet et salvabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus, et soluta erit lingua mutorum.* [11] Hanc ob causam, cum Ioannes misit ad Christum discipulos suos dicens: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* respondit Christus: *Ite, renuntiate Ioanni...: caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, pauperes evangelizantur, mortui resurgunt.* [12]

ideo Christus multa miracula facturus erat, sicut de eo praedictum fuerat.

Multa signa fecit Moyses, ut probaret se esse verum prophetam;

II. Sicut ex fructibus cognoscitur arbor, ex radiis sol, ex calore ignis; ita a divinis operibus cognosci voluit Christus. Multis magnisque miraculis confirmavit Moyses legationem suam, ut crederetur verus Dei propheta, vere missus a Deo. Sed Christus pluribus maioribusque miraculis opus habuit ad conciliandam sibi fidem hominum, quoniam

2) Dt 18, 15. Vulg.: *Sicut me suscitabit tibi Dominus*, etc. 2a) Cf. Ios 3, 15-17; 6, 7-20; 10, 13-14. 3) Cf. 1 Rg 12, 18. 4) Cf. 3 Rg 17, 1-19, 1 sqq; 4 Rg 1, 12-15. 5) Cf. 4 Rg 2, 14 sqq.; 3, 16-23; 4, 1-6, 1-7. 17; 13, 21. 6) Cf. ibid. 20, 11. 7) Cf. 3 Rg 13, 1-6; 20, 36. 8) 9, 6. 9) Ibid. 33, 22. 10) Cf. Idc 13, 3-21. 11) Is 35, 4-6. 12) Mt 11, 3-5. Vulg.: *Mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.*

sed maiora Christus, ut probaret se esse verum Messiam.

multo maiora asserebat. Non enim praedicabat se prophetam Dei tantum esse, verum etiam se esse Messiam in lege promissum et Dei Filium esse verumque Deum.

Miracula ad fidem necessaria non sunt, sed utilissima;

Licet autem miracula non essent ad fidem omnino necessaria – nam Ninivitae sine miraculis crediderunt Ionae, regina Austri sine miraculis credidit Salomoni, populus Iudaeorum credidit Ioanni Baptistae sine miraculis, nam *Ioannes... signum fecit nullum;*[13] nec miracula suapte natura sufficiunt ad persuadendos ac convincendos obstinatos et protervos; nam Aegyptii viderunt miracula Moysi, nec tamen crediderunt: Philisthaei viderunt miracula, quae operata fuit arca Domini Dei Israel, nec crediderunt;[14] – tamen quia utilia sunt et ad conciliandam fidem mirum in modum conducunt, ut in Naaman syro[15] et in vidua sareptana[16] manifestum est, in ipsis etiam Hebraeis qui, visis miraculis Moysi, crediderunt ei,[17] et in Israelitis qui, viso Eliae miraculo, quando ignem fecit de coelo descendere, crediderunt in Deum dicentes: *Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus,*[18] sicque idololatriam reliquerunt et veram Dei religionem susceperunt; propterea Dominus multa et magna miracula operari voluit ad confirmandam evangelicam legem, quaedam quidem circa creaturas corporales, quaedam circa spirituales, alia circa homines et tandem circa seipsum.

hinc Christus multa et magna edidit:

circa spirituales creaturas, daemones eiciendo et idololatriam destruendo;

Circa creaturas spirituales, uti eiectio daemonum in digito Dei, solo imperio; unde mirabantur homines, sicut apud Lucam legimus: *Quod est hoc verbum, quia in potestate et virtute imperat spiritibus immundis et exeunt?*[19] Non utebatur ad expellendos daemones instrumento aliquo, sicut David,[20] sed solo verbo;[21] nec solum praesens, verum etiam absens, sicut curavit filiam chananitidis;[22] nec solum per seipsum, verum etiam per Apostolos et discipulos suos, quibus dedit potestatem ut in ipsius nomine daemonia eicerent, et eiciebant.[23] Sic tandem cultum daemonum et idololatriam destruxit in mundo, totum fere mundum ad poenitentiam et veram Dei cognitionem cultumque convertit, sicut Ionas Ninivem, sicut Moyses Hebraeos, sicut Eliseus Naaman syrum. Quis non videt

13) Io 10, 41. 14) Cf. 1 Rg 5, 1-6, 1 sqq. 15) Cf. 4 Rg 5, 1-18. 16) Cf. 3 Rg 17, 9 sqq. 17) Cf. Ex 4, 30-31. 18) 3 Rg 18, 39. 19) 4, 36. Vulg.: *Immundis spiritibus*, etc. 20) Cf. 1 Rg 16, 23. 21) Cf. Mt 17, 17; Mc 9, 24; Lc 4, 35. 22) Cf. Mt 15, 28. 23) Cf. ibid. 10, 1; 17, 18; Mc 3, 15; 9, 37-38; Lc 10, 17-20.

miraculi huius evidentiam? Quomodo Christus in potestate daemonis poterat daemones eicere, sicut perfidi calumniabantur Iudaei, [24] si Christus regnum satanae destruxit et funditus evertit? Ubi nunc daemonum simulacra? ubi oracula? ubi dii Gentium? ubi idolorum templa? ubi cultus idololatricus? Christus dissolvit omnia.

Alia vero miracula egit circa corporales creaturas: convertit aquam in vinum optimum; [25] multiplicavit quinque et septem panes pavitque etiam multiplicatis piscibus turbas famelicas; [26] *imperavit ventis et mari et facta est tranquillitas magna*, unde mirati homines dicebant: *Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?* [27] semel et iterum comprehendi fecit piscium multitudinem copiosam; [28] in nativitate sua novam stellam in coelo oriri fecit; [29] in passione et morte sua *tenebrae factae sunt super universam terram*, [30] obscuratus est sol, tremuit terra, scissae sunt petrae, aperta sunt monumenta, surrexerunt multa corpora sanctorum, scissum est velum templi. [31] Si vera haec non sunt, quomodo tam aperta mendacia mundus suscepit? quomodo credidit? quomodo tam falsam historiam non explosit? Si suscepit et credidit: vera igitur visa sunt signa in coelo, vera haec fuere miracula.

circa creaturas corporales, panes multiplicando, mare sedando, terram concutiendo;

Operatus fuit innumera circa homines miracula: *Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Miracula operatus est salutaria, ut simul et miracula essent et beneficia, quoniam ad hoc venerat, ut salvaret mundum. [32]

circa homines, infirmos curando, mortuos suscitando.

III. Horum autem miraculorum, quaedam quidem possibilia erant naturae quoad factum, sed non quoad modum, ut curatio socrus Simonis a febribus, nam: *Imperavit febri, et dimisit illam; et continuo surgens ministrabat illis;* [33] curatio languidi in piscina, qui triginta et octo annos habebat in infirmitate sua, [34] forte naturaliter fieri potuisset, sed non sicut Christus eam operatus fuit: *Surge, tolle grabatum tuum et ambula;* [35] et statim surrexit, fuitque publicum mira-

Horum licet aliqua etiam naturae per se possibilia essent, quoad modum tamen erant impossibilia;

24) Cf. Mt 10, 25; 12, 24. 27; Mc 3, 22; Lc 11, 15. 18-19. 25) Cf. Io 2, 6-10; 4, 46. 26) Cf. Mt 14, 17-21; 15, 35-38; 16, 9-10; Mc 6, 38-44; 8, 5-9. 19-20; Lc 9, 13-17; Io 6, 9-13. 26. 27) Mt 8, 26-27. 28) Cf. Lc 5, 4-7; Io 21, 10-11. 29) Cf. Mt 2, 2. 9-10. 30) Ibid. 27, 45. 31) Cf. ibid. vrr. 51-54; Mc 15, 33. 38; Lc 23, 44-45. 32) Cf. Io 3, 17. 33) Cf. Lc 4, 39. 34) Cf. Io 5, 5. 9. 35) Ibid. vr. 8.

culum in civitate Ierusalem. Alios curabat solo nutu voluntatis, absens, ut servum centurionis [36] et filium reguli. [37]

alia vero et quoad modum et quoad factum impossibilia.

Alia erant miracula naturae impossibilia et quoad modum et quoad factum, ut illuminatio caecorum, maxime caeci nati, quem luti collyrio illuminavit; [38] lutum autem aptius est ad obcaecandum eos, qui vident, quam ad illuminandos caecos, qui penitus nihil vident. Alios caecos illuminavit solo imperio, [39] sicut caecum illum in Iericho, tantum dicens: *Respice; . . . et statim vidit et sequebatur illum magnificans Deum.* [40] Talis fuit suscitatio mortuorum solo imperio facta, non multis precibus fusis, sicut Elias suscitavit filium viduae sareptanae, [41] et Eliseus filium mulieris sunamitidis, [42] sed solo imperio: *Puella, tibi dico: surge!* [43] *Adolescens, tibi dico: surge!* [44] *Lazare, veni foras!* [45] et erat quatriduanus in monumento iamque putrefactum cadaver fetebat.

Erant autem miracula certa et multis testibus comprobata,

Haec autem miracula publica fuerunt, in civitatibus facta coram multis testibus, multis ac pene innumeris hominibus spectatoribus. Et ad veritatem historiae, maxime in Lazari suscitatione, assignantur locus: Bethania, prope Ierusalem; [46] tempus: prope Pascha; [47] assignantur testes: maxima Iudaeorum multitudo; [48] assignatur nomen personae: viri nobilis atque notissimi; [49] assignatur effectus publicus, quod propter hoc miraculum Christus cum ovatione et triumpho exceptus fuit in Ierusalem in die palmarum, commota universa civitate. [50] Sic adhibitae sunt omnes circumstantiae, quae ad historiae veritatem requiruntur. Si historia haec vera non est, quomodo tam apertum mendacium crediderunt primi Christi fideles, quorum fides per continuatas temporum successiones ad nos usque pervenit? Quis credere potuisset tam apertum mendacium? Miracula Moysi vera creduntur quia, si vera non fuissent, Hebraei, qui in Aegypto erant, ei minime credidissent nec legem eius suscepissent. Quomodo ergo innumeri homines in Christum crediderunt fidemque eius susceperunt et pro Christi fide crudelissima martyria sustinuerunt, si Christi miracula minime vera fuerunt?

pro quibus asserendis innumeri fideles martyria crudelissima sustinuerunt.

36) Cf. Mt 8, 5-13; Lc 7, 2-10. 37) Cf. Io 8, 46 sqq. 38) Cf. ibid. 9, 1-7. 39) Cf. Mt 9, 27-30; 20, 30-34. 40) Lc 18, 42-43. Vulg.: *Et confestim,* etc. 41) Cf. 3 Rg 17, 17-23. 42) Cf. 4 Rg 4, 31-38. 43) Mc 5, 41. 44) Lc 7, 14. 45) Io 11, 43. 46) Cf. ibid. vr. 18. 47) Cf. ibid. vr. 55. 48) Cf. ibid. vr. 19. 49) Cf. ibid. vr. 1. 50) Cf. ibid. 12, 12-18.

IV. Sicut autem ex miraculis comprobatur Moyses verus propheta Dei, ita Christus verus Messias; nam ad hanc comprobandam fidem miracula faciebat, ut manifeste dixit in curatione paralytici: *Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata..., ait paralytico: surge, tolle lectum tuum et vade;* et statim *surrexit;* unde homines glorificabant *Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.* [51] Sic et Lazarum suscitaturus ad Patrem ait: *Ut credant quia tu me misisti.* [52] Unde, licet Christi miracula ex facto vel ex opere, ut aiunt, operato non probent Christum esse verum Messiam verumque Filium Dei et Deum verum, probant tamen a modo et a fine. Non probant ex facto, quia ante Christum multi Prophetae et post Christum Apostoli aliique sancti permulti operati sunt multa et magna miracula; sed a fine probant, quoniam, cum miracula nonnisi divina potestate fieri possint – opera enim sunt soli Deo suapte natura possibilia: *Qui facit mirabilia solus,* [53] nec potest Deus testis esse et assertor falsitatis et mendacii, qui summa veritas est, a quo omnis lux veritatis, – sicut miracula Prophetarum probabant ipsos esse veros Prophetas, quia ad eum finem miracula dirigebantur, ita plane Christi miracula luce clarius demonstrant eum esse verum Messiam. Unde Nicodemus ad eum: *Scimus quia a Deo venisti magister; nemo enim poterat... signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* [54]

Miracula haec, si non ex facto, a modo tamen et fine evidenter probant Christum verum esse Messiam,

quia Deus nequit esse testis mendacii.

V. Tandem, Christus in seipso operari voluit multa miracula. Nam magnum utique miraculum fuit concipi et nasci de virgine; [55] magnum fuit miraculum in baptismo, quando aperti sunt super eum coeli, descendit Spiritus Sanctus et vox Patris intonuit; [56] magnum miraculum, ieiunare quadraginta diebus; [57] magnum miraculum, ambulare supra mare; [58] magnum fuit miraculum transfiguratio gloriosa; [59] magnum miraculum Eucharistiae sacramentum; [60] tandem, magnum miraculum immortalis ipsius resurrectio, quam subsecuta fuit mirabilis in coelum ascensio. [61] De hoc signo ait: *Signum non dabitur ei,*

Miracula etiam multa circa seipsum Christus operatus est, praecipuum eius resurrectio,

51) Mt 9, 6-8. 52) Io 11, 42. 53) Ps 71, 18. 54) Io 3, 2. Vulg.: *Nemo enim potest,* etc. 55) Cf. Lc 1, 26-37. 56) Cf. Mt 3, 16-17; Mc 1, 9-11; Lc 3, 21-22; Io 1, 32-34. 57) Cf. Mt 4, 1-2; Lc 4, 2. 58) Cf. Mt 14, 25; Mc 6, 48; Io 6, 19. 59) Cf. Mt 17, 2; Mc 9, 1-2. 60) Cf. Mt 26, 26-28; Mc 14, 22-24; Lc 22, 19-20. 61) Cf. Mt 28, 1 sqq.; Mc 16, 1 sqq.; Lc 24, 1 sqq.; Io 20, 1 sqq.; Act 1, 1-11.

nisi signum Ionae prophetae, hoc est signum resurrectionis meae; *sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita erit Filius hominis in corde terrae tribus,* etc. [62]

quae clare probat eius divinitatem, quia mortuorum resurrectio solius Dei opus est;

Signum plane magnum et mirabile! Vaticinatur hic Christus atque praedicit futuram mortem et resurrectionem suam, post quam futurus erat multo maior quam Ionas apud Ninivitas, aut Salomon apud reginam Sabam. Quis non videt vaticinii huius veritatem? Si non egressus fuit Ionas de ventre magni piscis, quomodo Ninivitis praedicavit? quomodo eos convertit? Si non surrexit Christus, quomodo ad suam fidem convertit mundum, ita ut vere nunc in Ecclesia sit multo maior Iona et Salomone? imo Prophetis et regibus cunctis? Quis non videt nunc Christi Ecclesiam multo maiorem civitate Ninive, multo potentiorem et sapientiorem regina Saba? Quomodo facta haec sunt si Christus non resurrexit? Si autem resurrexit vere post mortem in cruce: vel Deus eum suscitavit, vel ipse seipsum; nam mortuorum suscitatio solius Dei opus est. Si potuit seipsum suscitare: ergo vere Deus erat; si Deus eum suscitavit: ergo verus Dei propheta erat; si verus propheta, vera ergo dicebat et praedicabat, sicut Moyses, sicut Ionas, sicut Salomon; si vera praedicabat, verus ergo Messias et Filius Dei ut dicebat et praedicabat, imo ut in Lege et Prophetis promissum erat. Neque enim ipse aut aliquis discipulorum suorum Legem et Prophetas confinxerat, sed sicut multis annorum centuriis per Legem et Prophetas promissus erat, ita venit. Quaecunque de eo praedicta erant, in eo completa sunt omnia. Praefigurata fuit in Iona Christi sanctitas, puritas, paupertas, humilitas, praedicatio, conversio gentium, passio et, post mortem, resurrectio, imo, post resurrectionem, mundi conversio; in Salomone, Christi sapientia, Christi gloria, Christi regnum. Quis haec impleta non videt?

nam si per seipsum resurrexit, ergo Deus est; si Deus eum suscitavit, ergo vera sunt quae de seipso dixit.

Ita humilis Christus, sicut Ionas, mundum convertit,

Contemnere hodie videtur Christus matrem et fratres suos: *Quae est mater mea et qui sunt fratres mei?* exaltare autem discipulos suos: *Ecce mater mea et fratres mei.* [63] Quis non videt contemptam synagogam, contemptos Iudaeos toto orbe terrarum? Quis non videt exaltatam Ecclesiam, exaltatos Apostolos? Quis non videt gloriam Pontificum et Episcoporum, qui successores perpetui sunt Apostolorum et discipulorum Christi? Sic igitur manifestissima ac luce soleque

et nunc gloriosus, sicut Salomon, in Ecclesia regnat; ergo verus Messias est.

62) Mt 12, 39-40. Vulg.: *Sic erit,* etc.

63) Ibid. 12, 48-49.

ipso clariora habemus signa evidentissimasque demonstrationes quod Christus Dominus noster ipse sit verus Messias.

VI. Cum Deus apparuit Moysi in rubo ardenti iussitque ut iret in Aegyptum, ut inde educeret Hebraeos, dixit Moyses ad Deum: *Quis sum ego ut vadam ad Pharaonem et educam filios Israel de Aegypto?* [64] Et adhuc: *Non credent*, inquit, *mihi neque audient vocem meam, sed dicent: Non apparuit tibi Dominus.* [65] Cui Dominus, datis duobus signis in virga et manu: *Si non crediderint, inquit, tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis. Quod si nec duobus quidem his signis crediderint, neque audierint vocem tuam, sume aquam fluminis et effunde eam super aridam, et quidquid hauserit de fluvio, vertetur in sanguinem.* [66] Tria tantum miracula sufficere existimavit ad faciendam fidem, quod vere missus erat a Deo.

Ad confirmandam missionem Moysi Deus tria tantum signa dedit;

Et cum Samuel dixisset Sauli armentario quod futurus erat rex Israelis illique incredibilis res visa esset, tria illi signa dedit: quod in itinere inventurus erat duos viros iuxta sepulcrum Rachel, a quibus certior facturus erat de inventis animalibus; quod postea iuxta quercum Thabor occursuri erant ei tres viri eunque salutaturi et daturi ei duos panes; quod iuxta collem Dei inventurus erat gregem Prophetarum et ipse quoque cum eis, in alterum virum mutatus, divino spiritu afflatus, prophetaturus erat. His autem signis acceptis Saul certificatus, credidit quod prius visum ei fuit incredibile. [67]

sic et Samuel Sauli, ut probaret vaticinii veritatem;

Tria igitur signa dedit Sauli Samuel ad confirmandam fidem vaticinii sui. Christus autem innumera edidit miracula, multis maximisque signis confirmavit fidem suam; et adhuc non reputabitur fide dignus? adhuc erit dubitationi locus? adhuc novum signum requiritur? Indicium manifestum est impiae et protervae perfidaeque incredulitatis: *Generatio mala et adultera signum*, etc.

Christus autem innumera edidit miracula, ut probaret se verum esse Messiam.

64) Ex 3, 11. 65) Ibid. 4, 1. 66) Ibid. vrr. 8-9. 67) Cf. 1 Rg 10, 1-8.

FERIA QUINTA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE

Egressus Iesus secessit in partes Tyri et Sidonis.
Et ecce mulier... a finibus illis egressa, etc. [1]

Felicissimus fuit occursus hic chananaeae et Christi;

I. Occurrunt sibi hodie Christus et chananaea mulier. O felicem occursum! Felix fuit occursus Moysi et Aaronis, quando sibi occurrerunt, eunte Moyse in Aegyptum ad exequendam legationem Dei; [2] felix occursus Samuelis et Saulis, nam ex occursu illo Saul regnum Israelis lucratus fuit; [3] felix occursus Abrahami et Melchisedech, nam ab illo Abraham divinam benedictionem accepit; [4] felix occursus Isaac et Rebeccae, [5] Iacob et Rachelis, [6] Moysi et Sephorae, [7] Booz et Ruth moabitidis, [8] David et Abigail uxoris Nabal carmelitae, [9] nam ex his occursibus secuta sunt felicissima matrimonia. Sed hodiernus mihi omnium felicissimus visus est; nam chananitis per fidem facta est sponsa Christi, qui *Rex regum* est *et Dominus dominantium,* [10] unigenitus Filius Dei: *Desponsabo te mihi in fide;* [11] *O mulier, magna est fides tua.* [12]

sicut enim Iacob, cum Deo luctans, praevaluit,

Timuit Iacob, cum occurrit Esau ei; [13] laetatus fuit, cum Angeli Dei occurrerunt; [14] felicissimus fuit occursus, cum Deus ipse occurrit ei in Bethel, ibi enim Deum vidit in humana specie, cui Angeli ministrabant. [15] Sic Deus-homo occurrit hodie chananitidi, Dominus et Rex Angelorum. Luctatus fuit Iacob cum Deo in humana specie: *Ecce vir luctabatur cum eo usque mane;* [16] sed, o mirabile dictu! vicit Iacob, superior fuit; hinc Israelis nomen accepit et, licet percussus in femore, benedictus tamen a Deo fuit, nam ait: *Non dimittam te,*

1) Pericope huius diei Mt 15, 21-28. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Ex 4, 14-15. 3) Cf. 1 Rg 9, 14-10, 1 sqq. 4) Cf. Gn 14, 18-20. 5) Cf. ibid. 24, 15 sqq. 6) Cf. ibid. 29, 6-30. 7) Cf. Ex 2, 17-21. 8) Cf. Ruth 3, 1-4, 1 sqq. 9) Cf. 1 Rg 25, 20 sqq. 10) 1 Tim 6, 15; Apc 17, 14. 11) Os 2, 20. Vulg.: *Sponsabo.* 12) Mt 15, 28. 13) Cf. Gn 32, 1-33, 1-17. 14) Cf. ibid. 32, 1. 15) Cf. ibid. 28, 12-19. 16) Ibid. 32, 24.

nisi benedixeris mihi... Et benedixit ei in eodem loco.[17] Quia autem fortiter et strenue se gessit in lucta cum Deo, *Israel* appellatus est, quod est princeps potens, sive princeps Dei, nam inquit: *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines praevalebis,*[18] sive, ut est hebraice, *quoniam principem,* sive *strenuum egisti cum Deo, et cum hominibus praevalebis.*[19] Sed quis non videt quod etiam chananitis hodie fortiter et strenue luctatur cum Christo et eum quodammodo vincit? Vere mulierem fortem se ostendit, quam Salomon vix reperiri ait: *Mulierem fortem quis inveniet?*[20]

sic ipsa, cum Christo quodammodo luctans, eum vicit.

II. Ostenditur autem magna vis orationis apud Deum omnipotentem, cui nihil est impossibile,[21] aut difficile; nam hodie Christus, victus precibus sanctae huius mulieris, dixit: *O mulier, magna est fides tua; fiat tibi sicut vis,*[22] licet renitentem se prius demonstraverit.[23]

Ostenditur magna virtus orationis,

Nec tantum virtus et efficacia orationis, verum etiam ipsius excellentia, imo et essentia orationis et circumstantiae quae requiruntur, ut oratio a Deo exaudiatur. Excellentia ostenditur, quia actio et opus Apostolorum; *rogaverunt* enim *illum pro ea dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.*[24] Angeli et Sancti in coelo nihil aliud agunt: *Beati qui habitant in domo tua, Domine: in saecula saeculorum laudabunt te;*[25] non aliud egit Moyses quadraginta diebus supra montem Sinai,[26] non aliud Christus in deserto;[27] imo legimus quod *erat pernoctans in oratione Dei.*[28] Imo Spiritus Sancti opus esse videtur, nam, ut Apostolus ait: *Quid oremus... nescimus: ipse autem Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*[29] Hinc etiam per Zachariam Dominus ait: *Effundam super domum David et super omnes habitantes Ierusalem spiritum gratiae et precum.*[30] Hac enim de causa omnes Sancti, Spiritu Sancto pleni, magno studio orationi operam dederunt, supra modum delectati sunt oratione et divinarum rerum contemplatione. Hinc Apostoli, Spiritu Sancto pleni, dixerunt: *Nos autem orationi et ministerio verbi instantes erimus.*[31]

ipsiusque excellentia, essentia et circumstantiae, ut a Deo exaudiatur.

17) Ibid. vrr. 26-29. 18) Ibid. 32, 28. 19) Ms.: *Principes... et praevaluisti.* 20) Prv 31, 10. 21) Cf. Lc 1, 27. 22) Mt 15, 28. 23) Cf. ibid. vrr. 23-26. 24) Ibid. vr. 23, cum Lc 4, 38. 25) Ps 83, 5. 26) Cf. Ex 24, 18 sqq.; 34, 5-28; Dt 9, 8; 10, 10. 27) Cf. Mt 4, 2. 28) Lc 6, 12. 29) Rom 8, 26. Vulg.: *Sed ipse Spiritus,* etc. 30) 12, 10. Vulg.: *Et super habitatores Ierusalem,* etc. 31) Act 6, 4. Vulg.: *Nos vero orationi,* etc.

Sic Virgo Deipara, concepto Verbo Dei et Spiritu Sancto repleta, abiit in montana Iudaeae,[32] idest divinae laudis; nam domus Dei in edito loco supra montem sita erat.[33]

Natura orationis: oratio est a) accessus ad Deum.

III. Sed videndum est quidnam sit ipsa oratio. De chananitidi legimus quod ad Christum clamabat dicens: *Miserere mei, Domine fili David;*[34] et item quod accessit et adorabat eum, *dicens : Domine adiuva me.*[35] Accessus ad Deum est, adoratio est *in spiritu et veritate,*[36] clamor est, postulatio est divinae gratiae et misericordiae: *Miserere mei, Domine fili David.* Accessus est; sic etiam mater filiorum Zebedaei: *Accessit... adorans et petens aliquid ab eo;*[37] sic: *Accessit ad eum centurio... dicens: Domine, puer meus iacet... paralyticus...; tantum dic verbo et sanabitur;*[38] sic leprosus: *Domine, si vis, potes me mundare;*[39] sic Regius Vates aiebat: *Accedite ad eum et illuminamini et facies vestrae non confundentur.*[40] Hac de causa dicitur oratio ascensus in Deum, sicut per scalam Iacob Angeli ascendebant; dicitur elevatio: *Ad te, Domine, levavi animam meam; Deus meus, in te confido non erubescam;*[41] et alibi: *Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die; laetifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.*[42] Sic dicitur elevatio oculorum: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium meum. Auxilium meum a Domino, qui fecit coelum et terram;*[43] et[44]: *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in coelis.*[45] Sic dicitur etiam elevatio manuum: *In nomine tuo levabo manus meas;*[46] sic Moyses elevatis manibus orabat;[47] propterea dicitur incensum: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum*[48] *sacrificium vespertinum.*[49]

ideo dicitur etiam elevatio mentis, oculorum et manuum ad Deum;

Nec tantum accessus est, verum etiam adoratio: *Accessit et adorabat eum.*[50] Sic uxor Zebedaei: *Accessit... adorans;* sic Iairus archisynagogus: *Accessit et adorabat eum dicens: Domine, filia mea modo defuncta est; sed veni, impone super eam manum tuam, et vivet;*[51]

b) est adoratio,

32) Cf. Lc 1, 35-39. 33) Cf. 2 Par 3, 1; Is 2, 2; Mich 4, 1. 34) Mt 15, 22. 35) Ibid. vr. 25. 36) Io 4, 23. 37) Mt 20, 20. 38) Ibid. 8, 5-8. 39) Ibid. vr. 2. 40) Ps 33, 6. 41) Ps 24, 1-2. 42) Ps 85, 3-4. 43) Ps 120, 1. Vulg.: *Unde veniet auxilium mihi,* etc. 44) Ms.: *Sic elevatio manuum* adicitur. 45) Ps 122, 1. 46) Ps 62, 5. 47) Cf. Ex 17, 11-13. 48) Ms.: *Tuarum.* 49) Ps 140, 2. 50) Mt 15, 25. Vulg.: *Venit et adoravit eum.* 51) Ibid. 9, 18. Vulg.: *Impone manum tuam super eam,* etc.

sic leprosus: *Veniens adorabat eum;* [52] sic domus Dei *domus orationis* dicitur, [53] cum locus esset divinae adorationis: *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* [54] Quoniam oratio actus latriae est et divini cultus propterea dicitur a d o r a t i o, licet aliquando adoratio sine oratione sit; nam Magi *procidentes adoraverunt* [55] Christum; caecus etiam illuminatus *procidens adoravit eum*. [56] Sic in coelo viginti quattuor seniores; [57] sic omnes Angeli procidentes Deum adorant, [58] laudantes et benedicentes divinam maiestatem, vel pro acceptis beneficiis gratias agentes, vel divina opera divinasque virtutes mirantes et celebrantes. Sed oratio non sine adoratione est.

quoniam actus latriae est et divini cultus,

Dicitur adhuc c l a m o r. Clamabat ad eum: *Quia clamat post nos;* [59] sic Deus Moysi corde oranti dixit: *Quid* tu *clamas ad me?* [60] Sic R e g i u s V a t e s: *Clamavi in toto corde meo, exaudi me, Domine;* [61] *Ad Dominum cum tribularer clamavi;* [62] sic Samuel clamasse dicitur ad Dominum pro salute populi. [63] Clamor autem ardens desiderium designat, ferventem, non tepidam orationem; propterea *incensum* et *sacrificium vespertinum* dicta est oratio, quoniam sicut ad incensum adolendum Domino et ad sacrificium offerendum opus erat igne sacro et coelesti, non profano, [64] qualem adhibuerunt duo filii Aaron et propterea divina ultione perierunt; [65] sic in oratione opus est sancto ardentique desiderio, non ex carnali cupiditate, sed ex spirituali et divina caritate. Desiderium requiritur sanctum, coeleste, divinum, sed vivum, ardens, non tepidum, languidum, emortuum; nam odit Deus teporem mentis: *Quia tepidus es... incipiam te evomere ex ore meo.* [66]

et dicitur clamor et sacrificium, quia facienda est fervente caritate et ardente desiderio;

Tandem, p r e c a t i o est, postulatio, petitio divinae gratiae et misericordiae: *Adorans et petens: Rogaverunt illum pro ea; Miserere mihi, Domine fili David; Domine, adiuva me.* Sic cum R e g i o V a t e beata haec mulier orabat: *Exaudi, Deus, deprecationem meam, intende voci orationis meae. A finibus terrae ad te clamavi, dum anxiaretur cor meum; in petra exaltabis me. Deduces me, quia factus es spes* [67] *mea, turris fortitudinis a facie inimici.* [68] Nam *a finibus illis egressa* clamat ad Dominum propter satanae persecutionem.

c) est petitio divinae gratiae et misericordiae, qualis fuit oratio chananaeae.

52) Ibid. 8, 2. 53) Ibid. 21, 13. 54) Ps 5, 8. 55) Mt 2, 11. 56) Io 9, 38.
57) Cf. Apc 4, 10-11; 5, 14; 11, 16; 19, 4. 58) Cf. ibid. 7, 11-12. 59) Mt 15, 23.
60) Ex 14, 15. 61) Ps 118, 145. 62) Ps 119, 1. 63) Cf. 1 Rg 7, 9.
64) Cf. Lv 6, 9-13. 65) Cf. ibid. 10, 1-2. 66) Apc 3, 16. 67) Ms.: *Pes.*
68) Ps 60 (hebr. 61), 2-3. Eb hebraico.

Et tamen Christus eam non audire simulat, imo dure respondet,

IV. Sed, o mirabile dictu! *Non respondit ei verbum,* [69] surdis velut auribus canebat. Anna, mater Samuelis, infelicem mulierem se dicebat, quoniam Dominus orationem eius non audiebat vel exaudire differebat; nam exaudivit tandem et, post magnam animi amaritudinem, magnam dedit ei consolationem. [70] Sic Christus hodie chananitidi non respondit ne verbum quidem, cum ipsa multis clamoribus divinas eius aures feriret. Quod si respondit, negando et excludendo respondit: *Non sum missus, nisi ad oves, quae perierunt, domus Israel... Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus.* [71]

sicut egit Ioseph cum fratribus et Booz cum Ruth,

Agit Christus cum chananitide hac, sicut Ioseph egit cum fratribus suis: vultum iratum ostendit, duris verbis cum eis locutus fuit, cum tamen diligeret eos et multis bonis eos ditare et cumulare cogitaret. [72] Agit sicut Booz cum Ruth: primo dat panem in aceto intinctum, [73] postea pallium ipsius implevit hordeo, [74] ac tandem in uxorem duxit. [75] Cum autem hordeum ei dedit, consolatam valde dimisit; nam abierat illa ad eum ut spicas hordei colligeret; ipse autem sex modios hordei iam purgati ex area dedit, quantum ipsa portare potuit.

ut eam postea magis donis coelestibus cumulet,

Sic hodie Christus agit sicut Angelus cum Iacob: prius luctatur cum eo, quasi inimicus volens eum in terram deicere, percutit femur ipsius et claudum reddit; sed postea eum benedicit. [76] Agit sicut egit Deus cum Abraham, cum Iacob, cum Ioseph, cum Moyse, cum David, cum universa synagoga: post multas tribulationes dedit magnas et perfectas consolationes. Sic: *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum laetitia;* [77] sic: *Factum est vespere et mane, dies primus;* [78] sic prius tenebras legimus, postea lucem; [79] sic Beatus Iob aiebat: *Post tenebras spero lucem;* [80] sic in convivio Christi optimum vinum in fine prope convivii datur; [81] sic Abraham non in nativitate Isaac, sed cum ablactatus fuit magnum convivium celebravit; [82] sic in templo Domini, post altare sacrificiorum, inveniebatur altare incensi cum mensa panum propositionis [83]; et tandem, populus Dei, post multas tribulationes in deserto, ingressus fuit terram promis-

69) Mt 15, 23. 70) Cf. 1 Rg 1, 7-20. 71) Mt 15, 24-26. 72) Cf. Gn 42, 1-47, 1 sqq. 73) Cf. Ruth 2, 14. 74) Cf. ibid. 3, 15. 75) Cf. ibid. 4, 13. 76) Cf. Gn 32, 24-30. 77) Ps 29, 6. 78) Gn 1, 5. 79) Cf. ibid. 80) 17, 12. 81) Cf. Io 2, 3-10. 82) Cf. Gn 21, 8. 83) Cf. Ex 24, 1; 27, 1-8; 30, 1-9; 37, 25; Lv 24, 1-7; Hebr 9, 2-3.

sicut egit Deus ipse cum antiquis Patriarchis.

sionis; post Davidem, multis bellis occupatum, regnavit Salomon summa cum pace et felicitate,[84] et David, postquam regnavit in Hebron, quod etiam livor interpretatur, ut est apud Isaiam: *Vulnus et livor et plaga tumens,* [85] tunc regnavit in Ierusalem, [86] quod est visio pacis, perfectae felicitatis. Hinc laetitia spiritualis et consolatio in Divinis Litteris *oleum* appellatur: *Unxit te Deus Deus tuus oleo laetitiae;* [87] oleum autem educitur ex olivarum amaritudine. Samson, postquam pugnavit cum leone eunque occidit, invenit favum mellis in ore ipsius; [88] Ionathas, post pugnam contra Philisthaeos, gustavit mel; [89] populus, post aquas Mara amarissimas, venit ad fontes Elim aquasque invenit suavissimas cum dulcissimis palmarum fructibus. [90]

Talis enim semper fuit divinae providentiae mos,

Hic semper fuit divinae providentiae mos cum electis suis. Egit Christus cum chananitide, sicut Noe cum columba: dimisit eam ex arca; sed illa, *cum non invenisset ubi requiesceret..., reversa est ad eum... extenditque* Noe manum suam et introduxit eam in arcam. [91] Anima nostra extra Deum quietem invenire non potest: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos... et invenietis requiem animabus vestris.* [92] Si invenisset columba ubi requiescere potuisset, non fuisset reversa ad Noe in arcam; nisi chananaea a daemonio tribulata fuisset, non venisset ad Christum. Mala, quae nos hic premunt, ad Deum ire compellunt, ait Magnus Gregorius; [93] hinc dictum fuit: *Compelle intrare, ut impleatur domus mea.* [94] Venit autem columba ad Noe *portans in ore suo ramum olivae virentibus foliis;* [95] venit chananitis ad Christum divinam misericordiam implorans: *Miserere mei, Domine..., filia mea male,* etc.

adversitatibus huius vitae animas ad se trahere.

V. Non ostendit autem se renitentem Dominus ad exaudiendam beatae huius mulieris orationem, eo quod male peteret, sicut Ia-

84) Cf. 3 Rg 2, 12; 4, 1 sqq. 85) 1, 6. 86) Cf. 2 Rg 2, 11; 5, 5; 3 Rg 2, 11.
87) Ps 44, 8. 88) Cf. Idc 14, 5-8. 89) Cf. 1 Rg 14, 1-27. 90) Cf. Ex 14, 23 sqq.
91) Gn 8, 9. 92) Mt 11, 28-29. 93) Non ad verbum S. Auctor citat S. Gregorium, sed ad sensum, et probabiliter *Hom. 36 in Evangelia*, ubi exponitur parabola coenae, (P. L. 76, 1270-1272). Idem sensus saepius etiam occurit in aliis operibus S. Gregorii, v. g. *Moral.*, lib. 10, cp. 18-20, ibid. 75, 941-942; cp. 28, ibid. col. 946; lib. 23, cp. 27, ibid. 76, 279; lib. 26, cp. 12, ibid. col. 358-359; lib. 29, cp. 17, ibid. col. 493; *Hom. 4 in Ezechielem*, ibid. col. 975; *In 1 Regum*, lib. 2, cp. 3, ibid. 79, 124; lib. 5, cp. 3, ibid. col. 345; *In septem Psalmos Poenit.*, ps. 31, ibid. col. 566; ps. 101, ibid. col. 622. 94) Lc 14, 23.
95) Gn 8, 11. Vulg.: *Portans ramum olivae virentibus foliis in ore suo.*

Precibus huius mulieris Christus renitentem se ostendit, non quia male peteret, vel indigna esset ut exaudiretur,

cobus apostolus ait: *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis;* [96] neque quod insipienter peteret, sicut dixit filiis [97] Zebedaei: *Nescitis quid petatis;* [98] neque ad ostendendum quod vere indigna esset ut exaudiretur, sicut Saul; [99] aut quod non posset eam exaudire, nam Deus omnipotens est, per quem facta sunt omnia. [100] Virga virtutis Dei est, quae in signum divinae omnipotentiae in sanctuario Domini, in loco orationis, asservabatur. [101] Nam in oratione meditanda est divina omnipotentia, sicut Regius Vates agebat: *Auxilium meum a Domino, qui fecit coelum et terram.* [102]

vel non posset aut nollet eam exaudire, ipse enim infinita misericordia et potentia est;

Nec renitentem se ostendit, eo quod vere eam exaudire nollet; nam ipse Deus infinitae misericordiae est: *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis.* [103] Hinc etiam in divino sanctuario urna mannae asservabatur [104] in signum infinitae bonitatis et misericordiae Dei, quam Regius Vates saepe canit: *Quoniam in aeternum misericordia eius;* [105] maxime vero, cum in oratione aliquid a Deo petebat, divinam misericordiam meditabatur: *Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die; laetifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi; quoniam tu, Domine, suavis et mitis et multae misericordiae omnibus invocantibus te;* [106] et alibi: *Miserator et misericors Dominus, longanimis et multum misericors.* [107] Hinc Deus saepe in humana specie visus est Patriarchis et Prophetis, propter infinitam humanitatem suam, de qua Paulus: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit.* [108] Hinc Christus iussit, ut in oratione Deum *Patrem omnipotentem* appellemus: *Pater noster, qui es in coelis.* [109] Et argumento usus fuit: *Quis ex vobis patrem petat panem; nunquid lapidem pro pane dabit ei?... Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de coelo,* idest omnipotens, *dabit bona petentibus se?* [110] Sed renitentem et, ut ita dicam, morosum egit Christus, ut veluti orationis perfectam imaginem de-

sed ut ostenderet qualem oporteat esse veram orationem.

96) 4, 3. 97) Ms.: *Filii.* 98) Mt 20, 22. 99) Cf. 1 Rg 15, 24 sqq. 100) Cf. Io 1, 3. 101) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. 102) Ps 120, 2. 103) 1 Cor 1, 3. 104) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 105) Ps 135, 1 sqq. 106) Ps 85, 3-5. 107) Ps 102, 8. 108) Tit 3, 4-5. Vulg.: *Benignitas et humanitas apparuit Salvatoris... secundum suam misericordiam, etc.* 109) Mt 6, 9. 110) Lc 11, 11-13. Vulg.: *Petit panem... dabit spiritum bonum petentibus se.*

pingeret ostenderetque qualem oporteat esse orationem, ut digna sit exaudiri.

VI. Sicut enim incensum illud, quod in divino sanctuario offerebatur Domino, multis constabat aromatibus, sicut in *Exodo* legimus,[111] ita oratio multis virtutibus opus habet. In primis quidem, necessaria est fides: *Si quis... indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter...; postulet autem in fide nihil haesitans; nam qui haesitat similis est fluctui maris,*[112] non accipiet aliquid a Deo. Hinc Christus: *Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis et fiet vobis.*[113] Fides in Christum necessaria est; ipse enim Christus aureum altare incensi est, ipse aureum thuribulum in manu Angeli ad offerendum Deo incensum odoramentorum, idest *orationes Sanctorum.*[114] Sic in hodierno Evangelio fides commendatur: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.*[115] In Christum credebat, ideo *filium David,* idest verum Messiam, eum appellabat: *Miserere mei,... fili David.* Credebat divinam Christi potentiam contra daemonium; hinc aiebat: *Filia mea male a daemonio vexatur.*[116] Conditiones orationis: ad veram orationem requiritur a) fides,

Opus est spe et fiducia in Deum in oratione. Hinc Ioannes: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; quidquid petierimus accipiemus ab eo.*[117] Sic Paulus: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae eius, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus;*[118] nam qui confidunt in eum non confundentur.[119] b) spes et fiducia in Deum,

Necessaria est humilitas, nam: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam;*[120] *Qui se humiliaverit exaltabitur.*[121] Chananitis accessit ad Christum magna cum humilitate, non merita, sed gratiam et misericordiam quaerens: *Miserere mei, Domine.* Humillime petiit: *Nam et catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum.*[122] Mirum in modum delectatur Deus humilitate cordis; hinc humiles semper exaltavit.[123] Abraham ait: *Loquar ad* c) humilitas,

111) Cf. 30, 7-9; 37, 29; 40, 24. Cf. Aug. Calmet *Dictionarium Historicum S. Script.*, sub voce: *Thymiama.* 112) Iac 1, 5-6. Vulg.: *Qui enim haesitat,* etc. 113) Mc 11, 24. Vulg.: *Omnia quaecunque orantes,* etc. 114) Cf. Apc 8, 3-4. 115) Mt 15, 28. 116) Ibid. vr. 22. 117) 1 Io 3, 21-22. 118) Hebr 4, 16. Pronomen *eius* subiungitur in quibusdam codicibus, quod in Vulgata expunctum fuit. Cf. Io. De La Haye *Biblia Maxima Versionum,* t. 16, pag. 679; Eb. Nestle *Novum Testamentum,* etc. h. l. 119) Cf. Ps 24, 2-3; Eccli 2, 11; Rom 10, 11. 120) Iac 4, 6. 121) Mt 23, 12. 122) Ibid. 15, 27. 123) Cf. Lc 1, 52.

Dominum meum, cum sim pulvis et cinis; [124] Moyses et Aaron prostrati ante Deum, divinam misericordiam implorabant; [125] Salomon, in templi dedicatione, positis genibus ad Deum oravit; [126] sic Daniel orare solebat tribus vicibus in die; [127] Paulus genua ad Deum flectebat; [128] imo ipse etiam Christus positis genibus oravit ad Patrem, [129] ad insinuandum quod in oratione supra modum necessaria humilitas est: *Respexit in orationem humilium et non sprevit preces eorum;* [130] *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* [131]

d) sanctitas animae, vel saltem poenitentia,

Adhuc necessaria est in oratione sanctitas, vel saltem poenitentia; nam aliqui immundi ad divinum sanctuarium accedere prohibebantur: [132] *Peccatores Deus non exaudit;* [133] *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos..., et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim vestrae sanguine plenae sunt;* quare, si exaudiri vultis, *lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite benefacere.* [134] Hoc enim vere est quod ait: *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus,* nam peccatores, licet homines videantur, apud Deum tamen canes sunt; unde in *Apocalypsi: Foras canes!* [135] Sic ait: *Non sum missus, nisi ad oves quae perierunt domus Israel,* [136] idest ad salvandos, non reprobos obstinatosque peccatores, sed poenitentes electos. Hinc chananitis, licet fuerit de maledicto semine Chanaan, tamen, ad Christum accedens, egressa erat de finibus Tyri et Sidonis, reliquerat mores et consuetudinem gentium, iam spiritu per fidem sanctificata erat.

e) et tandem perseverantia;

Tandem, perseverantia opus est in oratione. Iacob septem vicibus pronus in terra Deum exoravit, ut liberaret eum de manu Esau fratris sui; [137] Elias, petens a Deo pluviam, non destitit ab oratione, quoadusque exauditus fuit; [138] Christus in horto prolixius oravit, usquequo descendit *Angelus de coelo confortans eum;* [139] Iacob non reliquit Angelum Domini, nisi prius benedictus ab eo fuit; [140] Esau etiam apud patrem Isaac precibus tantum institit, quoad tandem

124) Gn 18, 27. 125) Cf. Nm 14, 5; 16, 22; 20, 6. 126) Cf. 3 Rg 8, 54-61; 2 Par 6, 13 sqq. 127) Cf. Dn 6, 13. 128) Cf. Eph 3, 14. 129) Cf. Lc 22, 41. 130) Ps 101, 18. 131) Ps 50, 19. 132) Cf. Lv 12, 4; 15, 31; 16, 16; 20, 3; 21, 1; 22, 9; Nm 19, 13. 20. 133) Io 9, 31. Vulg.: *Deus non audit.* 134) Is 1, 15-17. 135) 22, 15. Vulg.: *Foris canes.* 136) Mt 15, 24. 137) Cf. Gn 33, 3. 138) Cf. 3 Rg 18, 42-45. 139) Lc 22, 43. 140) Cf. Gn 32, 26-29.

benedictionem accepit: *In pinguedine terrae et in rore coeli desuper erit benedictio tua.*[141]

Ad hanc orationis perseverantiam Christus multis nos monuit: *Petite et accipietis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis.*[142] Addidit parabolam improbae petitionis trium panum ab amico,[143] parabolam viduae petentis magna cum instantia ab iniquo etiam iudice executionem iustitiae et tandem obtinuit.[144] Sic ait quod *oportet semper orare et nunquam deficere;*[145] sic: *Vigilate et orate,*[146] vigilantiam cum oratione coniungit; sicut etiam P a u l u s ad *Colossenses* scribens: *Orationi instate vigilantes in ea.*[147] Quoniam, sicut Elias dixit Eliseo petenti duplicem spiritum: *Rem difficilem postulasti; si tamen videris me, cum ego tollar a te, fiet tibi quod petisti.*[148] Quid orationi cum visione? Quoniam vigilantia opus est in oratione.

quam Christus summopere docuit.

VII. Cum igitur oratio talis fuerit et talibus circumstantiis praedita, semper exauditur a Deo, sicut exaudita est oratio chananitidis: *O mulier, magna est fides tua; fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.*[149] Sic in Sacris Litteris orationes Sanctorum omnium semper legimus exauditas. Et quidem mirabilis fuit effectus huius orationis, nam a pessimo daemonio, etc. Sic mirabiles effectus legimus. Oratio clavis videtur esse coelestium ac divinorum thesaurorum, in quibus omnia continentur bona, quae ab hominibus desiderari possunt. Per orationem obtinetur vita aeterna, datur populo manna de coelo,[149a] aqua de petra;[150] per orationem gratia et amicitia Dei, remissio peccatorum, sanctificatio animarum; per orationem dona Spiritus Sancti, per hanc enim Salomon coelestem sapientiam [obtinuit];[150a] orantes Apostoli Spiritum Sanctum receperunt;[151] Christus post baptismum orans, Spiritum Sanctum de coelo in columbae specie accepit;[152] dum oraret in monte sancto, transfiguratus fuit;[153] Paulus, dum oraret, raptus fuit in coelum, in paradisum Dei;[154] Elias

Talibus conditionibus praedita oratio semper a Deo exauditur,

ut comprobatur hodie in chananaea, et in multis S. Scripturae factis.

141) Ibid. 27, 40. 142) Mt 7, 7; Lc 11, 9. Vulg.: *Petite et dabitur vobis*, etc.
143) Cf. Lc 11, 5-8. 144) Cf. ibid. 18, 3-5. 145) Ibid. vr. 1. Vulg.: *Et non deficere.*
146) Mt 26, 41; Mc 14, 38. 147) 4, 2. 148) 4 Rg 2, 10. Vulg.: *Attamen si videris me, quando tollar a te, erit tibi*, etc. 149) Mt 15, 28. 149a) Cf. Ex 16, 14 sqq.
150) Cf. ibid. 17, 1-7. 150a) Cf. 3 Rg 3, 5-12. 151) Cf. Act 2, 1-4. 152) Cf. Mt 3, 16; Mc 1, 10; Lc 3, 22; Io 1, 33. 153) Cf. Mt 17, 1-5; Mc 9, 1-6; Lc 9, 29-35.
154) Cf. 2 Cor 12, 2-4.

oratione sua coelum et claudebat et aperiebat,[155] ac si lingua ipsius clavis coeli esset. Per orationem superantur infernales potestates, nam, orante Moyse, superabat Iosue Amalecitas;[156] per hanc daemones eiciuntur, sicut patet hodie, et homo, qui prius erat habitatio immundorum spirituum, templum fit Dei. Nam propterea domus Dei dicitur *domus orationis;*[157] nam in dedicatione templi, dum orarent et psalmos canerent sacerdotes et levitae, descendit Deus ad templum illud inhabitandum.[158]

Vere felix haec mulier, quae Christum consolatorem invenit, sicut columba Noe.

Est chananaea hodie sicut columba reversa ad Noe cum ramusculo olivae virentibus foliis in ore ipsius.[159] Christus est verus Noe, vera quies[160] et consolatio animarum: *Venite ad me... et invenietis requiem animabus vestris.*[161] Revertitur columba ad Noe, non inveniens *ubi requiesceret pes eius.*[161a] Anima, quae non invenit quietem et consolationem in mundo, revertitur ad Deum, ad Christum; sed cum ramusculo olivae, petens misericordiam. *Et extendit manum* suam Noe et accepit eam.[162] Extitit columba illa imago quaedam animae sanctae. Sic et chananaea hodie: *Quis dabit mihi pennas sicut columbae et volabo et requiescam,*[163] sicut columba Noe? *Pennae columbae deargentatae et posteriora dorsi eius in pallore auri.*[164] Sic sponsa in *Cantico* saepe appellatur *columba,*[165] utique propter coelestem Spiritus Sancti virtutem, qui quasi columba super Christum descendit. Sic anima sancta est sicut pulcherrima ac purissima columba, vere mirabilis.

Chananaea imago est animae sanctae et perfectae virtutis,

VIII. *O mulier, magna est fides tua.* Imago quaedam est animae sanctae ac perfectae virtutis chananaea hodie. In Sacris Litteris laudatur virtus, non solum in viris, sed etiam in mulieribus. Sicut enim sol, ubicunque sit, sive in oriente sive in occidente vel meridie, sive in australibus sive in aquilonaribus signis, idem semper est, sicut etiam aurum et gemmae, ubicunque sint, eiusdem sunt pretii et valoris; ita et virtus.

Accidit hodie veluti si rex mittat dilectissimo filio suo pulcherrimam quandam imaginem sponsae, quam accepturus ipse princeps

155) Cf. 3 Rg 17, 1-18, 1 sqq.; 4 Rg 1, 10-14. 156) Cf. Ex 17, 8-13. 157) Is 56, 7; 1 Mach 7, 37; Mt 21, 13; Mc 11, 17; Lc 19, 46. 158) Cf. 2 Par 7, 1-6. 159) Cf. Gn 8, 9. 160) Cf. ibid. 5, 29. 161) Mt 11, 28-29. 161a) Gn 8, 9. 162) Cf. ibid. 163) Ps 54, 7. 164) Ps 67, 7. 165) 2, 10. 14; 5, 2; 6, 8.

est, in argentea sive aurea tabula pro dignitate unionibus gemmisque ornatissima. Accipit princeps imaginem, inspicit diligentissime omni ex parte, optimeque inspectam et consideratam, tunc vehementer laudat : O rem pulcram ! o rem pulcram ! Sic, inquam, hodie. Fuit nanque chananaea imago quaedam Ecclesiae Gentium, quae futura erat dilectissima sponsa Christi. Facta fuit imago haec a Spiritu Sancto, excellentissimo pictore qui coelum depinxit : *Spiritus Domini ornavit coelos.*[166] Missa est a Deo ad Christum, nam : *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet . . . Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.*[167] Optime ac diligentissime Christus magna cum voluptate imaginem contemplatur, non solum tabulam et ornatum, sed formam figuramque imaginis, colores, lumina, pulcritudinem, artem, et tunc laudat : *O mulier, magna est fides tua,* quae donum Dei est, *datum optimum et . . . donum perfectum.*[168] Tabula huius imaginis est natura sexus nobilissima forma et figura, supernaturalis gratia et virtus Spiritus Sancti.

et etiam Ecclesiae Gentium, quae futura erat dilecta sponsa Christi.

Ostenduntur autem divinae vires virtutis ; nam educit animam *a finibus Tyri et Sidonis,* a vitiis, vanitatibus mundi ; deducit eam ad Christum eique summe gratificat sponsamque Christi constituit, summo honore dignam : *Desponsabo te mihi in fide.*[169] Hinc Christus pergit obviam ei, sicut sponsus sponsae : *Egressus* est et *egressa* est ; vincit diabolum, expellit daemonium, vincit naturam ipsam, dum animam facit castam, humilem, fortem, constantem, patientem, religiosam, piam ; vincit quodammodo etiam ipsum Deum, sicut de Iacob legimus quod contra Deum fortis fuit, lucta eum superavit.[170] Sic hodie chananaea Christum vicisse ac superasse, convicisse visa est : *Etiam, Domine, nam et catelli edunt de micis.* Sic etiam in mulieribus magna et mirabilis virtus reperitur ; sic multae inveniuntur laudatae mulieres : Sara,[171] Rebecca,[172] Rachel,[173] Lia,[174] Rahab,[175] Ruth,[176] Abigail,[177] Anna mater Samuelis,[178] Debora prophetissa,[179] Iahel,[180] Esther,[181] Iudith,[182] Eva ipsa, quae a Spiritu Sancto laudata fuit,

Tandem in chananaea potentia virtutis ostenditur,

quae Deum ipsum quodammodo vincit.

166) Iob 26, 13. Vulg.: *Spiritus eius,* etc. 167) Io 6, 37-44. 168) Iac 1, 17.
169) Os 2, 20. Vulg. : *Sponsabo,* etc. 170) Cf. Gn 32, 24-28. 171) Cf. Hebr 11, 11.
172) Cf. Gn 24, 60. 173) Cf. Ruth 4, 11. 174) Cf. ibid. 175) Cf. Hebr 11, 31 ; Iac 2, 25.
176) Cf. Ruth 1, 1-4, 1 sqq. 177) Cf. 1 Rg 25, 3 sqq. 178) Cf. ibid. 1, 1-2, 1-10.
179) Cf. Idc 4, 4-16 ; 5, 1 sqq. 180) Cf. ibid. 4, 17-5, 1 sqq. 181) Cf. Est 4, 1 sqq. ; 14, 1 sqq. 182) Cf. Idt 8, 1-16, 1 sqq.

nam prophetiae spiritu afflatus dixit Adam: *Hoc nunc os ex ossibus meis.*[183] Adam autem laudatus non fuit. Hinc mulieres laudibus summopere delectantur, maxime vero laudibus honestatis et pulcritudinis, quoniam sic laudata fuit Eva a principio.

ALIA HOMILIA

O mulier, magna est fides tua; fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius in illa hora.[1]

Chananaea nobilissimo encomio laudatur a Christo ob virtutem.

I. Illustri et nobilissimo encomio laudatur hodie mulier haec a Christo, sicut laudata fuit Abigail, prudentissima mulier, a David,[2] Ruth moabitis a Booz, quae *mulier virtutis* appellata fuit:[3] אֵשֶׁת חַיִל,[4] quam tantopere invenire cupiebat Salomon dicens: *Mulierem fortem quis inveniet?*[5] אֵשֶׁת־חַיִל מִי יִמְצָא,[6] quoniam, ut ipse in suo *Ecclesiaste* ait: Virum *de mille unum reperi; mulierem ex omnibus non inveni,*[7] idest qualem desiderabat, cum mille uxores haberet;[8] nam ait: Quod *adhuc quaerit anima mea ..., non inveni,*[9] quia difficile est mulierem invenire pro voto. Sed tamen invenit hodie Christus.

et etiam ob dignitatem, quia mulier ex homine formata fuit eique in adiutorium data.

Et pro dignitate laudavit: *O mulier, magna est fides tua. Mulierem fortem* dicit Salomon mulierem praestanti virtute praeditam, mulierem strenuam, masculam, viraginem, virilis animi, virissam, qualem Deus formavit et אִשָּׁה,[10] idest virissam appellavit, sicut hominem אִישׁ,[11] ab igne, nobilissimo et illustrissimo elemento. Mulier autem formata fuit viro simillima: *Faciam ei adiutorium simile sibi:*[12] עֵזֶר כְּנֶגְדּוֹ,[13] adiutorem, quasi ipse sit coram se, ac si seipsum totum videret in speculo. Et quidem Adam, statim ut vidit Evam, summopere dilexit ac commendavit dicens: *Hoc nunc*

183) Gn 2, 23.

1) Mt 15, 28. 2) Cf. 1 Rg 25, 32-35. 3) Ruth 3, 11. 4) Ms.: *Esceth chaiil.* 5) Prv 31, 10. 6) Ms.: *Esceth chaiil mi iimza.* 7) 7, 29. 8) Cf. 3 Rg 11, 3. 9) Eccle 7, 29. 10) Ms.: *Ischah,* et infra: *Isch.* 11) Gn 2, 24. 12) Ibid. vr. 18. 13) Ms.: *Hezer chenegdo.*

os ex ossibus meis et caro de carne mea; haec vocabitur virago, quia de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem suam *et adhaerebit uxori suae; et erunt duo in carne una.* [14]

Mulier creatura nobilissima est origine, quia a manibus Dei aedificata,

Ostendit autem Divina Scriptura feminei sexus nobilitatem, necessitatem, utilitatem et voluptatem. Nobilitatem, ab auctore, a materia, a forma, a fine. Ab auctore, quia Deus ipse suis manibus eam plasmavit; opera autem excellentissimorum artificum summopere aestimantur; patet in picturis, in sculpturis, in statuis marmoreis, aeneis. Non potuit autem mulier excellentiorem habere opificem. A materia, quia non de terra, sicut homo, sed de carne et osse, nobiliori materia; digniori etiam loco, quia in paradiso; tempore etiam, quia sabbato creditur formata. [15] A forma, quia similis viro, simili anima donata *ad imaginem et similitudinem* [16] Dei. A fine, quia ad eandem beatitudinem paradisi coelestis creata, ut sicut vir domina esset et princeps mundi, hinc ait: *Dominamini piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae.* [17] Nec tantum origine nobilis, verum etiam matrimonio; tandem etiam filiis, nam, ut in pluribus, triplici ex capite contingit mulieribus nobilitas: a parentibus, a marito, a filiis.

et ad eandem beatitudinem, ad quam homo, destinata;

nobilissima etiam matrimonio, quia necessaria ad speciei propagationem.

Praeterea, ostenditur mulieris necessitas: *Non est bonum hominem esse solum; faciamus ei adiutorium simile sibi.* [18] Dicta est mulier *aedificata,* [19] quoniam prima domus hominis est; dicta *mater... cunctorum viventium,* [20] necessaria ad filiorum procreationem, ad perpetuandam naturam humanam. Utilis homini pro familiari oeconomia ad curam domus, ad educationem filiorum. Tandem, delectabilis, tanquam paradisus specialium deliciarum ipsius.

A Christo tamen chananaea laudatur ob solam virtutem;

II. At vero, Dominus non laudat mulierem hanc a natura et sexu nobili, non a genere et sanguinis nobilitate, non a fortuna et divitiis, non a patria aut matrimonio, non ab ornatu mundoque muliebri, aut pulcritudine et gratia, sed tantum a virtute; nam, ut Salomon ait: *Fallax gratia et vana est pulcritudo; mulier timens Dominum ipsa laudabitur;* [21] *O mulier, magna est fides tua; fiat tibi sicut vis.*

Et quidem multis virtutibus ornata ostenditur hodie beata haec

14) Gn 2, 23-24. Vulg.: *Quoniam de viro*, etc. 15) Cf. S. Laurentius a Br. *Opera Omnia*, vol. 3, *Explanatio in Genesim*, pag. 205, not. 10. 16) Gn 1, 26. 17) Ibid. vrr. 26-28. 18) Ibid. 2, 18. 19) Cf. ibid. vr. 22. 20) Ibid. 3, 20. 21) Prv 31, 30.

ornata enim ostenditur fide, pietate, patientia, humilitate, et prudentia,

mulier. In primis quidem, fides [elucet], quae nominatim laudatur a Christo ; deinde vero, religio, pietas, virtus orationis, devotio magna cum perseverantia ; item patientia, nam patienter tulit repulsas, audiens etiam canem se appellari a Christo ;[21a] tum etiam modestia, nam humillime misericordiam postulabat et catellam se affirmabat Domini ;[22] elucet etiam in ea prudentia ac sapientia in dictis ipsis quibus Christum movit ac quodammodo convicit, sicut mulier thecuitis Davidem sapientia sua induxit ad concedendam gratiam, quam petebat.[22a] Sic hodie chananitis precibus suis movit, vicit et convicit Christum.

et in his omnibus probatissima ab ipso Christo.

Sed tamen non laudavit hodie Christus, nisi probatam virtutem, sicut Deus, post tentationem et probationem, laudavit virtutem Abrahami.[23] Aurum, cum in fornace probatum fuerit, tunc iure laudari potest. Probavit Christus virtutem mulieris huius instar auri in fornace, cum *non respondit ei verbum;*[24] cum dixit : *Non sum missus, nisi ad oves,*[25] cum ait : *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus;*[26] nam aliquando in anulo lapis adamas esse videtur, et vitrum est ; aurum videtur esse, et aurichalcum est.

Laudatur mater, quia mater utilissima est familiae ;

Deinde mulierem laudat, sed matrem, non filiam ; senem aetate, grandaevam, non iuvenem, quae *male a daemonio*[27] vexabatur, sed tamen precibus matris sanata est.[28] Saepe materfamilias domui filiisque summe utilis est ; nam Sara procuravit Isaaco hereditatem totam patrimonii ;[29] Rebecca, Iacob benedictionem ;[30] Bethsabee, Salomoni filio regnum ;[31] vidua sareptana, defuncto filio vitam ;[32] Debora prophetissa summe utilis fuit reipublicae Hebraeorum ;[33] sapiens mulier, civitati Abela ;[34] Esther Iudaeis causa salutis ;[35] Iudith, magnae victoriae.[36]

ideo mulier virtuosa recte comparatur luci, ob pulcritudinem.

Sic valde utilis mulier, sicut lux, ubicunque sit, splendida est, pulcra est, in sole, in luna, in stellis, in coelo, in igne, in aere, in aqua, in terra ipsa ; ita et virtus in Deo, in Christo, in Angelis, in sanctis, in virili sexu, etiam in feminili ; pulcra imago Dei in Adam, pulcra in Eva, pulcra in viro, pulcra in muliere. Arca Dei non minoris

21a) Cf. Mt 15, 26. 22) Cf. ibid. vr. 27. 22a) Cf. 2 Rg 14, 2-22. 23) Cf. Gn 22, 1-18. 24) Mt 15, 23. 25) Ibid. vr. 24. 26) Ibid. vr. 26. 27) Ibid. vr. 22. 28) Cf. ibid. vr. 28. 29) Cf. Gn 21, 9-10. 30) Cf. ibid. 27, 1-29. 31) Cf. 3 Rg 1, 15-40. 32) Cf. ibid. 17, 17 sqq. 33) Cf. Idc 4, 4 sqq. 34) Cf. 2 Rg 20, 16-22. 35) Cf. Est 7, 1-8, 1 sqq. 36) Cf. Idt 13, 1 sqq.

virtutis et venerationis fuit in tabernaculo Moysi in deserto, quam in templo Salomonis in terra promissionis. Sic virtus non minoris est pretii et valoris in muliere quam in viro, imo aliquando etiam maioris; neque enim legitur vir tantopere laudatus a Christo: *Magna est fides tua.*

Sed tamen, virtus talis, qua mulier haec mundum, carnem, daemonen vicit, imo qua ipsum Christum superasse visa est, rara admodum est; uni tantum huic dictum est: *Magna est fides tua*, quae domum ipsius, ex Christi gratia, fecit ex inferno paradisum; prius infernus erat: *Male a daemonio vexatur*, postea paradisus: *Fiat tibi sicut vis; Voluntatem timentium se faciet et deprecationem eorum exaudiet.* [37]

nam in muliere hac virtus ostenditur vere pulcherrima.

Laudat Christus chananaeam mulierem, sed matrem, non filiam, quae *male a daemonio* vexabatur. Quam facile mulier iuvenis et mundi vanitatibus dedita, *male a daemonio vexatur* nunc amore, nunc odio, invidia, cupiditatibus vanisque et carnalibus tum desideriis tum passionibus animi. Mulier pulcra et vana est sicut arx vanitatis et insipientiae et fatuitatis; est sicut Samsonis vulpes [38] cum igne ad segetes comburendas; [39] est sicut simia coculatoris, quae puella larvata ac personata videbatur, ut refert Beatus Gregorius Nyssenus in Alexandria accidisse; [40] est sicut Aethiopissa cum pulcra larva. Talis est, inquam, mulier vana, sub pulcra facie turpis ac deformis anima; est sicut avis, qua utitur auceps ad turdos capiendos; sic enim daemon utitur pulcra et vana muliere ad capiendas animas infelicium iuvenum.

Non laudatur filia, quia iuvenes facile vanitates mundi sequuntur.

III. *Ecce mulier... a finibus illis egressa.* [41] Virtus eduxit mulierem hanc *a finibus Tyri et Sidonis* mundi huius, qui per Tyrum Sidonemque designatur; mundus enim hic vere Tyrus est, angustia, vera Sidon, venatio. Quisque sibi videtur angusto loco esse dignitatum, facultatum, voluptatum. Hinc omnis homo rerum harum amplitudinem quaerit; hinc venatio. Quisque enim in mundo hoc venator est; quisque venatur, hic quidem divitias, ille sensuum voluptates vel delicias et consolationes animi, alius honores et digni-

Chananaea a vitiis et cupiditatibus mundi egrediens et ad Christum veniens,

37) Ps 144, 19. 38) Ms.: *Vulpis.* 39) Cf. Idc 15, 4-5. 40) *De Professione Christiana*, (P. G. 46, 239-242). 41) Mt 15, 21.

tates vel potius mundi huius vanitates. Mulier autem chananaea ab his finibus egressa, venit ad Christum et voti compos facta est, optatam gratiam est consecuta.

facta est verum exemplar mulieris christianae.

Ecce mulier ... a finibus illis egressa. Mulier haec exemplar absolutum est mulieris vere christianae. Mulier nanque per fidem christiana est; sed tunc vere christiana est, cum ceteris quoque virtutibus, religione, modestia, patientia, prudentia, caritate praedita ornataque est. Mulier autem, quae talis non fuerit, profecto non erit ex ovibus Israel, canis erit: *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus;* indigna est gratia et benedictione Christi.

FERIA SEXTA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE

Prope erat Pascha, dies festus Iudaeorum, et ascendit Iesus Ierosolymam. Est autem Ierosolymis, etc. [1]

I. Miserabile simul et mirabile piscinae huius spectaculum ; miserabile, quoniam in suis porticibus *iacebat multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum;* [2] hospitale erat, publicum xenodochium miserabilium et incurabilium infirmorum ; sed mirabile, quoniam *Angelus... Domini secundum tempus descendebat in piscinam, et movebatur aqua; et* quicunque *descendisset in piscinam post motionem aquae* ante alios, *sanus fiebat a quacunque detinebatur infirmitate,* [3] sive caecus esset sive claudus sive aridus, aut quovis alio morbo aut languore gravatus. O divinum plane miraculum ! Quale balneum erat huius piscinae ! Quae virtus imprimebatur ab Angelo aquis eius !

Miserabile spectaculum ostenditur in hac piscina, ubi tot infelices iacebant, et mirabile simul, quia multa mira fiebant;

Sed multo mirabilius spectaculum, quia in eam descendit Christus, *magni consilii Angelus,* [4] Dominus Angelorum ; et cum reperisset ibi hominem *triginta et octo annos* habentem *in infirmitate sua,* [5] solo imperio citius eum curavit et viribus validis praedidit : *Surge, tolle grabatum tuum et ambula. Et statim,* in ictu oculi, *sanus* surrexit tulitque *grabatum suum* [6] et abiit. Et, quod mirabilius est, non corporea tantum sanitate eum donavit, verum etiam spiritali : *Totum,* inquit, *hominem sanum feci in sabbato.* [7]

mirabilius vero ob miraculum a Christo patratum.

Sic enim *Dei perfecta sunt opera;* [8] sic ab initio hominem corpore et spiritu perfectum condidit. [9] Sicut autem peccatum utranque naturam et substantiam hominis labefactavit, ita Christi gratia utrique integritati hominem restituit. Quare ostenduntur in hac piscina ef-

In ea autem ostenduntur effectus tum peccati tum gratiae.

1) Pericope huius diei Io 5, 1-15. Verba: *Prope erat Pascha,* in Missale Rom. non inveniuntur, sed S. Auctor ex Io 2, 13 refert. 2) Ibid. vr. 3. 3) Ibid. vr. 4. Vulg.: *Descendebat secundum tempus,* etc. 4) Is 9, 6. Ex Translat. Septuaginta. Cf. S. Hieronymus *Comment. in Isaiam.* (P. L. 24, 128). 5) Io 5, 5. 6) Ibid. vrr. 8-9. 7) Ibid. 7, 23. 8) Dt 32, 4, 9) Cf. Gn 2, 7.

fectus tum peccati tum gratiae. Nam hominis huius per Christum curati infirmitas et tam prolixus languor, effectus peccati fuit, quod Christus manifeste insinuavit cum ei dixit: *Ecce sanus factus es*[10]..., *noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*[11]

Peccatum omnium malorum causa est;

II. Sic peccatum malorum omnium in causa est. Nam in poenam peccati [homo] eiectus de paradiso fuit,[12] nuditatem et ignominiam agnovit,[13] expertus est paupertatem, expertus timorem divinae iustitiae et conscientiae remorsum. Post peccatum audivit: *Maledicta terra in opere tuo... spinas et tribulos germinabit tibi... In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es.*[14] Post peccatum audivit mulier: *Multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos; in dolore paries filios, et sub viri potestate eris et ipse dominabitur tui.*[15] Post peccatum egere coepit vestibus, hinc induit eos Dominus tunicis pelliceis;[16] et tandem multis malis affectus fuit, sicut homo qui *descendebat ab Ierusalem in Iericho,*[17] a latronibus spoliatus fuit bonis omnibus et insuper plagis ac vulneribus affectus.

patet in peccato protoparentum, ut S. Scriptura testatur,

Peccati effectus vix explicari possunt; sed M o y s e s tamen multos explicat nominatim. Praeter mortem et mortales infirmitates, recenset timorem et pudorem ob nuditatem: *Vocem tuam,* Domine, *audivi... et timui, eo quod nudus essem;*[18] nam post peccatum *aperti sunt oculi eorum* et cognoverunt *se esse nudos.*[19] Nec modica poena nuditas ipsa est et indumentorum egestas vel indigentia. Postea vero, maledictionem terrae, idest sterilitatem, unde caritas rerum, unde fames, laborem item agriculturae, ita ut hominem servum terrae constituerit. Adhuc autem, dolores et aerumnas tum animi tum corporis. Carnalem item concupiscentiam: *Ad virum tuum concupiscentia tua;*[20] venereus autem amor et carnis immoderata cupiditas in quas angustias redigit miseros amantes! Quam amarus est saepe amor! Tandem recenset servitutem; siquidem et Noe Cham impium filium servituti obnoxium fecit: *Maledictus Chanaan: servus servorum erit fratribus suis... Benedictus Deus Sem: sit Chanaan servus.*[21]

10) Ms.: *Est.* 11) Io 5, 14. 12) Cf. Gn 3, 24. 13) Cf. ibid. vrr. 7-11. 14) Ibid. vrr. 17-19. Ex Translat. Septuaginta. 15) Ibid. vr. 16. 16) Cf. ibid. vr. 21. 17) Lc 10, 30. 18) Gn 3, 10. Pronomen *eo* ab A. Gramatica in nova edit. Bib. S. expunctum fuit. 19) Ibid. vr. 7. 20) Ibid. vr. 16. Ex hebraico. 21) Ibid. 9, 25-26.

Sed in evangelico hoc languido manifestissimi sunt peccati effectus, si eum cum Adam in paradiso, cum adhuc esset innocens, conferamus. Paradisus ille deliciarum a peccato commutatus est in miserabile xenodochium incurabilium morborum ; divitiae illae, quibus tunc homo totius orbis dominus erat, in extremam paupertatem, egestatem et rerum omnium indigentiam ; perpetua illa sanitas et immortalitas, in perpetuum languorem incurabilemque et mortalem infirmitatem ; ac denique summa felicitas, in summam infelicitatem extremasque miserias. Sic iacebat infelix homo, bonis omnibus spoliatus, miseriis tantum dives, sicut Iob in sterquilinio,[22] figura et imago totius humani generis in statu culpae et peccati.

et designatur etiam in hoc languido evangelico,

Quod quidem usque ad Christi adventum sic mansit spatium triginta et octo annorum, idest tot annorum centuriis, si annum pro centuria accipiamus, sicut apud Ezechielem legimus diem pro anno,[23] et in Lege reperiuntur annorum hebdomades,[24] sicut etiam apud Danielem.[25] Venit enim Christus in mundum circa finem, vel potius versus finem quarti annorum millenarii a creatione mundi, nam bis mille anni computantur sub lege naturae et totidem fere sub lege Moysi, a circumcisione tamen in Abraham sumpto principio. Sic venit Christus in piscinam mundi huius, cum miserabilis iste languidus *triginta et octo annos* haberet in infirmitate.

qui genus humanum figurat.

III. Piscina autem haec mundum ipsum designat, qui bene *quinque porticus* habet, propter imperfectionem. Nam, cum Deus sex diebus mundum crearet propter perfectionem, quia *Dei perfecta sunt opera*, et : *Vidit Deus omnia quae fecerat, et erant valde bona* ;[26] propter peccatum tamen omnia fere facta sunt imperfecta ; terra maledicta, sterilis, infecunda, malarum tantum herbarum ferax ; aquae insalubres, sicut legimus de aquis Iericho : *Habitatio terrae huius optima est, . . . sed aquae pessimae sunt* ;[27] sic etiam aquae Mara amarissimae ;[28] aer multis locis corruptus, pestilens et ubique causa multorum morborum, multarum infirmitatum ; coelum non satis benignum experimur: aestate nimio nos calore adurit, hieme autem asperrimo frigore, et saepe in

Piscina haec mundum designat ;

22) Cf. Iob 2, 7-8. 23) Cf. 4, 4-10. 24) Cf. Lv 25, 8. 25) Cf. 9, 24-27. 26) Gn 1, 31. Vulg. : *Viditque Deus cuncta quae*, etc. 27) 4 Rg 2, 19. Vulg. : *Habitatio civitatis huius optima*, etc. 28) Cf. Ex 15, 23.

terram perniciosos immittit influxus, unde morbi et contagia, pestilentiae et fames, bella et multae clades.

porticus vero huius piscinae quinque mundi zonas ab homine, tot miseriis presso, habitatas.

Quinque etiam sunt piscinae huius porticus, quoniam quinque, ut aiunt, sunt zonae mundi :[28a] a polo arctico ad circulum arcticum, hinc ad tropicum cancri ; tertia est usque ad tropicum capricorni ; quarta usque ad circulum antarcticum, et quinta usque ad polum antarcticum. In his habitant homines universum per orbem distincta terra ad distinctionem coeli. Quoniam autem *mundus totus in maligno positus est*[29] et corporali miseriarum et spirituali vitiorum malignitate plenus, hinc ait : *In his iacebat multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum.*

Christus venturus erat ut hominem a culpis et poenis peccatorum liberaret;

Christus autem venturus erat ad salvandum *populum suum a peccatis eorum,*[30] idest a culpis et poenis peccatorum. Hinc Isaias ait : *Deus ipse veniet et salvabit vos; tunc aperientur oculi caecorum et aures surdorum patebunt.*[31] Quare, interrogatus a Ioanne Christus an ipse esset Messias salvator, qui venturus erat, respondit : *Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.*[32] Videtis quinque malorum classes, malorum autem tum corporalium tum spiritualium, sicut homo anima et corpore constat.

imo multo maiora bona daret, quam per peccatum amissa fuerint,

Christus autem, perfectus redemptor atque salvator, utraque mala ablaturus venit. Sic hodie hominem hunc pristinae sanitati perfectae restituit : *Statim sanus factus est homo ille;*[33] *Totum hominem sanum feci in sabbato.* Sic Iob restitutus fuit, post plagas et flagella, pristino splendori, imo multo maiori ; nam amissas divitias Deus duplicatas reddidit, prolem autem duplo gratiosiorem ;[34] sic populus Dei multo ditior egressus ex Aegypto fuit, quam intraverit ;[35] et Iacob multo locupletior reversus fuit a Mesopotamia in domum patris sui.[36] Sic Divus Paulus ad *Romanos* docet nos per Christi gratiam multo maiora bona acquisivisse, quam per Adami peccatum amiserimus : *Non sicut delictum,* inquit, *ita et donum; si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit. Et non sicut per unum peccatum, ita et donum... Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo*

28a) Cf. S. Isidorus Hisp. *De Natura Rerum*, cp. 10, (P. L, 83, 978-979). 29) 1 Io 5, 19. 30) Mt 1, 21. 31) 35, 4-5. 32) Mt 11, 5. 33) Io 5, 9. 34) Cf. Iob 42, 10 sqq. 35) Cf. Ex 11, 2-3 ; 12, 35-36 ; Ps 104, 37. 36) Cf. Gn 30, 43 ; 31, 1 sqq.

magis abundantiam gratiae et donationis et iustitiae accipientes, in vita regnabunt per unum Iesum Christum. Igitur, sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae. [37]

Multus est in argumento Paulus pro dignitate; quod autem docet hoc est quod, sicut Christus maior Adamo est, ita gratia Christi maior peccato Adami, ita ut non solum vincat unum illud peccatum, verum etiam omnia mundi peccata; nam meruit Christus non unius tantum peccati illius remissionem, verum etiam omnium: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi;* [38] *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, verum etiam pro totius mundi.* [39] Maior est lux solis, quam umbra terrae; quod si per Adamum amisimus terrestrem paradisum, per Christum acquisivimus coeleste; si per Adami peccatum amisimus gratiam Spiritus Sancti, per gratiam Christi multo maiora Spiritus Sancti dona sunt data fidelibus, Prophetis, Apostolis, sanctis viris Deo dignis. Et Christus in Sacramentis Ecclesiae infinitum plane reliquit gratiae thesaurum ad iustificandas salvandasque animas.

quia sicut Christus maior Adam est, ita gratia Christi maior est Adae peccato;

Hoc igitur est quod homo iste per Christum restitutus est pristinae sanitati; imo maiori integritati secundum spiritum, in mysterio generis humani, non secundum carnem, adhuc usque ad generalem mortuorum resurrectionem per Christum. Siquidem, ut idem Paulus ait: *Per hominem mors et per hominem vita. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita ... in Christo omnes vivificabuntur,* [40] plane in die iudicii, quando *omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei,* [41] *et qui audierint vivent.* [42]

nunc enim genus humanum sanatur in anima, post resurrectionem sanabitur in corpore.

IV. Nunc quidem non videtur Christus perfectus salvator et redemptor iis qui secundum carnem ambulant, quoniam Christi fideles ita subiecti sunt morti et obnoxii infirmitatibus carnis sicut et infideles. At vero, non est ferendum iudicium de arborum fructibus ante maturitatem. Si dicam quod ficus suavissimos facit fructus, quod vitis dulcissimas uvas, non sunt gustandi hi fructus ante maturitatem,

Licet vero nunc miseriis homo obnoxius sit,

37) 5, 15-18. 38) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum mundi.* 39) 1 Io 2, 2. Vulg.: *Sed etiam pro*, etc. 40) 1 Cor 15, 21-22. Vulg.: *Et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut*, etc. 41) Io 5, 28. 42) Ibid. vr. 25.

non ideo Christus dicendus est imperfectus salvator,

Christus arbor dicitur *secus decursus aquarum*, quae *fructum suum dabit in tempore suo*.[43] Templum Salomonis nonnisi octavo anno completum ac perfectum fuit.[44] Deus ipse die septimo complevit opus creationis mundi.[45] Si quis opus Dei iudicare voluisset primo aut secundo vel tertio die creationis mundi, imperfectum reperisset; quare dicere potuisset non esse perfecta Dei opera. Homo animal est rationale; sed non est iudicandum de eo, dum est in utero matris, aut in infantili vel puerili aetate, sed cum ad perfectam aetatem pervenerit perfectumque rationis, iudicii et liberi arbitrii usum[46] habuerit. Sic de opere humanae redemptionis per Christum: *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.*[47] De arboribus non est ferendum iudicium in hieme, quando omnes veluti emortuae videntur; sed suo tempore, in vere, in aestate, et autumno. Hinc Paulus *Colossensibus* aiebat: *Quae sursum sunt sapite, non quae super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum* autem *Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis* simul *cum ipso in gloria.*[48] Divus Petrus ait quod *mortuis*, utique in Christo secundum carnem, *evangelizatum est ut iudicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum Deum in spiritu*,[49] idest ut carne quidem et corpore similes sint ceteris hominibus, spiritu autem Deo similes, sicut Angeli. Hinc Paulus ad *Romanos* ait: *Si... Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter iustitiam. Quod si Spiritus eius, qui suscitavit Iesum..., habitat in vobis, qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.*[50]

quia de Christi redemptione iudicandum non est ante finalem mortuorum resurrectionem;

In primo suo adventu Christus voluit salvator esse animarum, non corporum, tum ut homines ipsi Christo similes essent, qui *exinanivit semetipsum formam servi accipiens in similitudinem hominum factus*,[51] tum propter meritum fidei et caritatis. Nam, si per gratiam Christi homines immortales in hac vita redderentur, sicut Adam in paradiso, nulla esset fides, sed evidentia, et propter vitae cupiditatem homines

Christus enim primo et principaliter salvator est animarum,

43) Ps 1, 3. 44) Cf. 3 Rg 6, 38. 45) Cf. Gn 2, 2. 46) Ms.: *Sum.* 47) Phil 3, 20-21. 48) 3, 2-3. Vulg.: *Est abscondita*, etc. 49) 1 Petr 4, 6. 50) 8, 10-11. Vulg.: *Vivit propter iustificationem*, etc. 51) Phil 2, 7. Vulg.: *Semetipsum exinanivit*, etc.

Christi religionem suscepissent, non ex caritate aut virtutis amore. Praeterea quoniam, sicut Christus Paulo dixit: *Virtus in infirmitate perficitur,* [52] et: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae.* [53] Sed *qui secundum carnem sunt,* inquit Paulus ad *Romanos, quae carnis sunt sapiunt, qui autem secundum spiritum..., quae sunt spiritus sentiunt.* [54] Si Christi Sacramenta conferrent corporum sanitatem, sicut aquae huius evangelicae piscinae, et sicut aquae Iordanis Naaman syrum mundaverunt a lepra, [55] et aquae Siloe caeco nato lumen oculorum dederunt, [56] bone Deus, quanta esset [57] Sacramentorum frequentia! Si Christi Baptisma conferret corporum immortalitatem, quis hominum non baptizaretur?

et vult homines religionem profiteri non bonorum temporalium cupiditate, sed virtutis amore;

Sed Deus virtutem requirit a nobis, ut ipsum toto ex corde et animo diligamus, non emolumenti alicuius intuitu. Hanc ob causam Christus non in maiestate, sed in humilitate venit in mundum. Veniet tandem in maiestate ad glorificanda etiam corpora suorum fidelium. Sed non capit haec mundus: *Animalis... homo non percipit... quae sunt spiritus Dei,* [58] mundus totus carnalis est; *qui autem in carne sunt,* inquit Paulus, *Deo placere non possunt;* [59] *nam prudentia carnis mors est... quoniam sapientia carnis inimica est Deo,* sive, ut graece est, *inimica est in Deum,* idest inimicitias exercet in Deum, *legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest,* [60] sicut vitium non potest esse virtus, nec tenebrae lux, aut nox dies, nec brutum rationale animal, aut terra coelum.

ideo venit in humilitate ad animas salvandas, in fine veniet in maiestate ad glorificanda fidelium corpora.

V. Hac de causa existimo, fratres, non sine mysterio factum esse hodie ut, cum Christus in piscina magnam invenerit multitudinem *languentium, caecorum, claudorum, aridorum,* non tamen nisi hunc unum sanaverit; sed ut sciamus quod, licet Deus velit *omnes homines salvos fieri,* [61] et Christus pro salute omnium hominum in mundum venerit, quare a Paulo dictus est: *Salvator omnium hominum, maxime* autem *fidelium,* [62] pauci tamen sunt qui salvantur, in causa autem est quoniam pauci sunt qui vere salvari volunt. Nam pro-

Pauci sunt qui salvantur,

52) 2 Cor 12, 9. 53) Iac 1, 12. 54) 8, 5. Vulg.: *Qui vero secundum spiritum,* etc. 55) Cf. 4 Rg 5, 1-14. 56) Cf. Io 9, 1-7. 57) Ms.: *Esse.* 58) 1 Cor 2, 14. 59) Rom 8, 8. 60) Ibid. vv. 6-7. 61) 1 Tim 2, 4. 62) Ibid. 4, 10.

pterea Christus hominem hunc interrogavit: *Vis sanus fieri?* [63] Quoniam, sicut in mundo hoc opus quoddam est proprium coeli, ut claritas et lux diurna per solem, quoddam proprium terrae, ut obscura nox per umbram terrae, quoddam commune simul coeli et terrae, ut generare quae natura producuntur in terra; ita in spirituali mundo, idest Ecclesia, quoddam opus solius Dei est, ut creare gratiam, quoddam solius hominis, ut peccare, quoddam commune est Dei et hominis, ut animam iustificare et sanctificare; hoc enim Deus non agit invito homine, sed ipso consentiente et volente. Sic legimus: *Veritas de terra orta est et iustitia de coelo prospexit;* [64] sic: *In pinguedine terrae et in rore coeli erit benedictio tua.* [65] Accidit sicut in familia: quaedam opera viri sunt propria, ut providere quae domui sunt necessaria; quaedam uxoris, ut domus curam habere, quaedam communia, ut filios procreare, hoc enim nec vir potest sine muliere nec mulier sine viro. Salus autem homini sine virtute, sine viva fide, sine vera caritate, non contingit.

quia ad iustificationem requiruntur gratia Dei et cooperatio voluntatis;

Paucissimi autem sunt qui virtutum coelestium et caritatis divinae vere sint studiosi, qui per viam mandatorum Dei ambulare velint, qui per salutis viam velint incedere, quoniam difficilis et aspera nimisque arcta videtur, via autem perditionis lata, [66] perquam facilis, plana; paucissimi sunt qui velint cum Angelis per scalam virtutum in coelum ascendere, ut Iacob patriarcha in mysterio vidit. [67] Qui autem ad finem consequendum renuit quae necessaria sunt, finem quomodo consequetur?

sed paucissimi inveniuntur virtutum vere studiosi,

Ad salutem consequendam opus est bona voluntate: *Vis sanus fieri?* Bona autem voluntas arbor bona est quae facit fructus bonos et non potest malos fructus facere; mala autem voluntas arbor mala est quae facit fructus malos et non potest bonos fructus facere: [68] *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, et malus homo de malo thesauro* cordis sui *profert malum.* [69] Ubi est bona voluntas in nobis, fratres, si male agimus? si male loquimur? Nam: *Ex abundantia... cordis os loquitur.* [70] Angeli in Christi nativitate cecinerunt: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* [71]

quia non habent bonam voluntatem,

63) Io 5, 6. 64) Ps 84, 12. 65) Gn 27, 39-40. 66) Cf. Mt 7, 14. 67) Cf. Gn 28, 12. 68) Cf. Lc 6, 43. 69) Ibid. vr. 45. 70) Ibid. 71) Ibid. 2, 14.

Ab Angelo annunciatus fuerat Christus ut salvator populi, [72] sed chorus Angelorum declarat salvandos quidem homines, sed homines *bonae voluntatis; Vis sanus fieri?* Nisi haec adsit, actum erit de nobis. Quoniam vero paucissimi sunt homines *bonae voluntatis*, ideo paucissimi salvati fuerunt in diluvio, [73] paucissimi in incendio Pentapolis, [74] paucissimi ex Hebraeis, qui ex Aegypto egressi fuerunt, in terram promissionis ingressi fuere. [75] Sic Paulus ex Isaia docet: *Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiae salvae fient.* [76] Pauci sunt qui salvantur, quoniam pauci sunt qui iustificantur, qui per Christi gratiam sanctificantur. Sine iustitia autem non potest esse salus, quoniam in coelum ingredi non potest peccatum.

sine qua iustificatio impossibilis est.

VI. Elucet autem in piscina hac divinae iustificationis mysterium per Spiritum Sanctum, qui per Angelum designatur – nam: *Caritas Dei*, quae sanitas animae est, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis;* [77] – sed non sine motione aquae, [78] non sine interna commotione et mutatione cordis iustificatur homo.

Multa mysteria in hac piscina figurantur: *a*) de iustificatione,

Mirabilis est haec piscina evangelica ob divina mysteria et sacramenta quae latent in ea; nam figura et imago erat lavacri *regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.* [79] Et praeterea multa hic philosophari possemus de mirabili hoc Angeli descensu, sicut descendit Angelus in fornacem Babylonis [80] et in lacum leonum; [81] philosophari de natura Angelorum: quod Angelus spiritus sit invisibilis: *Qui facit Angelos suos spiritus,* [82] hinc non videbatur Angelus descendens, sed tantum ex motu aquae agnoscebatur; quod creatura sit, servus et minister Dei, hinc dicitur *Angelus Domini.* [83] Licet creationem Angelorum non tetigerit Moyses in sua cosmopoeia, ostendit tamen eos ministros esse Domini in Cherubim positis ante paradisum, [84] in Angelis ascendentibus et descendentibus per scalam Iacob, [85] et in Angelo qui populum in columna nubis per desertum praecedebat, [86] in illo etiam qui percussit primogenita Aegypti [87] et aliis. Multa de loco, de motu, de tempore Angelorum, nam: *Secundum tempus*, inquit,

b) de Baptismo,

c) de Angelorum natura eorumque officiis et operationibus,

72) Cf. Mt 1, 21; Lc 2, 11. 73) Cf. Gn 7, 23; 1 Petr 3, 20. 74) Cf. Gn 19, 1-29. 75) Cf. Nm 14, 22-38; 26, 65; 32, 10-13; Dt 1, 35-36; 31, 3; Ios 14, 6 sqq. 76) Rom 9, 27; Is 10, 22. 77) Rom 5, 5. 78) Cf. Io 5, 5. 79) Tit 3, 5. 80) Cf. Dn 3, 49-50. 81) Cf. ibid. 6, 21-22. 82) Ps 103, 4; Hebr 1, 7. 83) Io 5, 4. 84) Cf. Gn 3, 24. 85) Cf. ibid. 28, 12. 86) Cf. Ex 13, 21; 14, 19. 87) Cf. ibid. 12, 29.

descendebat et movebatur aqua; [88] de mirabili virtute et operatione Angelorum, nam : *Post motionem aquae* sanabatur homo *a quacunque detinebatur infirmitate.* [89]

d) de humanae naturae dignitate, cui Angeli deserviunt,

Mirabilis piscina, quoniam elucet in ea magna dignitas humanae naturae ex descensu Angeli Domini. Si enim videremus puerum aliquem cui nobilissimi viri deservirent, cuius paedagogus esset magnus aliquis Episcopus, cuius magister morum magnus aliquis princeps, inde profecto coniceremus puerum illum summi alicuius regis aut imperatoris filium esse, cuius ministerio tales ac tanti viri deputati essent. De homine autem legimus : *Angelis suis* Deus *mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis; in manibus portabunt te.* [90] Sic Paulus ait quod *omnes* Angeli *sunt administratorii spiritus, in ministerium missi iis qui hereditatem capient salutis.* [91] Sic pro salute languidorum descendebat Angelus Domini ; et tandem ipse Christus Rex et Dominus Angelorum, in piscinam hanc venit ad sanandos omnes, nam, sicut legimus : *Virtus de illo exibat et sanabat omnes ;* [92] *Et quotquot tangebant eum, salvi fiebant* [93] a quacunque detinebantur infirmitate.

e) de divina providentia mundum mirabiliter gubernante,

Mirabilis piscina, quoniam erat veluti manifestissima quaedam et certissima geometrarum demonstratio, adesse in mundo invisibile divinum Numen, infinita virtute valens supra omnem universalis naturae potestatem, quo fiebat ut, quicunque *prior descendisset in piscinam post motionem aquae, sanus* fieret *a quacunque* detineretur *infirmitate,* etiam incurabili, uti est paralysis, uti ariditas, uti est caecitas ; quod naturae omni et medicorum omni arti impossibile erat. Sic piscina redarguebat et convincebat omnes atheistas omnesque insipientes, qui nonnisi quae sub sensum cadunt credere volunt.

f) de divina misericordia et iustitia,

Mirabilis piscina, quoniam demonstrantur in ea veluti in theatro mirabilia opera, non tantum divinae potentiae, verum etiam misericordiae et iustitiae ; infirmitates enim opera sunt iustitiae in punitionem peccatorum, sanitates autem opera divinae misericordiae et bonitatis Dei. In qua etiam elucent opera divinae providentiae circa homines.

Mirabilis piscina, quoniam demonstratur in ea quid natura possit

88) Io 5, 4. 89) Ibid. 90) Ps 90, 11-12. 91) Hebr 1, 14. Vulg. : *Missi propter eos*, etc. 92) Lc 6, 19. 93) Mc 6, 56.

per peccatum labefactata, quid gratia; naturae infirmitas in languido, Christi gratia in sanato. Ostenditur veritas humani arbitrii: *Vis sanus fieri?* Et: *Ecce sanus factus es, iam noli* amplius *peccare, ne deterius tibi aliquid contingat;* nam *fiunt novissima hominis* recidentis in peccatum *peiora prioribus.*[94] Ubi etiam liquido patet quod, cum gratia iustificationis effectus sit divinae praedestinationis: *Quos... praedestinavit, hos et vocavit... et iustificavit,*[95] ipsa tamen praedestinatio ac divina praedeterminatio non infert necessitatem humano arbitrio ac liberae hominis voluntati, sed ipsius requirit assensum et consensum.

g) de libero arbitrio et de gratia Christi iustificante et praedestinante.

Designatur etiam per piscinam hanc sacramentum non solum Baptismi, sed Poenitentiae. Christus sacerdos est, languidus poenitens. Si accedat poenitens languidus, tepidus, non contritus, vix attritus, interrogandus est: *Vis sanus*[96] *fieri?* Tunc danda est absolutio, sed cum bona poenitentia; sic enim agit hodie Christus: *Surge... Et statim sanus factus est,* hic est absolutionis effectus; sed: *Tolle grabatum tuum et ambula,* hoc symbolum est poenitentiae pro satisfactione. Magdalenam Christus simpliciter absolvit: *Dimittuntur tibi peccata tua... vade in pace,*[97] propter magnam contritionem: *Quoniam dilexit multum.*[98] Non sic egit in languido, sed: *Surge, tolle lectum tuum.*[99]

h) de virtute sacramenti Poenitentiae;

Elucet in piscina hac mysterium iustitiae et misericordiae Dei: iustitiae in languoribus, misericordiae in sanitatibus miraculo per Angelum et per Christum collatis. Usus fuerat Deus aqua contra mundum in diluvio,[100] nunc utitur aqua in favorem salutemque mundi, uti in sacramento Baptismi. Usa fuerat igne in incendio Pentapolis iustitia,[101] usa est igne misericordia in missione Spiritus Sancti;[102] sic usa est misericordia in salutem hominis instrumentis iustitiae in perditionem.

i) sed praecipue elucet in ea mysterium iustitiae et misericordiae erga hominem.

Vis sanus fieri? Invitat ad salutem Christus, invitat ad perditionem satanas; Christus ad lignum vitae aeternae, satanas ad lignum perpetuae mortis, sicut olim invitavit parentes nostros ad *lignum scientiae,*[103] quo universam humanam naturam veneno mortalissimo

Audiendus est ergo Christus ad vitam invitans.

94) Mt 12, 45. 95) Rom 8, 30. 96) Ms.: *Sanus* bis ponitur. 97) Lc 7, 48-50. Vulg.: *Remittuntur tibi,* etc. 98) Ibid. vr. 47. 99) Io 5, 8. Vulg.: *Grabatum tuum,* etc. 100) Cf. Gn 6, 5-7, 1 sqq. 101) Cf. ibid. 19, 1-29. 102) Cf. Act 2, 1-4. 103) Ibid. 3, 1-14.

non satanas ad mortem alliciens.

infecit. Si invitatus a ficto amico semel venenatus fuisti, ad mensam ipsius num iterum invitatus cum eo, in domum ipsius ad prandium vel coenam ibis, ut iterum veneneris? An non insanus omnino et amens reputareris, si iterum invitationem acceptares? Ah! semel te satanas veneno peccati infecit in extremam perniciem et perditionem tuam, et iterum peccabis?

ALIA HOMILIA

Est autem Ierosolymis [1] probatica piscina... quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna. [2]

Elucent in hac piscina mirabiles effectus gratiae Dei

I. Sicut in mundo hoc videmus lucem et tenebras, diem et noctem, sed a diversis principiis ducunt originem: lux a coelo, tenebrae a terra, dies a claritate solis, nox vero ab umbra terrae; sic videmus in hac piscina, mysteriis plena, sanitatem et infirmitates varias; sed sanitatem a coelo, a gratia Dei divinoque miraculo; infirmitates vero a morbo et corruptione naturae. Videmus in piscina hac mirabiles effectus gratiae Dei et effectus miserabiles peccati, cuius auctor extitit satanas. *Iacebat multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum:* [3] ecce effectus peccati; *Angelus autem Domini secundum tempus descendebat in piscinam et movebatur aqua; et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquae, sanus fiebat a quacunque detinebatur infirmitate:* [4] ecce mirabiles effectus gratiae Dei: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* [5] Ostenditur peccatum origo omnium malorum: *Ecce sanus factus es..., noli* amplius *peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* [6] Sic ostendit Dominus peccatum extitisse in causa omnis infirmitatis et morbi. Hinc videmus hic hominem multo differentem ab eo, quem Deus condidit et *in paradiso voluptatis* collocavit. [7]

et miserabiles effectus peccati.

II. Duo mirabilia opera magnaque miracula, sicut duo luminaria magna in coelo, videmus in hac sacratissima piscina: alterum, quod per invisibilem Angelum invisibiliter fiebat; alterum, quod per visi-

1) Ms.: *In* adicitur. 2) Io 5, 2-3. 3) Ibid. 4) Ibid. vr. 4. 5) Ps 102, 3. 6) Io 5, 14. 7) Gn 2, 15.

bilem Christum visibiliter factum est. Magnum miraculum quod fiebat per Angelum, quia sanabatur unus *a quacunque detinebatur infirmitate*. Circa hoc autem miraculum, quod fiebat per Angelum, multa dicenda essent de angelica natura: an Angelus creatus sit, an increatus; cum coelo, an ante, quoniam Moyses nihil dicit de Angelorum creatione; corpus sit, an spiritus; materialis, an omnino immaterialis; an virtutem et potestatem habeat faciendi miracula; de actionibus et operationibus Angelorum; de ipsorum loco, tempore et motu; an in loco sint, sicut stellae in coelo, an sine loco, sicut cogitatio, conceptus in animo; an loco moveantur per medium spatium, sicut sol ab ortu ad occasum, sicut avis volans per aera, an sicut visus hominis transit ab oriente in occidentem; an aetas et actiones eorum mensurentur tempore, sicut actiones hominum, an sine tempore sint, sicut actiones Dei.

Ex hoc autem mirabili facto variae quaestiones exurgunt de Angelis,

Sed sufficiant quae ab Evangelista innuuntur cum ait: *Angelus autem Domini secundum tempus descendebat in piscinam. Angelus Domini* dicitur, quia creatura Dei, quia servus et minister Dei. Descendebat invisibiliter: ergo spiritualis est: *Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis.* [8] *Descendebat:* ergo movebatur de loco ad locum, desursum, deorsum: ergo Angelus in loco est, licet non, sicut corpora, per circumscriptionem, sed per definitionem; movetur etiam per locum transiens per medium spatium, sicut Angeli per scalam Iacob ascendentes et descendentes. [9] *Descendebat secundum tempus:* ergo tempore moventur, non in instanti, licet citius cogitatione perniciosissime moveantur, aquilis, stellis infinitis prope gradibus velociores. *Descendebat... et movebatur aqua*, quoniam corporalia obediunt spiritualibus. Sanabatur homo *a quacunque... infirmitate:* ergo operantur miracula, sed tamen virtute Dei, sicut Prophetae; sic dicuntur *potentes virtute: Benedicite Dominum, omnes Angeli eius, potentes virtute, qui facitis verbum eius, ad audiendam vocem sermonum eius; benedicite Dominum, omnes virtutes eius, exercitus eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius.* [10] Sic igitur Angelus iste tanquam minister Domini descendebat in piscinam, sicut descendit Angelus Domini in fornacem Babylonis et vim ignis fre-

sed ex eo potissimum patet Angelum esse Dei creaturam et ministrum,

spiritualem, a loco non circumscriptum, sed definitum, et in tempore se moventem,

Dei virtute miracula operantem.

8) Ps 103, 4; Hebr 1, 7. 9) Gn 28, 12. 10) Ps 102 (hebr. 103), 20-22. Vulg.: *Benedicite Domino... facientes verbum illius.* Ex hebraico.

navit, ne tres sanctos iuvenes, Dei martyres, vel minimum laederet, sed tantum ligamina solveret;[11] sicut descendit Angelus Domini in lacum leonum, ubi Daniel erat, et obturavit ora leonum, ne sanctum Dei vatem innocentem devorarent.[12]

Sed maior Angelo Christus, quia sua virtute et solo iussu multa mirabilia operatus est,

III. Sed miraculum in piscina hodie per Christum operatum, multo maius, multo mirabilius est; nam sine motu, sine aqua, solo verbo, solo iussu: *Surge, tolle grabatum tuum et ambula... Statim sanus factus est homo.*[13] Magna virtus Angeli, sed maior virtus Christi, qui Dominus Angelorum est; virtus Angeli lumen lunae, virtus autem Christi lux solis est. Iacebat infelix languidus instar cadaveris; sed hoc verbo Christus etiam mortuam filiam archisynagogi[14] et defunctum filium viduae naimitis suscitavit.[15] Nec tantum corpore hominem hunc hodie Christus sanavit, sed etiam anima et spiritu sanctificavit: *Totum hominem sanum feci in sabbato*[16]; hinc invenit eum postea in templo Dominus,[17] quo accedere non licebat immundis.[18] Invenit eum sine peccato, hinc monuit dicens: *Noli* amplius *peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Peccatum, inquit, tuum in causa tibi fuit tam prolixi languoris, tantae irae Dei contra te; virtus autem mea sanitatis tuae, gratiae, misericordiae et amicitiae Dei; cave ne amplius peccando gratiam et amicitiam Dei amittas: *Ne deterius tibi... contingat.*

sanans corpora et animas sanctificans.

Peccatum iram Dei in hominem concitavit,

Multa mala intulit mundo peccatum et quidem maxima. Primo quidem, iram et odium Dei; sic enim, ut Paulus ait, nos nascimur *filii irae,*[19] sic inimici Dei.[19a] Hinc Isaias ait: *Peccata vestra diviserunt inter vos et Deum vestrum;*[20] hinc ad custodiam paradisi positi fuerunt Angeli armati ad arcendum ingressum hominis in illum;[21] armati autem milites non prohibent ingressum in arcem sui principis, nisi inimicis.

eum e paradiso expulit,

Deinde vero, exclusit hominem a paradiso eunque hereditate regni coelestis spoliavit; hinc homines post peccatum nudi eiecti fuerunt de paradiso,[22] paupertate et confusione tantum divites.

11) Cf. Dn 3, 49-50. 12) Cf. ibid. 6, 21-22. 13) Io 5, 8-9. 14) Cf. Mc 5, 22 sqq. 15) Cf. Lc 7, 11-15. 16) Io 7, 23. 17) Cf. ibid. 5, 14. 18) Cf. Lv 15, 31; Nm 19, 13. 20. 19) Eph 2, 3. 19a) Cf. Rom 5, 10. 20) 59, 2. Vulg.: *Iniquitates vestrae diviserunt*, etc. 21) Cf. Gn 3, 24. 22) Cf. ibid. vrr. 21 sqq.

Tertio, hominem fecit morti obnoxium subiectumque: *Morte morieris,*[23] et quidem duplici morti: temporali et aeternae, quae dicitur *mors secunda: Pars eorum... in stagno... ignis et sulphuris, quae est mors secunda,* ait de peccatoribus Ioannes in suis *Revelationibus.*[24] — morti obnoxium fecit.

Quarto, servitus, captivitas; peccatum nanque constituit hominem sub potestate diaboli: *A quo enim quis victus est, illius et servus est.*[25] O miserabilem servitutem! Paulus ad *Timotheum* ait: *Ut resipiscant a laqueis diaboli, in quibus captivi tenentur ad ipsius voluntatem.*[26] Laquei autem sunt vitia ipsa, delectationes peccatorum, variae cupiditates, saecularia et carnalia desideria, habitus inveterati in operibus carnis et vanitatibus mundi. — sub servitute diaboli constituit

Quinto, effecit animam nostram, quae pulcherrima erat Dei imago ac similitudo, turpissimam, summe deformem, sicut accidit in luna eclypsata, in carbone extincto, in homine mortuo ac putrido cadavere. Constituit animam vitiis deturpatam, daemonibus turpissimis quam similem. Hinc post peccatum coepit erubescentia et pudor;[27] prius enim mundi erant et non erubescebant;[28] oritur autem pudor a turpitudine. — et illi similem fecit,

Sexto, debilitavit vires animae, excaecavit mentem, depravavit affectum, spoliavit bonis, affecit malis, sicut accidit homini descendenti ab Ierusalem in Iericho.[29] Tandem, spiritualem mortem intulit, quae est separatio Dei ab anima, sicut corporalis mors est separatio animae a corpore; extinctio et defectus caritatis et gratiae, sicut mors est extinctio naturalis caloris. — bonis omnibus spoliavit et mortem animae intulit.

IV. Christus Dominus ut verus Salvator, his omnibus obviavit malis. Reconciliavit hominem Deo; hinc, nato eo, cecinerunt Angeli: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus;*[30] hinc suscitatus dixit: *Pax vobis.*[31] Tunc regnum coelorum in suo baptismo aperuit, ac postea praedicavit; in Baptismo autem fit homo non solum amicus, verum etiam filius et heres Dei. Ob eandem causam suscitavit mor- — E contra, Christus hominem Deo reconciliavit,

23) Ibid. 2, 17. 24) Apc 21, 8. Vulg.: *Pars illorum... igne et sulphure, quod est,* etc. 25) 2 Petr 2, 19. Vulg.: *Superatus est, huius,* etc. 26) 2 Tim 2, 26. Vulg.: *Et resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi,* etc. 27) Cf. Gn 3, 7-11. 28) Cf. ibid. 2, 25. 29) Cf. Lc 10, 30. 30) Ibid. 2, 14. Vulg.: *Gloria in altissimis,* etc. 31) Ibid. 24, 36; Io 20, 21. 26.

peccatum auferendo et gratiam per Sacramenta restituendo ;

tuos, sanavit infirmos, illuminavit caecos, liberavit vexatos a daemonibus, dedit misitque de coelo Spiritum Sanctum ad sanctificandas animas. Sed praecipue ad unum effectum venisse in mundum visus est Christus : ad tollendum peccatum : *Orietur ... sol iustitiae;* [32] *Salvabit populum suum a peccatis;* [33] *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* [34] Hic est *omnis fructus*, ait Isaias, *ut auferatur iniquitas ;* [35] ideo Sacramenta instituit ad tollenda peccata dandamque gratiam. Et tamen adhuc mundus peccatis plenus est. Ita plenam piscinam reliquisse infirmis visus est Dominus, sicut invenit, unum tantum sanavit, sicut etiam per Angelum non sanabatur, nisi unus ; sed quia unum tantum invenit qui salvari voluit : *Vis sanus fieri ?* vis gratiam Dei et salutem animae tuae ?

non enim Christus venit ut temporalia dona daret, sed spiritualia.

O si venisset Christus ad danda temporalia bona, sicut venit ad danda spiritualia ! Mundus vellet Deum qui pecunias et opes daret, non virtutes. Deus autem vult hominem qui velit virtutes, non pecunias et opes. *Vis sanus fieri ?* Requirit a nobis ardens desiderium salutis ; hinc non sanabatur, nisi unus, veluti in iis *qui ... stadio currunt ... unus*, primus, *accipit bravium.* [36] Sic manna summo mane colligebatur ; orto sole, liquefiebat. [37] Vigilantia et sollicitudine opus est, ardenti studio.

32) Mal 4, 2. 33) Mt 1, 21. Vulg.: *Salvum faciet populum*, etc. 34) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum mundi.* 35) 27, 9. Vulg.: *Ut auferatur peccatum.* 36) 1 Cor 9, 24. 37) Cf. Ex 16, 13. 21.

DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMAE

Assumpsit Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem, fratrem eius, et duxit eos in montem excelsum seorsum. [1]

Ostenditur hodie gloria Christi tanquam exemplar futurae gloriae nostrae.

I. Ostenditur in hodierno Evangelio Christus Dominus gloria et honore coronatus, sicut de eo Regius Vates ait: *Gloria et honore coronasti eum*, Domine, *et constituisti eum super opera manuum tuarum;* [2] et Petrus agens de hoc ipso mysterio: *Accipiens*, inquit, *a Deo Patre honorem et gloriam, voce ad eum huiuscemodi delapsa a magnifica gloria : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* [3] Sed ostenditur gloria Christi tanquam exemplar vivum gloriae nostrae, sicut Paulus ait: *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.* [4] Et alibi etiam docuit quod Deus, *quos praescivit . . . praedestinavit* etiam *conformes fieri imagini Filii sui;* [5] sic enim *ad imaginem . . . Dei factus est homo;* [6] nam et Moyses et Elias hodie una cum Christo *visi* sunt *in maiestate,* [7] similes ei in gloria. Sic ait quod *fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum,* [8] sicut *resplenduit facies* Christi *sicut sol.* [9] Et in *Apocalypsi* legimus mulierem sole amictam et stellarum corona redimitam. [10]

Sol est singulare symbolum gloriae Dei;

Sol in Sacris Litteris symbolum est gloriae Dei. [11] Orpheus solem appellavit oculum coeli et fontem vitae; [12] Euripides, lampadem, sive lucernam Dei; [13] Heraclitus, perennem

1) Pericope huius diei Mt 17, 1-9. Cf. Missale Rom. Vulg. : *Duxit illos*, etc. 2) Ps 8, 6. 3) 2 Petr 1, 17. Vulg. : *Voce delapsa ad eum*, etc. 4) Phil 3, 20-21. 5) Rom 8, 29. Vulg.: *Conformes fieri imaginis*, etc. 6) Gn 9, 6. 7) Lc 9, 31. 8) Ibid. 13, 43. 9) Ibid. 17, 2. 10) Cf. 12, 1. 11) Cf. Ps 18, 6; 88, 38; Eccli 42, 16; Is 60, 19-20; Apc 21, 23. 12) Cf. *Hymni*, vrr. 1-10, pag. 280-283. 13) *In Phaetonte*, apud Io. Stobaeum *Dicta Poetarum*, tit. 27, pag. 156. Cf. L. Coelius *Lect. Antiq.*, lib. 24, cp. 14, col. 1341.

fontem lucis;[14] Plato autem, imaginem et simulacrum Dei,[15] et idipsum Pythagoras, unde ad solis ortum orabant Pythagorici;[16] et hoc forte sensit Pythagoras cum dixit contra solem non esse loquendum,[17] idest contra Deum[18] apertamque Dei veritatem, profecto quoniam sol imago Dei est. Hinc in Sacris Litteris [Deus] dicitur: *Amictus lumine sicut vestimento;*[19] hinc *Sol iustitiae*[20] appellatur; hinc Iacobus apostolus *Patrem luminum*[21] dixit, et Ioannes in sua *Apocalypsi solem* lumenque paradisi eum nuncupavit,[22] sicut et Isaias: *Non erit tibi sol ultra ad lucendum..., sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et... non occidet* tibi *ultra sol tuus..., quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam.*[23]

ideo Christus apparet luce solari indutus ad significandam eius divinitatem

Deus autem Christum hodie solari luce induit, idest divinitatis gloria decoravit, sicut Assuerus Mardochaeum induit regalibus ornamentis et regali honore voluit eum honorari dicens: *Hoc honore condignus est, quencunque rex voluerit honorare.*[24] Sic hodie cum Christo agit Deus: gloria sua eum induit et praecipit honorandum. Sicut autem honor ille Mardochaei a rege Assuero praeludium [fuit] futurae ipsius gloriae in perpetuum apud eundem regem, nam prior ille honor vix horarum fuit, sic gloria hodiernae transfigurationis praeludium fuit aeternae gloriae Christi in coelo, quando, post redivivam resurrectionem, *assumptus est in coelum et sedet a dextris Dei*[25] – tunc enim *Deus exaltavit* Christum *et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur,*[26] – ubi Christus inter Angelos et electos Dei est sicut sol inter astra, unde ipsum in suis *Revelationibus* Ioannes *lucernam*[27] *paradisi* appellavit.[28] Sic igitur *resplenduit facies eius sicut sol.*

et gloriam aeternam in coelo.

14) Cf. Eusebius Caes. *Praeparat. Evang.*, lib. 14, cp. 14, (P. G. 21, 1231); Lactantius *Divinae Institut.*, lib. 2, cp. 10, (P. L. 6, 309); Plato *De Republica*, lib. 6, t. 2, pag. 492; Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 9, pag. 364; Plutarchus *De Fortuna*, pag. 168; *Aqua aut Ignis util.*, pag. 413. 15) Cf. *De Republica*, lib. 6, t. 2, pag. 508.
16) Marsilius Ficinus: « Orienti soli Pythagorici hymnos lyra canebant ». *In Comment. Plotini, Ennead. 4*, lib. 4, cp. 29, pag. 423. 17) Cf. Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 8, pag. 333; L. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 16, cp. 17, col. 870. 18) Ms.: *Dei.* 19) Ps 103, 2. 20) Mal 4, 2. 21) 1, 17. 22) Cf. 21, 23; 22, 5.
23) 60, 19-20. Vulg.: *Non erit tibi amplius sol ad lucendum*, etc. 24) Est 6, 11.
25) Mc 16, 19. 26) Phil 2, 9-10. 27) Ms.: *Lucerna.* 28) Cf. 21, 23.

II. Gloria paradisi, quam praeparavit Deus diligentibus se, [29] incomprehensibilis et ineffabilis est. Paulus, qui raptus in paradisum fuit [30] et Spiritu Sancto repletus erat, [31] divina praeditus eloquentia et linguarum dono, cum oculis vidisset divinam Beatorum in coelo gloriam, explicare tamen non valuit. Christus Dominus in sermone *De Beatitudine* multis nominibus ac veluti metaphoris eam circumscripsit; octies *beatitudinem*, imo novies replicavit, [32] et nunc *regnum coelorum*, [33] nunc *terrae possessionem*, [34] nunc *consolationem*, [35] nunc *saturitatem*, [36] nunc *misericordiae consecutionem*, [37] nunc *visionem Dei*, [38] nunc *honorem filiorum Dei*, [39] nunc iterum *regnum coelorum* [40] et tandem *mercedem magnam in coelo* [41] appellavit; alibi vero *thesaurum magnum in coelo* [42] dixit; aliquando *regale convivium*, sed in nuptiis unici filii; [43] aliquando *coenam magnam* [44] appellavit.

Gloria paradisi ineffabilis est; multis nominibus significatur a Christo

Quasi vero non satis pro dignitate expresserit, in *Apocalypsi* Ioannis multis nominibus designavit, dicens septem ecclesiis Asiae: *Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in paradiso Dei mei;* [45] *Vincenti dabo manna absconditum et... nomen novum;* [46] Ei *qui vicerit... dabo... potestatem super gentes... et dabo illi stellam matutinam;* [47] *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen eius de libro vitae, et confitebor nomen eius coram Patre meo et coram Angelis eius;* [48] *Qui vicerit, non laedetur a morte secunda;* [49] *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei... et scribam super eum nomen Dei mei et nomen civitatis... novae Ierusalem, quae descendit de coelo... et nomen meum novum;* [50] et tandem: *Qui vicerit, dabo ei sedere... in throno meo.* [51] Haec sunt quae homines desiderare vehementer solent: vitae immortalitatem, perpetuitatem, vitae iucunditatem, nullo metu mortis affici, titulos honoris, imperii potestatem, divitias multas, laudum encomia, fortunae perpetuam stabilitatem et summorum principum amicitiam ac familiarem consuetudinem.

et a D. Ioanne;

Verum, quasi adhuc non satis pro dignitate rem explicaverit, Christus ipse aperuit portas paradisi, et Ioanni in spiritu coelestem

sed nullis verbis pro dignitate

29) Cf. 1 Cor 2, 9; Iac 1, 12. 30) Cf. 2 Cor 12, 2-4. 31) Cf. Act 13, 9. 32) Cf. Mt 5, 3-11. 33) Cf. ibid. Lc 6, 20. 34) Cf. Mt 5, 4. 35) Cf. ibid. vr. 5; Lc 6, 21. 36) Cf. Mt 5, 6; Lc 6, 21. 37) Cf. Mt 5, 7. 38) Cf. ibid. vr. 8. 39) Cf. ibid. vr. 9. 40) Ibid. vr. 10. 41) Cf. ibid. vr. 12; Lc 6, 23. 42) Cf. Mt 19, 21; Mc 10, 21; Lc 12, 33; 18, 22. 43) Cf. Mt 22, 2. 44) Cf. Lc 14, 16. 45) 2, 7. 46) Ibid. vr. 17. 47) Ibid. vrr. 26-27. 48) Ibid. 3, 5. 49) Ibid. 2, 11. 50) Ibid. 3, 12. 51) Ibid. vr. 21.

explicari potest qualis vere sit.

gloriam, ad quam conditi sumus, demonstravit; [52] sicut etiam Ezechieli Deus, aperto coelo; gloriam suam ostendit. [53] Sed verbis pro dignitate explicari non potest. Quis posset caecis hominibus, qui solem nunquam viderunt nec quidnam sit coelum, quid astra, quid lux, quid pulcritudo et ornatus norunt, satis explicare divinam solis magnitudinem, pulcritudinem, splendorem divinamque virtutem et efficacitatem in universali natura? Sic non potest explicari nobis gloria paradisi, sed soli comparatur, quo nihil est in mundo lucidius aut gloriosius, et a Ioanne civitas paradisi coelestis maximae civitati comparatur, cuius muri, portae, plateae, viae et aedificia omnia ex auro sunt et lapidibus pretiosis. [54] Designatur in Sacris Litteris per quietem sabbati, [55] per paradisum Domini, [56] per terram promissionis, [57] per civitatem Ierusalem, [58] per templum Salomonis, [59] per sanctum sanctorum divini tabernaculi, [60] per coelum stellatum. [61] Sed qualis vere sit verbis explicari non potest, nisi aperto coelo eam nobis Deus ostenderet, sicut Stephano visibilem fecit, ianuis paradisi reseratis. [62]

Gloria paradisi est praemium virtutis.

III. Ostenditur autem hodie tribus Apostolis supra montem sanctum, supra montem excelsum valde, in nube lucida; sed tanquam praemium et corona virtutis, unde ait: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite;* [63] hoc est: ipsi credite tanquam principi Prophetarum, maiori Moyse et Elia; *ipsum audite:* ipsi credite, tanquam regi et Domino vestro obedientiam fidemque iurate, ipsius iussa facite et legem servate; sic enim similes ei eritis, uti nunc Moysen et Eliam videtis. Sicut patriarchae Iacob ostensum fuit coelum apertum et in eo gloria Dei simulque scala per quam Angeli in coelum ascendebant, [64] sic hodie ostenditur gloria paradisi et via per quam incedendum est. *Ipsum audite*, nam: *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.* [65]

Saepe Divinae Litterae loquuntur de praemio virtutis, et duplex

52) Cf. ibid. 21, 1-3. 53) Cf. Ez 1, 1 sqq. 54) Cf. Apc 21, 10-22. 55) Cf. Hebr 4, 3-11. 56) Cf. 2 Cor 12, 4; Apc 2, 7. 57) Cf. Ps 36, 1 sqq. 58) Cf. Gal 4, 26; Hebr 12, 22; Apc 3, 12; 21, 2. 10. 59) Cf. S. Eucherius *Comment. in Lib. Regum*, (P. L. 50, 1105); S. Beda *De Templo Salomonis*, cp. 25, ibid. 91, 806-808. 60) Cf. Hebr 9, 12; 10, 19. 61) Cf. Is 66, 1. 62) Cf. Act 7, 55. 63) Mt 17, 5. 64) Cf. Gn 28, 12. 65) Lc 11, 28.

Iustis et fidelibus etiam in hoc mundo datur praemium: beatitudo spiritus;

praemium ei assignant, duplicem felicitatem et beatitudinem ei promittunt.[66] Hinc hebraice יְרוּשָׁלַיִם [67] dicitur visio duplicis pacis; nam servi Dei vere etiam in hoc mundo felices et beati sunt, non carne, sed spiritu. En Petrus ait: *Domine, bonum est nos hic esse.*[68] Non solum Moyses et Elias, qui iam erant cum Christo in maiestate et beata cum Christo vita fruebantur, verum etiam Petrus, misera adhuc carne circumdatus, ait: *Domine, bonum est nos hic esse:* sicut Isaias ait: *Dicite iusto quoniam bene,* כִּי־טוֹב, *quoniam bonum.*[69]

In Deo enim invenitur vera quies et tranquillitas.

Duplicem paradisum legimus. Duo luminaria magna posuit Deus in coelo: alterum ad illuminandum diem, alterum vero ad illuminandam noctem;[70] aureum illud est, hoc autem argenteum, sed tamen potens est ad tenebras depellendas. In divino sanctuario vas plenum manna secreto asservabatur:[71] *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te!*[72] *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum;*[73] *pax multa,* idest prosperitas, felicitas, serenitas conscientiae, tranquillitas animi et nihil est quod turbare nolentes eos possit.[74] Sic: *Lex Domini immaculata, quietans animam;*[75] sic Christus: *Tollite iugum meum super vos ... et invenietis requiem animabus vestris.*[76] Columba non invenit ubi requiesceret, nisi in arca Noe,[77] qui interpretatur quies et consolatio,[78] ideo Noe, quia *iustus atque perfectus.*[79] Saepe duo haec in Sacris Litteris simul coniunguntur: iustitia et pax: *Orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis;*[80] *Iustitia et pax osculatae sunt;*[81] *Suscipiant montes pacem populo et colles iustitiam.*[82] Sic legimus quod Melchisedech erat rex Salem, rex iustitiae, rex pacis;[83] nam, ut Isaias ait: *Erit opus iustitiae pax et cultus iustitiae silentium,* sive *quies, et securitas ... in sempiternum et sedebit populus meus in pulcritudine pacis et in tabernaculis fiduciae,* sive *securitatis, et in requie opulenta.*[84] Sic Paulus in suis epistolis saepe coniungit pacem cum gratia,[85]

66) Cf. Gn 15, 1 sqq.; 17, 1 sqq.; Iob 42, 10 sqq.; Ps 33, 13-17; Mt 6, 33; Mc 10, 30; Lc 18, 30; 1 Tim 4, 8. 67) Ms.: *Ierusalaim.* 68) Mt 17, 4. 69) 3, 10. Ms.: *Chi tob.* 70) Cf. Gn 1, 14-18. 71) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 72) Ps 30, 20. 73) Ps 118, 165. 74) Ms.: *Possint.* 75) Ps 18, 8. Vulg.: *Convertens animas.* 76) Mt 11, 29. 77) Cf. Gn 8, 9. 78) Cf. ibid. 5, 29. 79) Ibid. 6, 9. 80) Ps 71, 7. 81) Ps 84, 11. 82) Ps 71, 3. 83) Cf. Gn 14, 18; Hebr 7, 2. 84) 32, 17-18. Ex hebraico. 85) Cf. Rom 1, 7; 1 Cor 1, 3; Gal 1, 3; Eph 1, 2; Phil 1, 2; Col 1, 3; 1 Thess 1, 2; 2 Thess 1, 2; 1 Tim 1, 2; 2 Tim 1, 2; Tit 1, 4; Phm vr. 3.

quia ipse est locus proprius cordis nostri;

quoniam vere in gratia Dei pax vera et tranquillitas animi consistit; nam alioquin inquietum est cor nostrum, ut Augustinus ait, nisi requiescat in Deo.[86] Non quiescit lignum in mari, sed fluctuat semper, quoniam non est locus eius proprius; in terra quiescit. Non vivit piscis extra aquam, nec avis extra aerem, nec arbor eradicata a terra radices habens in aere, quoniam divina providentia singulis quibusque rebus loca assignavit in quibus placide quiescunt. Locus autem cordis nostri virtus est, gratia Dei est, Deus ipse est: *Domine, bonum est nos hic esse;* hic noster paradisus est, quoniam hic Deus est *in magnifica gloria... ipsum audite.* Paulus ait: *Quicunque hanc regulam*, idest evangelicam normam, *secuti fuerint, pax super illos et misericordia.*[87] Sic item quod *prudentia... spiritus vita est et pax.*[88]

ideo beatitudo semper cum virtute coniungitur in S. Scriptura.

Saepe in Sacris Litteris beatitudinem legimus sed semper cum virtute coniunctam. Moyses ait: *Beatus es tu, Israel,... popule, qui salvaris in Domino:... scutum auxilii tui et gladius gloriae tuae.*[89] Regina Saba beatos dixit servos Salomonis, sed quoniam audiebant semper sapientiam eius.[90] Regius Vates saepe canit beatitudinem cultorum Dei: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum;*[91] *Beati omnes, qui confidunt in eo;*[92] *Beati, quorum remissae sunt iniquitates... Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum;*[93] *Beata gens, cuius... Dominus Deus eius;*[94] *Beatus vir qui sperat in eo;*[95] *Beati omnes, qui timent Dominum;*[96] *Beati immaculati in via.*[97] Et sic centies canit beatitudinem cultorum Dei; semel tantum visus est dicere beatos esse opulentos, qui omnibus mundi huius bonis abundant: *Beatum dixerunt populum, cui haec sunt*, sed, inquit, *beatus*, idest multo beatior, *cuius Dominus Deus eius.*[98] *Psalmo 111* dividens studium virtutis in duas partes pro gemina caritate erga Deum et homines, multa recenset praemia, multas coronas: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius cupit nimis:*[99] en studium virtutis erga Deum; *Potens in terra erit semen eius:*[100] en fructus virtutis, potentia: patet in Patriarchis, in David, in Christo, in Apostolis; *Generatio*

praesertim in *Ps. 111*, ubi fuse recensentur praemia virtutis in ipsa quoque terrena vita;

86) *Confessionum*, lib. 1, cp. 1, (P. L. 32, 661). 87) Gal 6, 16. 88) Rom 8, 6.
89) Dt 33, 29. 90) Cf 3 Rg 10, 8; 2 Par 9, 7. 91) Ps 1, 1. 92) Ps 2, 12.
93) Ps 31, 1-2. 94) Ps 32, 12. 95) Ps 33, 9. 96) Ps 127, 1. 97) Ps 118, 1.
98) Ps 143, 15. 99) Vr. 1. 100) Vr. 2.

rectorum benedicetur:[101] laudabitur divina benedictione et gratia cumulabitur; tertio: *Gloria et divitiae in domo eius;*[102] quarto: *Iustitia eius manet in saeculum saeculi:*[103] gloriosum aeternumque nomen sanctitatis, aeterna fama: patet in Patriarchis, in Prophetis, in Apostolis, in apostolicis viris, quorum nomen aeternum est et fama nunquam peritura; quinto: *Exortum est in tenebris lumen rectis*[104] corde: divina consolatio in adversis mundi huius. Deinde, quoad studium virtutis erga homines: *Iucundus homo qui miseretur et commodat, disponet sermones suos,* res suas, cum *iudicio, quia in aeternum non commovebitur:*[105] hic est fructus virtutis: iucunditas et laetitia ob certam spem et firmam quandam in animo securitatem salutis aeternae, quod non sit periturus in aeternum: *Gloria nostra haec est testimonium conscientiae nostrae.*[106] Deinde: *In memoria aeterna erit iustus* apud Deum et homines, *ab auditione mala,* ab infamia et vituperio, *non timebit:*[107] nunquam male audiet, semper laudabitur. Adhuc autem, victoria inimicorum, maxime daemonum: *Paratum cor eius sperare in Domino, confirmatum est cor eius, non commovebitur donec despiciat inimicos suos,*[108] sicut ait: *Dominus mihi adiutor, et ego despiciam inimicos meos... Omnes gentes circuierunt me, et in nomine Domini quia ultus sum in eos.*[109] Insuper: *Iustitia eius manet in saeculum saeculi:*[110] perpetuum virtutis meritum apud Deum, unde sequitur praemium: *Cornu eius exaltabitur in gloria.*[111] Sic multis manifestat praemium virtutis et probitatis etiam in hac vita.

In *Psalmo* autem *1* succinctius idem tractavit argumentum: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum,* qui ab omni declinat malo, *sed in lege Domini voluntas eius.*[112] Qua de causa beatus? Quia *erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum,* quia *omnia quaecunque faciet prosperabuntur,*[113] sicut patet in Moyse, in Davide, in Salomone. Hac de causa, fratres, dixit Apostolus quod *pietas* valet *ad omnia..., promissionem habens eius, quae nunc est vitae, et futurae.*[114]

sic et succinctius in *Ps. 1.*

Manifestum autem hoc est in populo Dei; nam in virtutis prae-

101) Ibid. 102) Vr. 3. 103) Ibid. 104) Vr. 4. 105) Vrr. 5-6. 106) 2 Cor 1, 12. 107) Ps 111, 7. 108) Vrr. 7-8. 109) Ps 117, 7-10. 110) Ps 111, 9. 111) Ibid. 112) Vrr. 1-2. 113) Vr. 3. 114) 1 Tim 4, 8. Vulg.: *Habens vitae quae,* etc.

Hoc patet in historia populi Dei in deserto et in terra promissionis, in ipsa quoque Aegypto.

mium non solum hereditatem terrae promissionis perceperunt, verum etiam antequam in illam ingrederentur, quandiu in deserto manserunt, suavissimo pane de coelo nutriti fuerunt, [115] divina providentia et protectione fruebantur tanquam filii carissimi. Licet enim sola promissione terrae Chanaan eos de Aegypto eduxerit, eos tamen etiam in deserto multis beneficiis cumulavit, curam gerens etiam calceamentorum ipsorum ne attererentur. [116] Sed, quid dico? quod etiam in Aegypto a plagis, quibus Aegyptii divinitus puniebantur, servati fuerunt immunes; [116*] ubi Aegyptii in horribilibus tenebris veluti sepulti iacebant, ipsi luce splendidissima fruebantur. [117] Nec tantum a malis, quae in Aegypto grassabantur, eos incolumes servavit, verum etiam divitiis Aegypti eos locupletavit [118] sicut prius Abraham patrem eorum in Aegypto ditaverat. [119]

Quod si nullum daretur praemium iustis in hac vita, futurum in coelo tale est ut omnes poenas affluenter rependat.

IV. Sponsa in *Canticis* duplicem hanc iustorum felicitatem sciens et expetens, ait: *Laeva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me;* [120] nam et in *Proverbiis* ait Salomon: *In dextera eius longitudo dierum et in sinistra eius divitiae et gloria.* [121] Per dexteram autem Dei et sinistram praesens et futura vita designatur. Et quidem, si nullum esset virtutis praemium in hac vita, sed tantum afflictio et angustia spiritus daretur in praesenti saeculo iustis, ut vitam ducerent miserabilem, qualis erat vita Iob in sterquilinio, [122] vita Hebraeorum in Aegypto sub durissima captivitate et tyrannide Pharaonis, [123] aeternum in coelo praemium tale ac tantum est quod, ut Paulus ait: *Non sunt condignae passiones* [124] *huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis.* [125] Si pulcritudo Rachelis tantum potuit apud Iacob patriarcham, quod ad habendam eam nihili pendit laboriosam septem annorum servitutem, [126] quid par est ut possit apud nos aeterna coeli gloria?

Sed ad hoc consequendum virtute opus est,

Certum est autem quod sine virtute nemo consequi eam potest: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula et operatur iustitiam;* [127] *Quis*

115) Cf. Ex 16, 35. 116) Cf. Dt 8, 4-10; 29, 2-8. 116*) Cf. Ex 8, 22; 9, 4-7. 26; 10, 23. 117) Cf. ibid. vrr. 22-23. 118) Cf. ibid. 3, 21-22; 11, 2-3; 12, 35-36. 119) Cf. Gn 12, 16; 13, 1-2. 120) 2, 6; 8, 3. 121) 3, 16. Vulg.: *Longitudo dierum in dextera eius, et in sinistra illius,* etc. 122) Cf. Iob 2, 7-8. 123) Cf. Ex 1, 10 sqq.; 3, 7. 124) Ms.: *Passione.* 125) Rom 8, 18. 126) Cf. Gn 29, 17-20. 127) Ps 14, 1-2.

ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus et mundo corde;[128] *Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos?*[129] *Declinet a malo et faciat bonum, inquirat pacem et sequatur eam*, ait Petrus cum Regio Vate;[130] *Si... vis ad vitam ingredi, serva mandata*, ait Christus Dominus.[131] Post montem excelsum valde multo cum labore conscensum, aperuit se hodie Apostolorum oculis gloria Christi, gloria paradisi, magnifica Dei gloria, nam et *Christum oportuit pati et ita intrare in gloriam suam.*[132] Quid igitur nos agere oportet?[132a]

et inexcusabiles sumus si virtutem neglexerimus.

Sed quam excusationem habebimus si virtutem neglexerimus, non solum in coelo aeternis praemiis coronandam, verum etiam in praesenti saeculo multis bonis cumulatam? *Domine, bonum est nos hic esse; Mihi... adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam;*[133] *Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde!*[134] *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus: beatus vir qui sperat in eo.*[135]

Ergo Christo obediendum et serviendum est,

Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite: Hic, gloria et honore coronatus,[136] quem constitui regem super Sion montem sanctum meum,[137] quem unxi regem super universum regnum meum, sicut David Salomonem filium suum,[138] *Hic est* cui parere et obedire, cui servire debetis.

qui melius quam terreni principes,

Multi ex principum servitute multa consecuti sunt bona: Ioseph in Aegypto[139] et ante ipsum Abraham;[139a] Daniel apud Nabuchodonosorem,[140] Balthassarum[141] et Darium;[142] Mardochaeus apud Assuerum.[143] Sed paucis hoc et raro contingit. Multis contingit sicut Davidi apud Saulem,[144] sicut Amano apud Assuerum.[145] Reperiuntur saepe principes, ut ita dicam, phantastici, qui servos suos divinare volunt quid sibi placeat, sicut Nabuchodonosor egit cum servis suis: volebat enim ut somnium suum divinarent, alioquin interficerentur.[146] Quaenam haec phantasia principis! Quis motus et impetus animi!

At vero, non talis princeps Christus est, sed optimus, maximus,

128) Ps 23, 3-4. 129) Ps 33, 13. 130) 1 Petr 3, 11; Ps 33, 15. 131) Mt 19, 17. 132) Lc 24, 26. Vulg.: *Oportuit pati Christum*, etc. 132a) Ms.: *Potest.* 133) Ps 72, 28. 134) Ibid. vr. 1. 135) Ps 33, 9. 136) Cf. Ps 8, 6. 137) Cf. Ps 2, 6. 138) Cf. 3 Rg 1, 1-48. 139) Cf. Gn 41, 37-46. 139a) Cf. ibid. 12, 16 sqq. Ms.: *Pharao* loco: *Abraham.* 140) Cf. Dn 4, 1 sqq. 141) Cf. ibid. 5, 1 sqq. 142) Cf. ibid. 6, 1 sqq. 143) Cf. Est 6, 10-11. 144) Cf. 1 Rg 18, 1 sqq. 145) Cf. Est 3, 1 sqq.; 7, 6 sqq. 146) Cf. Dn 2, 1-13.

tanta bona in hoc saeculo et in futuro servis suis largitur.

potentissimus est ad benefaciendum et optima erga suos voluntate praeditus. Quis non videt quantopere servos suos magnificavit, Moysen, Eliam, Patriarchas, Prophetas, Apostolos et discipulos suos ? An non mundo etiam illustriores hi sunt omnibus principibus, regibus, imperatoribus, qui fuerunt unquam ? Rex iste sicut sol est, qui omnes stellas splendore suo illustrat, nihil ab eis accipiens, nullius egens ; sic Christus omnes servos glorificat infinitis gloriae suae thesauris, et bonorum nostrorum non indiget, sicut nec sol splendoribus stellarum.

Gloria Christi est ipsa beatitudo coelestis.

Hic est Filius meus dilectus. Indicat Deus sanctis Apostolis infinitum thesaurum gloriae Christi, qui manebat absconditus in agro [147] mortalis corporis eius. Hinc laetantur Apostoli : *Domine, bonum est nos hic esse.* Manifestat autem nobis Deus Christum Filium suum, ut eum agnoscentes auctorem bonorum omnium, sicut sol est rerum quae natura generantur, ipsum vere ex animo diligamus. Bonum enim non diligitur nisi prius agnoscatur ; thesaurus in agro absconditus, si ignoretur nihil fit, agnitus autem maximi penditur.

quae omne desiderium hominis implet.

Domine bonum est nos hic esse. Expertus fuit Petrus quod ait Regius Vates: *Satiabor cum apparuerit gloria tua;* [148] nam coelestis beatitudo implet omne desiderium hominis, naturale, animale et rationale. Beatus omnis plenus in coelo est, sicut spongia in mari, et sicut oculus solari luce impletur, ita ut maiorem lucem minime desideret ; sic dicitur simpliciter : *Bonum est nos hic esse.*

Ad salutem requiritur, ex parte Dei, gratiae auxilium, ex parte hominis, imitatio Christi;

V. *Hic est Filius meus dilectus.* Ponuntur in hodierno Evangelio omnia media necessaria ad aeternam beatitudinem consequendam tum ex parte Dei tum etiam ex parte nostra. Ex parte quidem Dei, quoniam *assumpsit: Domini est assumptio nostra,* [149] *et duxit:* Deus ipse populum suum ducebat per desertum in terram promissionis ; [150] similiter manifestatio veritatis : *Hic est Filius meus dilectus,* quae quidem veritas Lege et Prophetis comprobatur. Ex parte vero nostra sunt, ut Christum cum Apostolis in montem excelsum sequamur, ut vocem Dei audiamus, ut Christo obediamus : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite* tanquam regem, principem et dominum vestrum ; *ipsum,* non satanam, qui non le-

147) Cf. Mt 13, 44. 148) Ps 16, 15. 149) Ps 88, 19. 150) Cf. Ex 3, 8-10 ; 6, 6-8 ; 12, 51 ; 13, 3-5 ; Dt 8, 7-10.

gitimus princeps, sed tyrannus est mundi: *Venit... princeps mundi huius.*[151]

Sicut autem, postquam Moyses a Deo missus intravit in Aegyptum, omnis homo totius regni illius vel Moysen audiebat, sicut Hebraei, vel Pharaonem, sicut Aegyptii; ita nunc est in mundo: omnis homo vel Christum audit, vel satanam; qui Christum non audit, satanam procul dubio audit. Christum hodie secuti sunt Petrus, Iacobus et Ioannes, sancti Apostoli; Christum sequitur Sancta Ecclesia, quae per candidam Christi vestem designatur,[152] sicut etiam in *Apocalypsi* iustificationes sanctorum dicuntur *byssinum candidum.*[153] De Christo apud Isaiam legimus: *Erit iustitia cingulum lumborum eius et fides cinctorium renum eius,*[154] idest: fideles et iusti circa Christum erunt. Peccatores autem vestis sunt obscura et sordida ipsius satanae. Declarat Paulus in hodierna epistola hunc vestium Christi candorem dicens: *Haec est... voluntas Dei, sanctificatio vestra; ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque... vas suum possidere in sanctificatione et honore,... ut non circumveniat quis in negotio fratrem suum... Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.*[155] Videtis vestem puram, candidam, absque ulla macula: *Sanctificatio vestra... in sanctificatione et honore... Vocavit nos... in sanctificationem.* Hi sunt veri servi Christi, qui iuste et sancte vivunt.

multi autem non Christum, sed satanam sequuntur;

qui enim Christum sequitur, iuste et sancte vivere debet;

Sed non sine causa non omnes discipuli Christum secuti sunt hodie in montem excelsum et divinam hanc vocem audierunt: *Hic est Filius meus dilectus...: ipsum audite;* sed in signum quod veri christiani futuri erant pauci valde, qui ad Evangelii normam vitam instituerent. Mundus totus satanam sequitur deceptus promissis fallacibus: *Nequaquam... moriemini,... eritis sicut dii scientes bonum et malum.*[156] Sed veri christiani non praebent aures fallacibus hisce promissis. Multa promisit satanas Christo in deserto, quando *ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum et dixit...: Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.*[157] Sed non audivit eum Christus, eiecit a se: *Vade, satana, scriptum est...: Dominum Deum tuum adorabis*

sed pauci sunt qui ad hanc normam vitam instituunt.

151) Io 14, 30. 152) Cf. S. Augustinus *Enarr. in Psalmos*, ps 132, (P. L. 37, 1734); ps 147, ibid. col. 1932. 153) Cf. 19, 8. 154) 11, 5. 155) 1 Thess 4, 3-7. Vulg.: *Ne quis circumveniat*, etc. 156) Gn 3, 4-5. 157) Mt 4, 9.

et illi soli servies.[158] Quia autem contempsit Christus omnem gloriam terrenam atque mundanam, ecce videmus eum hodie circumdatum omni gloria coelesti et divina : *Resplenduit facies eius sicut sol... Hic est Filius meus dilectus.* Satanas dives est promissis, sed habet bona verba et mala facta ; Christus pauca promittit, sed magna attendit et dat.

Christus est Rex aeternus

VI. *Hic est Filius meus dilectus...: ipsum audite. Hic,* qui ut sol resplendet, vester est princeps et rex ; rex, sed aeternus, perpetuus, immortalis, sicut est sol in coelo. Summi principes, qui honore et dignitate altius ascendere non possunt, ut Romani Pontifices, nonnisi vitam longam desiderant. Hinc, cum Salomon unctus fuit rex, acclamabat populus : *Vivat rex!*[159] Sic legimus dictum a Nehemia regi : *Rex, in aeternum vive!*[160] Sic Chaldaei dicebant Nabuchodonosor : *Rex, in aeternum vive!*[161] Sic Balthassar regi dictum fuit a regina : *Rex, in aeternum vive!*[162] Sic satrapae dixerunt Dario regi : *Dari rex, in aeternum vive!*[163] Sed solus Dominus noster rex est aeternus, sicut sol in coelo.

et universalis.

Nec tantum aeternus, verum etiam universalis. Unus enim tantum sol toti coelo dominatur et mundo ; ita Christus dominus est universorum. Divus Petrus ait quod hodie Christus accepit a Deo honorem et gloriam ;[164] nec tamen dicit quem honorem aut quam gloriam, sed utique intelligit omnem Dei honorem omnemque gloriam; sicut cum Salomon a David coronatus fuit rex super universum regnum Israel,[165] accepit ab eo omnem honorem et omnem gloriam ipsius ; sicut Iacob accipiens benedictionem primogeniti a patre suo Isaac, princeps institutus fuit ditissimus : *Det tibi Deus de rore coeli et de pinguedine terrae abundantiam frumenti et vini...; serviant tibi populi, et adorent te tribus; esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuae.*[166] Sic hodie Christus. Christum institutum summum principem legimus apud Danielem, cum usque ad antiquum dierum pervenit.[167]

158) Ibid. vr. 10. 159) 3 Rg 1, 39. 160) 2 Esr 2, 3. 161) Dn 3, 9.
162) Ibid. 5, 10. 163) Ibid. 6, 6. 164) Cf. 2 Petr 1, 17. 165) Cf. 3 Rg 1, 33-48.
166) Gn 27, 28-29. 167) Cf. 7, 13-14.

ALIA HOMILIA

Transfiguratus est ante eos et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius, etc. [1]

I. Mirabile spectaculum gloriae Christi proponitur hodie mentium nostrarum oculis, quale etiam Isaiae propositum fuit quando vidit gloriam Christi Dei humanati in medio duorum Seraphim : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum.* [2] Vidit autem magna gloria circumdatum atque fulgentem, nam : *Plena est omnis terra gloria eius.* [3] Ibi laudabatur Christus a Seraphim dicentibus : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus sabaoth.* [4] Hic autem laudatur a Patre de nube lucida a magnifica gloria, dicente : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* [4a] — Gloria Christi Isaiae revelata fuerat.

In hoc autem gloriae Christi hieroglyphico : *Resplenduit facies eius sicut sol,* multa latent mysteria. Habet sol in coelo duodecim signa, unde duodecim menses anni. In mysterio gloriae Christi apud Isaiam videntur duodecim alae Seraphim. [5] Christus habuit duodecim Apostolos ; [6] praefiguratus fuit in duodecim Patriarchis ; [7] sunt de eo duodecim articuli fidei. In hodierno autem Evangelio duodecim mysteria gloriae Christi sacro symbolo solaris lucis designantur : *Resplenduit facies eius sicut sol.* Primum est divinitatis Christi. Sol enim imago quaedam Dei est ; Deus nanque inter entia, etiam nobilissima, est sicut sol in mundo inter sidera. Secundum est divinae omnipotentiae Christi. Magna est solis virtus et potentia in universali natura ad naturalia tum procreanda tum conservanda ; sine sole enim nihil generatur ; ita infinita est Christi potentia : *Omnia per ipsum facta sunt;* [8] *Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius, portansque omnia verbo virtutis suae.* [9] Tertium est mysterium divinae sapientiae. Magna lucis solaris copia, totum mundum, coelestia terrestriaque illustrat ; ita infinita est Christi sapientia, cognoscit omnia et mundo dat lumen verae cognitionis. Quartum est mysterium divinae bonitatis. Sol totus lux est et perennis fons luminis, omnem lucem et claritatem suam perpetuo et liberalissime mundo commu-

Sol hieroglyphice designat duodecim mysteria gloriae Christi: divinitatis, potentiae, sapientiae, bonitatis,

1) Mt 17, 2. 2) 6, 1. 3) Ibid. vr. 3. 4) Ibid. Vulg.: *Dominus Deus exercituum.* 4a) Mt 17, 5. 5) Cf. 6, 2. 6) Cf. Mt 19, 28 ; Lc 22, 30. 7) Cf. S. Beda *In Matthaeum,* lib. 2, (P. L. 92, 52). 8) Io 1, 3. 9) Hebr 1, 3.

nicat; ita Deus, ita Christus totus bonitas et benignitas est, mundum universum replens luce bonitatis suae. Quintum mysterium est divinae caritatis. Videtur sol pulcherrimus et amantissimus sponsus naturae universalis; sic enim a Regio Vate appellatus fuit: *Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.*[10] Est sol in continuo motu; sed tamen hoc motu perpetuo nihil sibi penitus lucratur, sed tantum mundo prodest: *Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo coelo egressio eius, et occursus eius usque ad summum eius, nec est qui se abscondat a calore eius.*[11] Totus veluti flamma ignis est qui aliis prodest, non sibi; ita Deus, ita Christus mundo profuit, non sibi, nihil sibi lucratus est. Sextum est sanctitatis divinae mysterium. Sol totus est purissimus, candidissimus, clarissimus, nulla penitus in eo macula; ita *Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae;*[12] ita Christus appellatus est *Sol iustitiae: Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiae.*[13] Septimum est mysterium plenitudinis gratiae in Christo. Sol totus plenus luce est, ita ut etiam de plenitudine eius totus mundus accipiat; ita Christus: *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis... et de plenitudine eius nos omnes accepimus,* quia *gratia et veritas per Iesum Christum facta est.*[14] Octavum mysterium est gloriae Christi. Est sol in coelo astrorum omnium illustrissimus, nobilissimus, gloriosissimus, qui mundum claritate et laetitia replet; ita Christus plenus gloria et auctor gloriae paradisi. Nonum mysterium, mortis Christi. Decimum, resurrectionis: *Oritur sol et occidit ibique renascitur,* ait Sapiens;[15] sic dicitur in hodierno Evangelio: *Nemini dixeritis visionem donec a mortuis resurgat Filius hominis.*[16] Undecimum est regiae dignitatis Christi; est nanque sol in coelo serenissimus princeps astrorum omnium, manet in coelo sicut rex in suo regno; ita hodie ait aeternus Pater: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* Tandem duodecimum, resplendet in Christo glorificato exemplar gloriae nostrae: *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae;*[17] *Fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum.*[18]

caritatis · sanctitatis, · gratiae, · gloriae, · mortis et resurrectionis, · regiae dignitatis, · et tandem etiam glorificationis nostrae.

10) Ps 18, 6. 11) Ibid. vrr. 6-7. 12) 1 Io 1, 5. 13) Mal 4, 2. 14) Io 1, 14-17. 15) Eccle 1, 5. Vulg.: *Renascens.* 16) Mt 17, 9. Vulg.: *Donec Filius hominis a mortuis resurgat.* 17) Phil 3, 20-21. 18) Mt 13, 13. Vulg.: *Iusti fulgebunt*, etc.

Potissimum vero per Christi transfigurationem significatur mysterium gloriae paradisi.

II. Supra montem Thabor hodie videtur gloria totius paradisi, hinc Petrus ait: *Domine, bonum est nos hic esse.*[18a] Hoc est principale mysterium hodierni Evangelii, hoc singulare dogma sacrae theologiae et christianae philosophiae, articulus et quidem valde principalis nostrae fidei, quod datur paradisus in praemium virtutis, vita et gloria in coelo sempiterna. Haec hodie per lucem, non qualencunque, sed solarem designatur: *Resplenduit facies eius sicut sol.*

Explicari nequit quid sit gloria paradisi,

Quid autem sit paradisi gloria explicari non potest, nec Paulo licuit qui eam clarissime vidit raptus in paradisum,[19] sicut nec lux solis explicari caeco potest qui a nativitate nunquam vidit lumen. Est gloria ineffabilis et incomprehensibilis, sicut Deus ipse. Si quid dici potest hoc est quod, sicut lux solis adeo oculum implet quod maiorem lucem desiderare non potest, ita paradisi gloria tale tantunque bonum est, quod animus humanus, qui vix unquam saturari posse videtur, talia tantaque sunt ipsius desideria, hac gloria donatus maius quid desiderare non poterit: *Satiabor cum apparuerit gloria tua;*[20] *Adimplebis me laetitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem,*[21] idest in perpetuum. Est sabbatum perpetuae quietis,[22] paradisus deliciarum, perpetuae voluptatis et consolationis;[23] est terra promissionis optimo lacte et melle fluens;[24] est civitas Ierusalem[25] beatissima sub Salomone;[26] est mutatio nominis Iacob in Israel cum benedictione;[27] est mutatio status Ioseph a carcere ad principatum Aegypti;[28] mutatio Moysi ex pastore ovium in summum principem, pontificem, prophetam;[29] mutatio status David ex pastore in summum regem Israelis;[30] mutatio status Petri ex piscatore in summum totius Ecclesiae hierarcham maximumque pontificem.[31] Sic enim hodie Christus *transfiguratus est*, graece *transmutatus, et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.*

sed tantum figuris aliquo modo designari potest;

est enim plenissima omnium gaudiorum fruitio

O si homini terra domus suae transmutaretur in aurum, an non beatissimus haberetur? O homo, ipsamet tua substantia, tuum corpus, tua caro in substantiam soli similem transmutabitur. Solis autem

18a) Ibid. 17, 4. 19) Cf. 2 Cor 12, 1-4. 20) Ps 16, 15. 21) Ps 15, 11. 22) Cf. supra, not. 55. 23) Cf. not. 56. 24) Cf. not. 57. 25) Cf. not. 58. 26) Cf. 3 Rg 4, 25. 27) Cf. Gn 32, 28-29. 28) Cf. ibid. 41, 39-44. 29) Cf. Ex 3, 1 sqq. 30) Cf. 1 Rg 16, 11 sqq. 31) Cf. Mt 4, 18-19; 16, 17-19; Mc 1, 16-17.

et infinitum Dei donum, quo maius dari non potest.

vita aeterna est, substantia incorruptibilis, impassibilis omnino, nullius rei indiga, cuius locus coelum est, cuius claritas summa est toto mundo conspicua, qui dignitate et gloria rex videtur stellarum, cuius virtus et potentia maxima est in natura universali. Magni principes magna distribuunt, quae minores non possunt; dux, qui non multas habet civitates sub suo ducatu, poterit distribuere aliquos comitatus vel marchionatus; sed magnus rex, qui multa habet regna, dare potest non solum comitatus et marchionatus, verum etiam ducatus et principatus. Episcopus dispensare potest beneficia sui episcopatus, sed Papa dispensat et dat episcopatus, archiepiscopatus, patriarchatus, cardinalatus. Deus autem summus Rex et Imperator est, Monarcha universi, Pontifex et Hierarcha summus.

In transfiguratione Christi ostenditur eius gloria et maiestas,

III. Ostenditur nobis hodie Christi Domini gloria et maiestas. Divus Petrus agens de hoc mysterio ait: *Accipiens enim a Deo Patre honorem et gloriam voce ad eum huiusmodi delapsa a magnifica gloria : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi* bene *complacui.*[32] Et sex diebus ante transfigurationem dixerat Dominus: *Sunt... de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.*[33] Hodie autem ostenditur in quali gloria tandem venturus sit. Ostenditur autem hodie gloria Christi, ut eum principem dominumque habere velimus; homines enim natura desiderant gratiam et famulatum magnorum principum; Romae omnes servire vellent Cardinali qui futurus esset Papa.

eiusque regalis magnitudo; ipse enim est supremus paradisi Rex,

Ostenditur autem quam magnus princeps Christus sit, primo quidem, imagine solari: *Resplenduit... sicut sol.* Posuit enim Deus solem in mundo, ut esset imago Christi, nam Christus *Sol* dicitur *paradisi;*[34] secundo, a famulitio Apostolorum et summorum prophetarum Moysi et Eliae; tertio, a divina auctoritate: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui;* quarto, a candore nivium: *Vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix;* quinto, a loco excelso, quia *duxit... in montem excelsum;* et sexto, a nube lucida obumbrante: *Ecce nubes lucida obumbravit eos;*[35] significat autem divinam protectionem, sicut nubes lucida divinum tabernaculum obumbrabat.[36]

32) 2 Petr 1, 17. Vulg.: *Voce delapsa ad eum huiuscemodi*, etc. 33) Mt 16, 28. 34) Cf. Apc 21, 23. 35) Mt 17, 5. 36) Cf. Ex 40, 32.

Primo, inquam, a solari imagine : *Resplenduit... sicut sol,* non sicut luna, non sicut stella, quia Christus summus est princeps, cuius principatus in Adamo, in Melchisedech, in Ioseph, in Moyse et Aaron, in Iosue, Gedeone et Samsone, in David et Salomone praefiguratus fuit. Si ex his omnibus unus fiat princeps, sed tamen cum Deo coniunctus, nam accepit a Deo gloriam et honorem, utique ipsius Dei, princeps ostenditur unus, sicut sol, quia monarchia est optimus principatus ; princeps nobilissimus et supremae auctoritatis in utroque foro, ut Melchisedech,[37] ut Moyses ; [38] dominus etiam naturae, ut videbatur Elias ; [39] princeps, ut sol, summae gloriae, potentiae, sapientiae, bonitatis, iustitiae, integritatis ; princeps etiam felicissimus ac fortunatissimus, ut Salomon : *Hic est Filius meus dilectus;* princeps ditissimus et liberalissimus, ut sol qui universum regnum suum ditat, nihil accipit et omnia sua dispensat ; princeps providentissimus, infatigabilis, ut sol qui omnia lustrat, visitat regnum suum semper benefaciendo ; princeps optimus, maximus remunerator ; patet hodie in Apostolis, patet in Moyse et Elia ; princeps infinitae caritatis in suos ; hinc dicebant *excessum.* [40]

et Rex quidem summae gloriae et omnium perfectionum.

37) Cf. Gn 14, 18 ; Hebr 7, 1. 38) Cf. Ex 3, 1 sqq.; Eccli 45, 1-6 ; Act 7, 35. 39) Cf. Eccli 48, 1-15. 40) Lc 9, 31.

FERIA SECUNDA DOMINICAE SECUNDAE QUADRAGESIMAE

Ego vado, et quaeretis me et in peccato vestro moriemini, et quo ego vado, vos non potestis venire. [1]

Magnum discrimen interest inter Christum et mundum, sicut inter coelum et terram.

I. Assignatur in hodierno Evangelio discrimen magnum quod est inter Christum et mundum: *Quo ego vado, vos non potestis venire. Vos de deorsum estis, ego de supernis sum; vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.* [2] Divinus Moyses in sua cosmopoeia mox ut posuit creationem coeli et terrae: *In principio creavit Deus coelum et terram,* [3] duo haec magna mundi corpora universalia et prima naturalium rerum principia, bases, fundamenta, statim eorum ad invicem differentiam assignavit dicens: *Terra autem erat inanis et vacua, et tenebrae erant super faciem abyssi, et spiritus Domini,* sive *Dei,* וְרוּחַ אֱלֹהִים, [4] *ferebatur,* movebat sese, *super aquas.* [5] Terra, inquit, in suae creationis primordio erat veluti rudis et indigesta moles, suapte natura gravis et immota, nullis bonis ornata aut repleta, tota obscura et tenebricosa, aquis crassis et densissima caligine undequaque circumfusa; coelum autem appellat *spiritum,* ob naturam tenuem instar aeris, sicut ventum Scriptura *spiritum* appellare solet; [6] unde Isaias ait: *Extendens coelum tanquam nihilum,* [7] idest tenuissimum corpus, sicut aer qui, cum natura sit invisibilis, [8] nihil nobis esse videtur. Sic etiam Salomon coelum *spiritum* appellavit dicens: *Oritur sol et occidit et ad locum suum revertitur; ibique renascens gyrat per meridiem et flectitur ad aquilonem; lustrans universa in circuitu pergit spiritus et in circulos suos rever-*

1) Pericope huius diei Io 8, 21-22. Cf. Missale Rom. 2) Ibid. vr. 23. 3) Gn 1, 1. 4) Ms.: *Ruah Elohim.* 5) Gn 1, 2. 6) Ibid. 8, 1; Ex 15, 8. 10; 2 Rg 22, 16; Iob 4, 15; Ps 10, 7; 47, 8; 102, 16; 106, 25; 147, 18; 148, 8; Prv 30, 4; Sap 11, 21; 17, 17; Ez 1, 12; 13, 13. 7) 40, 22. Vulg.: *Qui extendit velut nihilum coelos.* 8) Ms.: *Invisilis.*

titur.[9] Divus Basilius in *Hexaemeron,*[10] et Ambrosius etiam in suo *Hexaemeron,*[11] coelum, iuxta Isaiam, tenuem esse naturam instar vaporis docent. *Spiritum* igitur Moyses appellat coelum, sicut aerem ipsum semper *coelum* appellavit,[12] eo quod non sit crassa materia congestum sicut terra; *spiritum* vero *Dei,* propter immensam magnitudinem, more Scripturae quae Dei esse dicit quaecunque mirabili quadam magnitudine constant; sic *civitas Dei,*[13] *mons Dei,*[14] *ignis Dei,*[15] *cedri Dei;*[16] Ninive etiam dicitur *civitas magna Deo.*[17] Deinde naturalem motum tribuit coelo, sicut terrae quietem; et tandem coelo claritatem et lucem tribuit, sicut terrae obscuritatem et tenebras; nam a coelo lucem diemque habemus, a terra autem tenebras et noctem.

II. Et quidem, in cognitione naturalium vel essentialium differentiarum rerum universa philosophia consistit tum naturalis, quae physica, tum etiam supernaturalis, quae metaphysica dicitur. Sacra autem theologia, quae vere scientiarum omnium domina et regina est,[17a] in cognitione differentiarum inter Deum et mundum, Creatorem et creaturas maxime consistit. Hinc saepe Divina Scriptura, quae altissima theologia est, de hoc discrimine loquitur. Per Isaiam ait: *Sicut exaltantur coeli a terra, ita exaltatae sunt viae meae a viis vestris, et cogitationes meae a cogitationibus vestris;*[18] *non enim,* inquit, *viae meae viae vestrae, neque cogitationes meae cogitationes vestrae.*[19] In *Numeris* legimus: *Non est Deus homo ut mentiatur aut filius hominis ut mutetur.*[20] De eo Samuel: *Triumphator in Israel non parcet et poenitudine non flectetur: neque enim homo est ut poenitentiam agat.*[21] Per Isaiam rursus dicitur: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatae sunt ei. Cui ergo similem fecistis Deum?*[22] Sic Moyses in priori Cantico aiebat: *Quis similis tui in fortibus,*

Saepe loquitur S. Scriptura de hoc discrimine inter Deum et creaturas.

9) Eccle 1, 5-6. 10) *Hom. 1,* (P. G. 29, 19-22). 11) Lib. 1, cp. 6, (P. L. 14, 132). 12) Cf. Gn 1, 26. 28. 30; 2, 19-20; 6, 7; 7, 3. 23; 9, 2. 14. 16; 27, 28, 39. 13) Cf. Tob 13, 11; Ps 86, 3; Is 60, 14; Ier 31, 38. 14) Cf. Ex 3, 1; 4, 27; 3 Rg 19, 8; Ps 23, 3; Ez 28, 14. 16. 15) Cf. Nm 11, 1. 3; Iob 1, 16. 16) Cf. Ps 79, 11. 17) Ion 3, 3. Lectio hebraica: *Ninive erat civitas magna Deo.* Cf. S. Hieronymus *Comment. in Ionam,* (P. L. 25, 1139). 17a) Cf. supra Feria Quinta Cinerum, not. 114, pag. 24. 18) 55, 9. Vulg.: *Sic exaltatae sunt,* etc. 19) Ibid. vr. 8. Vulg.: *Non enim cogitationes meae cogitationes vestrae, neque viae vestrae viae meae.* 20) 23, 19. Vulg.: *Nec ut filius hominis,* etc. 21) 1 Rg 15, 29. Vulg.: *Ut agat poenitentiam.* 22) 40, 17-18.

Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis et faciens mirabilia? [23]

Tum Lucifer tum homo, qui hoc discrimen tollere volebant, e paradiso electi fuerunt.

Hoc peccatum fuit Luciferi, quando Deo similis et aequalis esse voluit in maiestate: *Super astra Dei exaltabo solium meum,... similis ero Altissimo;* [24] hoc peccatum hominis a satana decepti atque seducti; unde amara illa ironia Dei ad eum: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est;* videte *ne... sumat... de ligno vitae... et vivat in aeternum; et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis.*[25] Fuit quidem homo creatus *ad imaginem et similitudinem Dei,* [26] fuit et Angelus; [27] sed inter Deum et creaturas omnes infinitum discrimen est: *Ascendet homo ad cor altum et exaltabitur Deus.* [28]

Idem discrimen assignat hodie Christus inter se et mundum,

Christus autem Dominus noster non tantum homo est, verum etiam Deus: « perfectus Deus, perfectus homo »; [29] hinc discrimina assignat hodie inter divinam maiestatem suam et mundum, idest homines peccatores, « qui sunt in mundo et diligunt mundum » [30] magis quam Deum. Manifesta autem discrimina sunt: *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum.* [31] Nam homo de terra factus est, Christus autem de coelo venit: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis;* [32] *Exivi a Patre et veni in mundum;* [33] *A summo coelo egressio eius;* [34] *Visitavit nos oriens ex alto;* [35] *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiae.* [36] Unum ex divinis nominibus עֶלְיוֹן [37] est, quod est Altissimus: *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes coelos.* [38] Differt coelum a terra magnitudine et sublimi altitudine; sic Deus a mundo. Sic igitur naturae nobilitate Christus differt a mundo, quoniam Christus totus coelestis est, mundus totus terrenus: Et *vos,* inquit, adhuc *de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo;* [39] Christus Deus creator est omnium: *Omnia per ipsum facta sunt... Mundus per ipsum factus est;* [40] homines autem creaturae sunt.

sive mundus accipiatur pro universitate creaturarum,

Vel mundum dicit, qui *totus in maligno positus est;* [41] mundum,

23) Ex 15, 11. 24) Is 14, 13-14. 25) Gn 3, 22-23. 26) Ibid. 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 27) Cf. Ez 28, 12; S. Gregorius M. *Hom. 34 in Evang.*, (P. L. 76, 1250). 28) Ps 63, 7-8. Vulg.: *Accedet homo*, etc. 29) Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 40. 30) S. Augustinus *Sermo in monte*, lib. 1, cp. 6, (P. L. 34, 1237). 31) Io 8, 23. 32) 1 Cor 15, 47. 33) Io 16, 28. 34) Ps 18, 7. 35) Lc 1, 78. 36) Mal 4, 2. 37) Ms.: *Elion.* 38) Ps 96, 9. Vulg.: *Super omnes deos.* 39) Io 8, 23. 40) Ibid. 1, 3-10. 41) 1 Io 5, 19.

in quo omnia sunt *concupiscentia carnis..., concupiscentia oculorum et superbia vitae;* [42] mundum, cuius princeps satanas; mundum, qualis propter peccatum factus est. Ipse non est de hoc mundo, quia *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius;* [43] quia ipse *agnus Dei qui tollit peccata mundi;* [44] quemadmodum dixit discipulos suos non esse de mundo, quoniam ipse elegerat eos de mundo, [45] de regno satanae, *de potestate tenebrarum... in regnum Dei.* [46] Differt a mundo, quoniam Deus ipse est: *Nisi credideritis quia ego sum;* [47] *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum;* [48] tandem, quia ipse principium et creator omnium: *Ego principium, qui et loquor vobis.* [49]

sive pro universitate malorum hominum, quorum princeps est satanas.

III. Sic multis Christus a mundo differt, sicut et Deus. Siquidem Deus a mundo differt essentia: *Ego sum qui sum.* [50] Alia participatum habent esse, sicut stellae lumen, coelum et dies claritatem a sole; sic ait: *Nisi credideritis quia ego sum; Cognoscetis quia ego sum.* Alibi dixit: *Antequam Abraham fieret, ego sum.* [51] Differt mundus a Deo aeterna immortalitate, quia solus Deus aeternus est: *Qui solus habet immortalitatem.* [52] Omnia interitui sunt obnoxia, sicut ex nihilo creata sunt; hinc ait: *Dixi vobis quia moriemini;* [53] et [54]: *Cum* me in cruce *exaltaveritis..., tunc cognoscetis quia* Deus immortalis *ego sum.* Differt Deus a mundo creatione, quia Deus prima causa est, independens principium, creator omnium rerum visibilium et invisibilium; sic ait: *Ego principium; Omnia per ipsum facta sunt.* Differt a mundo naturae nobilitate, quoniam Deus altissimae nobilitatis est: *Rex regum et Dominus dominantium;* [55] *Ego de supernis sum.* Differt potestate, quia omnipotens Deus est, mundus autem totus non potest divinam omnipotentiam aequare: *Quo ego vado, vos non potestis venire.* Potest coelum seipsum movere, non autem terra; potest coelum illuminare mundum, terra autem potius obscurare. Differt tandem bonitate et sanctitate; nam Deus summa sanctitas est, *Sanctus sanctorum,* [56] imo *sanctitas sanctitatum est,* [57] sicut lux solis lumen luminum; ipse

Christus Deus a mundo differt essentia et aeternitate,

creatione et potestate,

bonitate et sanctitate.

42) Ibid. 2, 16. 43) 1 Petr 2, 22. 44) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum mundi.*
45) Cf. ibid. 15, 19. 46) Col 1, 13. 47) Io 8, 24. Vulg.: *Si enim non credideritis,* etc.
48) Ibid. vr. 28. 49) Ibid. vr. 25. 50) Ex 3, 14. 51) Ibid. vr. 58.
52) 1 Tim 6, 16. 53) Io 8, 24. 54) Ms.: *Est.* 55) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16.
56) Dn 9, 24. 57) Ibid. Ex hebraico.

sol iustitiae est: *Lux est, et tenebrae . . . non sunt ullae;* [58] *mundus* autem *totus in maligno positus est.*

Hoc autem discrimen in hodierno Evangelio maxime assignatur; nam non solum docetur: *Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo;* verum etiam, cum per mundum non coelum et terram intelligat, sed regnum satanae per vitia et peccata, ter replicat *peccatum* dicens: *Quaeretis me et in peccato vestro moriemini;* et iterum: *Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis vestris; si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* [59]

Hic autem potissimum agitur de mundo vitiorum et peccatorum,

Quoniam in hoc quam maxime Deus a mundo differt, sic et Christus ut verus Deus, unigenitus Filius Dei. Displicet enim summopere peccatum Deo; Christus autem ait: *Qui misit me mecum est et non reliquit me solum, quia ego quae placita sunt ei facio semper.* [60] Execratur et persequitur peccatum Deus; nam propter peccatum eiecit angelos de coelo, [61] homines de paradiso; [62] in poenam peccati summus iudex protulit contra mundum mortis sententiam; [63] mortis autem triplicis, hinc ter dicitur in hodierno Evangelio: *In peccato vestro moriemini.* Est enim mors naturalis separatio animae a corpore; mors spiritualis, separatio animae a Deo et a Spiritu Sancto; mors aeterna, privatio vitae et felicitatis sempiternae.

a quo Christus infinite discriminatur, cum peccatum separatio animae a Deo sit et mors aeterna.

IV. Odit Deus summopere peccatum sicut benefactor ingratitudinem, sicut princeps rebellionem et proditionem, sicut vir honestissimus uxoris adulterium, sicut homo quilibet rerum suarum et maxime pretiosissimarum furtum et latrocinium, sicut homo letale venenum quod filios suos interemit. Peccatum nanque mortiferum venenum est serpentis antiqui, quod mundo interitum attulit: *In peccato vestro moriemini: in peccato vestro moriemini,* et tertio ait hodie: *In peccato vestro moriemini,* quia peccatum certissimam mortem et perditionem perpetuam affert.

Peccatum est maxima ingratitudo erga Deum benefactorem;

Ioseph dixit Pharaoni quod duplici visione spicarum et vaccarum ostendit ei Deus futurum tempus abundantiae, et postea penuriae et caritatis rerum in signum certitudinis. [64] Hanc ob causam etiam

hominem obnoxium fecit morti,

58) 1 Io 1, 5. 59) Io 8, 21. 24. 60) Ibid. vr. 29. Vulg.: *Qui me misit,* etc.
61) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6; Apc 12, 7-9. 62) Cf. Gn 3, 23-24. 63) Cf. ibid. 3, 17-19. 64) Cf. ibid. 41, 25-32.

dixit Deus [65] Adamo : *De ligno ... scientiae boni et mali ne comedas: in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris,* [66] idest certissime et infallibiliter eris morti obnoxius, amittes donum immortalitatis. In signum autem multo maioris certitudinis hodie Christus non tantum replicat mortis comminationem ob peccatum, verum etiam tertio inculcat, nisi accipiatur antidotum vivae fidei efficacissimum contra mortiferum hoc venenum peccati : *Nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Sicut autem serpens exaltatus in deserto antidotum fuit efficacissimum et saluberrimum contra serpentum ignitorum venena omnibus qui in serpentem illum oculos pia fide intenderunt, [67] sic etiam Christus hodie exaltationis suae in cruce mentionem facit : *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* Alludit ad illud : *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vita aeternam.* [68] Peccatum est *prudentia carnis,* de qua dixit Apostolus quod *mors est* et quod *inimica est Deo,* idest inimicitias exercet in Deum, *legi enim Dei non est subiecta, neque enim potest;* [69] sicut terrae opacitas non est subiecta radiis solis, ut per eam transeant sicut per aerem, per aquam, per vitrum et crystallum, imo per durissimum etiam adamantem. Opacitas autem resistit radiis, quoniam lucis inimica est.

a qua sola fides in Christum salvare potest;

Sciamus, fratres, quod nulla res Deo nos tam dissimiles reddit atque difformes divinamque in nobis imaginem et similitudinem labefactat, ut peccatum : *Vos de deorsum estis.* Post peccatum audivit homo : *Terra es, pulvis es et in pulverem reverteris.* [70] Terra suapte natura gravis est, nec nisi deorsum tendere potest. Magna est peccati gravitas : *Iniquitates meae supergressae sunt caput meum, et sicut onus grave gravatae sunt super me.* [71] Haec massa plumbi est apud Zachariam ; [72] haec gravitas fuit in causa ut Aegyptii in mari Rubro descenderent *in profundum quasi lapis,* et *quasi plumbum submergerentur in aquis vehementibus.* [73] Christus autem sine peccato, super aquas maris ambulavit. [74] Peccati gravitas navim Ionae adeo aggravabat, ut frustra nautae eam alleviarent mittentes vasa in mare;

divinam similitudinem in anima delet,

et in profundum damnationis submergit;

65) Ms.: *Deo.* 66) Gn 2, 17. 67) Cf. Nm 21, 8-9. 68) Io 3, 14-15. 69) Rom 8, 6-7. Vulg.: *Nec enim,* etc. 70) Gn 3, 19. Ex Translat. Septuaginta. 71) Ps 37, 5. 72) Cf. 5, 8. 73) Ex 14, 23. 28. 74) Cf. Mt 14, 25-26 ; Mc 6, 48-50 ; Io 6, 19.

nunquam alleviata fuit, adeo ut a naufragii et submersionis periculo libera esset, nisi postquam Ionas peccator, cuius causa orta erat tempestas, missus fuit in mare. [75] Peccati gravitas deiecit angelos, qui peccaverunt, de sublimi coelorum in tartarum et barathrum infernale. Sic ait: *Vos de deorsum estis*, et etiam: *Vos de mundo hoc estis*, idest de regno satanae: *Venit... princeps mundi huius et in me non habet quicquam..., quia diligo Patrem et, sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* [76]

similem satanae reddit eiusque iugo gravissimo subdit,

Peccatum larva diaboli est, satanae similitudo; hinc enim peccatores cum satana et angelis eius mittentur in ignem aeternum. [77] Peccatum iugum est satanae, non, sicut iugum Christi, suave et leve, [78] sed grave et asperum; sic enim per Isaiam ait: *Vae qui trahitis iniquitatem in funibus vanitatis et quasi vinculum plaustri peccatum.* [79] An non grave iugum avaritia, superbia vitae et mundi vanitas cum tot pompis et tanto luxu? Nonne grave iugum cupidinis amor, cum infelix homo mulierem aliquam ob gratiam fallacem et vanam pulcritudinem deperit? Trahitur autem iniquitas, inquit, *in funibus vanitatis;* nam peccati voluptas ipsissima vanitas est et saepe oritur peccatum ex vanissima cupiditate experiendi ignotas voluptates, qua quidem cupiditate saepe, tanquam auceps laqueo ad capiendas aves et piscator esca ad capiendos pisces, utitur satanas? Hac enim usus cum Eva est, [80] hac cum filio prodigo, [81] hac cum Dina filia Iacob. [82] Sic

et multis cupiditatibus premit et exagitat.

legimus invitatos ad coenam magnam renuisse et se excusasse: *Iuga boum emi... necesse habeo exire et probare illa;* [83] *Villam emi... necesse habeo exire et videre illam;* [84] *Uxorem duxi... non possum venire.* [85] Saepe tamen cupiditas haec hominem in magnas redigit angustias, sicut de Iona legimus, cum *fugeret... a facie Domini;* ait Divina Scriptura quod *descendit in Ioppem ut fugeret in Tharsis.* [86] Ioppe autem, hebraice יָפוֹ, [87] pulcritudo interpretatur; Tharsis autem exploratio gaudii. Sed novum explorans gaudium, angustias invenit et extremas afflictiones. Hic enim est effectus, haec consequentia peccati; sic ait: *In peccato vestro moriemini*, quoniam a peccato omnia mundi mala sumpserunt originem.

75) Cf. Ion 1, 1-15. 76) Io 14, 30-31. 77) Cf. Mt 25, 41. 78) Cf. ibid. 11, 30. 79) 5, 18. Vulg.: *In funiculis vanitatis*, etc. 80) Cf. Gn 3, 1-5. 81) Cf. Lc 15, 11 sqq. 82) Cf. Gn 34, 1-2. 83) Lc 14, 19. Vulg.: *Et eo probare illa*, etc. 84) Ibid. 14, 18. 85) Ibid. vr. 20. 86) Ion 1, 3. 87) Ms.: *Iapho.*

Christus de supernis esse dicitur, quia Filius Dei naturalis.

V. *Ego de supernis sum.* Sic et Ioannes Baptista dixit de Christo : *Qui desursum venit, super omnes est. Qui est de terra, de terra est et de terra loquitur; qui de coelo venit, super omnes est.* [88] Hoc autem dixit, quoniam audivit vocem de coelo, dum Christus baptizaretur : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui,* [89] viditque, aperto coelo, Spiritum Sanctum descendentem et manentem super eum.[90] Est Christus de supernis, sicut Elcana, pater Samuelis, erat *de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim.* [91] Ramathaim autem celsitudines interpretantur ; Sophim autem speculae. Erat de excelsis speculis, supra montem Ephraim, supra montem frugiferum. Vere autem mons frugifer coelum est, sicut ait Moyses in benedictione Ioseph : *De benedictione Domini terra eius, de pomis coeli et rore atque abysso subiacente, de pomis fructuum solis et lunae, de vertice antiquorum montium, de pomis collium aeternorum et de frugibus terrae et de plenitudine eius.* [92] Super hunc montem altae speculae sunt Angelorum excubiae. Christus autem, verus Elcana, Deus zelotes, de hac sublimitate venit in mundum ; hinc ait : *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo.* [93]

et quia nullum habet pondus peccati,

Propterea ait hodie : *Quo ego vado,* scilicet in coelum, *vos non potestis venire;* duplici de causa : tum ob naturam, quia *de deorsum estis,* quae autem gravia sunt sursum ferri non possunt ; tum etiam propter culpam, quia *de mundo hoc estis.* [94] Christus autem et naturam habet divinam, unde ipse aquila illa est, de qua Moyses ait : *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos et super eos volitans expandit alas suas, et assumpsit eos atque portavit in humeris suis;* [95] ita Deus cum electis suis egit ; deinde, nullam habuit gravitatem, nullum pondus peccati : *Non sum de ... mundo.* Nanque hoc vere maximum impedimentum est ; nam alioquin etiam Elias homo mortalis erat, et tamen, quia sine peccato erat, igneo curru de coelo raptus in coelum fuit, [96] sicut et Adam, si in officio perstitisset, raptus fuisset in coelum vivens, quemadmodum electi omnes in die iudicii rapientur, glorificatis corporibus et divina agilitate ac levitate donatis. [97] At si peccati impedimentum adfuerit, actum erit : *Quo ego vado, vos non potestis venire ... in peccato vestro moriemini.*

quod est maximum obstaculum ad coelum ascendendi.

88) Io 3, 31. 89) Mt 3, 17. 90) Cf. ibid. vr. 16. 91) 1 Rg 1, 1. 92) Dt 33, 13-16. 93) Io 3, 13. 94) Ibid. 8, 23. 95) Dt 32, 11. Vulg. : *Et assumpsit eum,* etc. 96) Cf. 4 Rg 2, 11-12. 97) Cf. 1 Thess 4, 16-17.

Ergo secundum fidem vivendum nobis est, ut peccatum fugiamus et ad superna cum Christo extollamur.

VI. Hoc igitur satagendum nobis est, fratres, ut *peccatum non regnet in mortali nostro corpore,* [98] ut, si peccati venenum in nobis est, fidei antidoto illud expellamus: *Nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Sic de Christo Ioannes aiebat: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam, qui autem incredulus est . . . , non habet vitam, sed ira Dei manet super eum.* [99] Nam per fidem vivam nos quoque cum Christo *de supernis* efficimur: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius . . . , qui ex Deo nati sunt.* [100] Hinc fit ut non sit homo de regno mundi, de potestate tenebrarum, sed de regno Dei, ut vivat sine peccato; nam: *Qui natus est ex Deo, non facit peccatum.* [101] Sic Paulus ait: *Nihil . . . nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant.* [102] Hoc est non esse de mundo, non secundum carnem vivere; esse autem de mundo, secundum carnem ambulare.

Peccatum enim hominem satanae servum et mancipium facit,

Hoc sciendum est, fratres, quod si in peccato invenerit nos Deus, proculdubio aeterna morte peribimus nihilque nobis tunc passio Christi proderit, sed maioris nostrae damnationis causa erit. Omnes qui cum charactere bestiae inventi fuerint, mittentur in stagnum ignis; [103] qui in peccato vivit satanae servus, imo mancipium est, satanae signum portat, satanae insignia, satanae similitudinem. Et nos mallemus, fratres, satanae similes esse, quam Deo, quam Christo? In statu perditionis potius vivere, quam salutis?

totum terrenum et brutis similem.

In peccato vestro moriemini. Paradisum Deus non pro bestiis, sed pro Angelis et hominibus similibus Angelis fecit; peccatum autem hominem in bestiam commutat, sicut de Nabuchodonosor legimus. [104] *Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis;* [105] hinc Deus, post peccatum, pellibus animalium induit homines, ut agnoscerent se ob peccatum in bestias commutatos esse; [106] hinc: *Non permanebit spiritus meus in homine . . . quia caro est,* [107] hebraice: *Eo quod et ipse caro est,* idest ipse quoque ut cetera animalia est; sic: *Animalis homo non sapit quae*

98) Rom 6, 12. 99) 3, 36. Vulg.: *Non videbit vitam,* etc. 100) Ibid. 1, 12-13. 101) 1 Io 3, 9. Vulg.: *Peccatum non facit.* 102) Rom 8, 1. 103) Cf. Apc 19, 20; 20, 7 sqq.; 21, 8. 104) Cf. Dn 4, 28-30. 105) Ps 48, 13. 21. 106) Cf. Gn 3, 21. Cf. S. Laurentius a Br. *Opera Omnia, Explanatio in Genesim,* vol. 3, cp. 3, pag. 313. 107) Gn 6, 3.

sunt Spiritus Dei;[108] hinc: *Sicut oves in inferno positi sunt; mors depascet eos;*[109] *sicut oves*, pecudes, bruta animalia

VII. *Ego vado, et quaeretis me.* Peccatum in causa est ut discedat a nobis Christus, ut discedat a nobis Deus. Sed sicut mox ut discedit ab aere lux, eum tenebrae occupant, ita, discedente ab anima Deo, statim eam satanas occupat. Sic legimus quod discessit a Saul spiritus Domini bonus et statim invasit eum spiritus malus.[110] Quare peccatum facit ex paradiso infernum; paradisus enim habitatio Dei est, infernus autem habitatio daemonum. Sic per discessum Christi synagoga Iudaeorum, quae prius Ecclesia Dei erat, facta est *synagoga satanae*,[111] ex templo et habitatione Dei facta est *habitatio daemoniorum*,[112] stabulum infernalium bestiarum.

Peccatum Deum et Christum a nobis arcet et daemonium attrahit,

Ego vado ... et in peccato vestro moriemini. Est peccatum monstrum maxime horribile, cuius aspectum vix divini oculi Christi ferre possunt; horribilius morte, horribilius inferno, horribilius diabolo et omnibus simul daemonibus; nam haec omnia peccati causa horribilia sunt. Est peccatum horribilis et putentissima immunditia in oculis Dei naribusque ipsius. Hinc, commisso idololatriae peccato, Moyses divino iussu extulit tabernaculum Domini extra castra.[113] Sic nunc: *Ego vado: Quaeretis me*, desiderabitis me, indigebitis me. Sic adhuc infelices Hebraei quaerunt, desiderant, expectant Messiam, ut liberet eos a miserabili captivitatis statu; sed *quaeretis me*, inquit, *non* tamen *invenietis.*[114] Sic peccatum constituit hominem in statu infelicissimae miseriae et calamitatis, in maxima indigentia divinae gratiae: *Omnes ... peccaverunt et egent gloria Dei*,[115] idest magna misericordia et gratia Dei.

ideo maxime horribile est et multarum miseriarum causa,

Sed tamen hominem ipsum indignum efficit omni gratia et misericordia: *In peccato vestro moriemini.* Letale, mortiferum venenum est, conducens tandem homines ad damnationem aeternam. Loquitur nanque hodie Christus etiam de iudicio: *Multa habeo de vobis loqui et iudicare.*[116] Quinam damnabuntur in die iudicii tremenda illa sententia: *Ite, maledicti, in ignem aeternum?*[117] Peccatores. Etiam chri-

praesertim aeternae mortis, ut patet in Lucifero et in Adam.

108) 1 Cor 2, 14. Vulg.: *Non percipit ea*, etc. 109) Ps 48, 15. 110) Cf. 1 Rg 16, 14. 111) Apc 2, 9. 112) Ibid. 18, 2. 113) Cf. Ex 33, 7. 114) Io 7, 34. 115) Rom 3, 23. 116) Io 8, 26. 117) Mt 25, 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti*, etc.

stiani? Christiani, etiam qui iuste vixerint, nec nisi unum tantum letale crimen admiserint, quod per poenitentiam non deleverint : *Si quis... totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus,* [118] utique reus aeternae mortis, aeterni supplicii. Sic venenum peccati ad hanc mortem conducit hominem ; sic peccatum crimen est capitale ; propter unum nanque peccatum in aeternum damnatus est Lucifer cum universa angelorum multitudine ; [119] sic Adam propter unum peccatum subiit mortis sententiam. [120]

ALIA HOMILIA

Ego vado, et quaeretis me et in peccato vestro moriemini, et quo ego vado, vos non potestis, etc. [1]

Discrimen assignatur in S. Scriptura inter terram Aegypti et terram promissionis,

I. Assignavit Moyses in suo *Deuteronomio* discrimen inter terram Aegypti et terram promissionis dicens : *Terram..., ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Aegypti de qua existi, ubi, iacto semine, in hortorum morem aquae ducuntur irriguae; sed montuosa est et campestris, de coelo expectans pluvias, quam Dominus Deus tuus semper invisit, et oculi illius in ea sunt a principio anni usque ad finem eius.* [2] Terra, inquit, Aegypti arida siccaque est, super quam nunquam descendit pluvia de coelo, sed Nili aquis eam irrigare oportet ad percipiendum fructum ex ea ; sed terra promissionis coelesti pluvia et divina benedictione fecunda et arborum fertilis est. Sic alibi Deus loquens de terra illa, ad differentiam terrae Aegypti, appellat eam *terram bonam et spatiosam..., terram quae fluit lacte et melle.* [3]

et inter ceteras omnes creaturas,

In principio etiam *Sacrae Geneseos* Moyses discrimen assignavit inter coelum et terram, lucem et tenebras, diem et noctem, aquas superiores et inferiores, inter solem et lunam, inter plantas et animalia, inter animalia et hominem, inter hominem et Deum. Hominem enim fecit veluti pictam imaginem, imo umbram Dei ; siquidem צֶלֶם [4] hebraice umbram significat.

118) Iac 2, 10. Vulg. : *Quicunque... totam*, etc. 119) Cf. 2 Petr 2, 4 ; Iud vr. 6 ; Apc 22, 7-9. 120) Cf. Gn 3, 17-19.

1) Io 8, 21. 2) 11, 10-12. Vulg. : *Expectans pluvias*, etc. 3) Ex 3, 8. 4) Cf. 1, 1 sqq. Ms.: *Zelem.*

sic et inter Deum et hominem, ratione naturae.

Et quidem saepe in Sacris Litteris discrimen assignatur inter Deum et mundum; ait enim: *Non enim viae meae viae vestrae, neque cogitationes meae cogitationes vestrae..., sicut enim exaltantur coeli a terra, ita exaltatae sunt viae meae a viis vestris.*[5] Discrimen assignavit Deus cum ait nomen suum esse: *Ego sum qui sum,*[6] quasi omnia alia entia Dei comparatione accidentia sint, non substantiae. Et quoad magnitudinem per Isaiam dicitur: *Gentes quasi stilla situlae et quasi momentum staterae reputatae sunt... Omnes gentes quasi non sint sic sunt coram eo et quasi nihilum et inane reputatae sunt ei;*[7] et etiam quod *extendit tanquam nihilum coelum.*[8] Eandem philosophiam Ieremias docuit, qui Deum *fontem* et *venam aquarum viventium* appellavit, creaturas vero *cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas;*[9] itemque cum Deum dixit *figulum,* homines vero *lutum in manu figuli.*[10] Magnum, imo maximum discrimen est inter Deum et mundum, quoniam Deus increatus, aeternus, infinitus est, infinitae potentiae et bonitatis, infinitae perfectionis; mundus autem creatus, temporalis, finitus est, finitae perfectionis, finitae virtutis.

sed praecipue ratione peccati, quia peccatum imperfectio est, Deus autem summa perfectio.

Sed singulare discrimen inter Deum et hominem est ratione peccati. Deus enim peccare non potest; cum enim peccatum defectus et imperfectio sit, proveniens vel ab impotentia animi vel ab ignorantia aut malitia, si peccare posset Deus, qui summa et infinita perfectio suapte natura est, vere non esset Deus in quem nulla penitus imperfectio cadere potest, sicut nec in solem obscuritas vel macula. Homo autem peccare potuit, imo peccavit et universam naturam humanam peccato infecit. Luna, quoniam suapte natura lucida non est sicut sol, eclipsari, obscurari potest et, cum plena etiam est, habet nonnullas maculas.

Eadem ratione assignantur hodie multa discrimina inter Christum et mundanos homines.

In hodierno Evangelio multa assignantur discrimina inter Christum et mundum; sed hoc unum singulare est, quod mundani homines peccato infecti sunt, Christus vero minime. *Agnus* enim *Dei* est *qui tollit peccata mundi,*[11] purissimus et lucidissimus *sol iustitiae.*[12] *Ego vado, et quaeretis me et in peccato vestro moriemini.* Segregat se Christus a peccato, sicut de ipso Apostolus ait: *Talis... decebat ut nobis*

5) Is 55, 8-9. Vulg.: *Non enim cogitationes meae cogitationes vestrae, neque viae vestrae viae meae..., quia sicut exaltantur... sic exaltatae,* etc. 6) Ex 3, 14. 7) 40, 15-17.
8) Ibid. vr. 22. Vulg.: *Velut nihilum coelos.* 9) 2, 13; 17, 13. 10) Ibid. 18, 6.
11) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum mundi.* 12) Mal 4, 2.

esset pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior coelis factus. [13] Venit unigenitus Filius Dei in mundum, suscepit infirmitates nostras, paupertatem, humilitatem, poenas, passiones, ignominias, mortem; peccatum vero minime, quoniam Deus supra modum odit peccatum. Dici non potest quantopere displiceat peccatum Deo. Christus autem ait: *Ego quae placita sunt ei facio semper.* [14] Hinc ait de eo Deus: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui,* [15] idest in quo nihil mihi unquam displicuit, sed omnia mihi summopere placuere.

Peccatum est transgressio divinae legis;

II. Quid sit autem peccatum vix explicari potest. Transgressio quidem est divinae legis et mandati; peccavit nanque homo comedens de ligno scientiae, quoniam divinum praeceptum violavit. [16] Magnum autem est crimen ut homo praetermittat, contemnat et transgrediatur sui principis iussa.

est delictum capitale,

In hodierno autem Evangelio constat quod peccatum suapte natura delictum est capitale; ait enim semel, iterum et tertio: *In peccato vestro moriemini.* [16a] Sic P a u l u s ait: *Stipendia... peccati, mors;* [17] sic dictum fuit: *In quocunque die comederis... morte morieris.* [18] Magnum necesse est ut sit delictum, cuius causa rex ferat capitalem sententiam in magnum aliquem principem, regni alicuius proregem; cuius causa Romae Papa Cardinalem maxime dilectum ab se damnet ultimo supplicio. Et tamen Deus, summus Rex et Pontifex maximus, peccati causa tulit mortis sententiam contra hominem, quem vicarium suum, mundi totius principem ac pro–regem constituerat. Nec egit sicut Saul rex cum Ionatha filio suo, contra quem, propter inobedientiae crimen, tulit quidem capitalem sententiam dicens: *Morte morieris, Ionatha!* [19] quia contra regis praeceptum mellis paululum gustaverat; [20] sed postea indulsit crimen, revocavit sententiam. [21] Deus autem non sic, sed tulit sententiam et executioni mandavit, [22] sicut Assuerus sententiam quam tulit contra Aman principem. [23]

quia eius causa sententia mortis contra hominem lata fuit;

Principes graviter puniunt omnia delicta quae sunt in perniciem pacis et utilitatis: homicidia, latrocinia, grassationes; sed quam ma-

13) Hebr 7, 26. 14) Io 8, 29. 15) Mt 17, 6. 16) Cf. Gn 2, 17; 3, 6. 16a) Io 8, 21-24. 17) Rom 6, 23. 18) Gn 2, 17. 19) 1 Rg 14, 44. 20) Cf. ibid. vr. 24. 21) Cf. ibid. vr. 45. 22) Cf. Gn 3, 19. 23) Cf. Est 7, 9-10.

xime crimina laesae maiestatis: contumaces, seditiosos, rebelles, proditores, maxime in personam principis, sicut duo eunuchi [qui] occidere voluere Assuerum,[24] suffuratores et dilapidatores regii thesauri atque aerarii, violatores regii honoris, acri odio persequuntur.

sententia autem mortis tantum in maxima crimina fertur;

Has omnes ob causas Deus peccatum odit, iniquitatem ferre non potest, sicut nec homo adulterium propriae uxoris malamque voluntatem et odium ipsius, qua virum perdere veneno voluit, magnamque ingratitudinem et bonorum domus suffurationem ad dandum adultero. Quis ferre talem uxorem posset? Quis a pugionibus temperare? Commemoratio collatorum beneficiorum donorumque pretiosissimorum auri, argenti, gemmarum, torquium, anulorum, vestium, commemoratio magni in eam amoris et servatae fidei omnisque exhibitae satisfactionis, animum vehementer exacerbant. Anima autem in Sacris Litteris *sponsa* dicitur Dei.[25]

est quodammodo adulterium, quia animam Dei sponsam ab eo separat.

III. Sed ab ipsis effectibus pessimam peccati naturam forte intelligemus. Peccatum quidem primum omnium in causa est ut Deus a nobis discedat: *Ego vado* – Deus autem in anima est sicut nauta in navi posita in medio maris, sicut sol in mundo, sicut anima in corpore, – et ut discedat iratus, quia contemptus, quia vilipensus, quia odio habitus. Peccatum nanque hominem usque ad odium Dei perducit; vellet non esse Deum peccati summum osorem et vindicem, sicut mulier adultera quae, absente viro, fruitur adultero quem deperit, vellet mori suum aut occidi, ut securius frui posset amato adultero.

Gravitas peccati eruitur etiam ex ipsis effectibus:

a) per peccatum Deus ab anima discedere cogitur,

Quam magnum [malum] autem sit Deum habere iratum, nec dici nec cogitari potest. Magnum malum est homini ira sui principis; hinc ait: *Quo ego vado, vos non potestis venire.* Peccatum facit hominem Dei inimicum, imo, quod peius est, rebellem, satanae similem et sequacem contra Deum, ideo a regno Dei exulem, et relegatum, ut ad illud non possit accedere. Hinc ob peccatum pulsus fuit homo a paradiso et adhibita optima Angelorum custodia, ferro ignique armata, ne amplius eo accedere posset homo.[26]

b) hominem Deo inimicum reddit,

Praeterea, peccatum in causa extitit mortis et malorum omnium quae in mundo sunt: pestis, innumerarumque infirmitatum, famis, pau-

c) maximis malis obnoxium facit,

24) Cf. ibid. 6, 2. 25) Ct 4, 8-10. 12; 5, 1. 26) Cf. Gn 3, 23-24.

pertatis, penuriae, belli, multarum dissensionum, ex quibus infinita oriuntur mala. Peccatum mortale venenum est, venenatissimus morsus antiqui serpentis; hinc ait: *In peccato vestro moriemini.* Peccatum facit hominem Deo et Christo dissimilem: *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum; vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.* [27]

d) totum terrenum efficit,

Facit hominem terram vilissimam, quare etiam cibum diaboli, cui dictum est: *Terram comedes omnibus diebus vitae tuae.* [28] Terra suapte natura obscura, gravis, dura, frigida, sicca est. Hos omnes effectus operatur peccatum in homine; animum enim totum terrenum facit, cor lapideum: *Induraverunt facies suas supra petram,* ait Ieremias: [29] *Descenderunt in profundum sicut lapis,... sicut plumbum,* ait Moyses. [30]

e) cor excaecat;

Efficit humanum cor frigidum, caritate siccum, devotione privatum, durum obstinatione, grave reatu aeternae poenae in inferno, obscurum ignorantia ut Deum minime cognoscat. Hinc aiunt hodie Iudaei Christo: *Tu quis es?* [31] nec agnoscere volunt principium, rerum omnium creatorem: *Vos de deorsum estis;* terra admodum ingrata coelo, multis enim a coelo beneficiis affecta, *reddit mala pro bonis,* [32] crassos impurosque vapores, quibus coeli facies deturpatur. Constituit hominem servum satanae: *Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo,* quia *venit... princeps mundi huius et in me non habet quicquam.* [33] Exuit similitudine Dei et induit similitudine satanae, ex Angelo daemonem facit; nam nonnisi peccatum ex pulcherrimo optimoque Angelo satanam facit, turpissimum daemonem.

f) servum satanae constituit

Vos de mundo hoc estis. Est autem mundus sentina omnium vitiorum: *Mundus totus in maligno positus est.* [34] Sic vitiorum sentinam facit cor, os et corpus humanam: *Malus homo de malo thesauro* cordis sui *profert malum;* [35] *Ex abundantia... cordis os loquitur;* [36] *Sepulcrum patens est os eorum.* [37] *Vos de mundo hoc estis,* portatis iugum satanae grave et asperum, non leve et suave ut iugum Christi. [38]

g) et ad infernum impellit.

Tandem, peccatum in causa erit divini iudicii et damnationis aeternae: *Multa habeo de vobis loqui et iudicare.* [39] Epulo peccati causa aeternum ardet in inferno. [40]

27) Io 8, 23. 28) Gn 3, 14. Vulg.: *Cunctis diebus,* etc. 29) 5, 3. 30) Ex 15, 5-10. Vulg.: *Quasi lapis... quasi plumbum.* 31) Io 8, 25. 32) Prv 17, 13. 33) Io 14, 30. 34) 1 Io 5, 19. 35) Mt 12, 35; Lc 6, 45. 36) Mt 12, 34. 37) Ps 5, 11; 13, 3. Vulg.: *Est guttur eorum.* 38) Cf. Mt 11, 30. 39) Io 8, 26. 40) Cf. Lc 16, 22 sqq.

FERIA TERTIA DOMINICAE SECUNDAE QUADRAGESIMAE

Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei: quaecunque ergo dixerint vobis servate, etc. [1]

Christus ille verus est omnium magister,

I. Dat Christus in hodierno Evangelio fidelibus suis salutaria praecepta, ostendit viam salutis et manifeste seipsum *magistrum* appellat: *Magister*, inquit, *vester unus est;* [2] sicut *Pater vester unus est,* Deus, *qui in coelis est,* [3] ita *magister vester unus est, Christus.* Nam ad hoc venturus erat in mundum Messias, ut esset magister Ecclesiae, sicut Moyses synagogae; hinc ait: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis suscitabit tibi Dominus... sicut me: ipsum audies.* [4] Imo Deus ipse *descendit... super montem Sinai,* [5] ut populum doceret et legem vitae optimaeque disciplinae daret. Sic de Christi adventu vaticinatus fuit Isaias: *Erunt oculi tui videntes praeceptorem tuum et aures tuae audient verbum post tergum monentis: Haec est via: ambulate in ea et non declinabitis neque ad dexteram neque ad sinistram;* [6] et alibi: *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus.* [7] Sic ait quod dicturae erant gentes: *Venite, ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem.* [8] Idipsum vaticinatus fuit Michaeas eodem spiritu et iisdem verbis; [9] de hoc item Ioel ait: *Filii Sion, exultate et laetamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiae et descendere faciet super vos imbrem matutinum et serotinum.* [10] Doctrinam comparat pluviae, quae utilissima terrae est, sicut Moyses: *Concrescat ut pluvia*

quem vaticinati fuerant Prophetae.

1) Pericope huius diei Mt 23, 1-12. Cf. Missale Rom. Vulg.: *Omnia ergo quaecunque,* etc. 2) Ibid. vr. 10. 3) Ibid. vr. 9. Vulg.: *Unus est... pater vester, qui,* etc. 4) Dt 18, 15. Vulg.: *Sicut me suscitabit,* etc. 5) Ex 19, 20. 6) 30, 20-21. Vulg.: *Et non declinetis,* etc. 7) Ibid. 55, 4. 8) Ibid. 2, 3. 9) Cf. 4, 2. 10) 2, 23. Vulg.: *Descendere faciet ad vos,* etc.

doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam et quasi stillae super gramina, [11] quia divinus hic magister doctrinam summe utilem docturus erat: *Ego... Deus docens... te utilia, gubernans te in via qua ambulas. Utinam attendisses mandata mea! Facta fuisset ut fluvius pax tua, et iustitia tua sicut gurgites maris.* [12]

Non docet autem humanam scientiam, sed divinam,

II. Christus divinus magister, qui Moysen et Prophetas, qui Davidem et Salomonem, imo qui hominem a principio docuit scientiam, [12a] imo et Angelos in coelo, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* [13] Dei, in mundum venit ad docenda utilia, ad docendam iustitiam, virtutem, viam salutis; non mathematicam cum Euclyde Megareno, non naturalem philosophiam cum Aristotele, non metaphysicam cum Platone; sed moralem philosophiam divinamque theologiam cum Moyse, qui *fuit paedagogus noster in Christo,* [14] qui veluti prima tradidit elementa fidei. Hinc lex data fuit in tabulis; [15] nam pueri in tabellis discunt a paedagogo prima elementa doctrinae. Christus autem magister est altioris doctrinae: *Magister vester unus est, Christus.*

quam D. Paulus et Prophetae in compendium redegerunt.

Sed quidnam docuit? *Apparuit,* inquit Paulus, *gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, ut, abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo, expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut... mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* [16] Sic Paulus in compendium redegit universam Christi doctrinam, sicut Michaeas propheta universam legem ad tria capita reduxit: *Indicabo tibi, o homo, quid bonum sit et quid Dominus requirat a te... facere iudicium et diligere misericordiam et sollicitum ambulare cum Deo tuo;* [17] quemadmodum etiam Regius Vates: *Venite, filii, audite me: timorem Domini docebo vos. Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos?... Diverte a malo et fac bonum, inquire pacem et persequere eam.* [18] Sic ait Christus in hodierno Evangelio.

A Ioele dictus est *Doctor iustitiae,* sicut a Malachia *Sol iustitiae,* [19] et a Ieremia *germen iustitiae,* [20] utique legalis. Qualis

11) Dt 32, 2. 12) Is 48, 17-18. Vulg.: *Sicut flumen pax tua,* etc. 12a) Cf. Ps 93, 10. 13) Col 2, 3. 14) Gal 3, 24. Vulg.: *Paedagogus noster fuit,* etc. 15) Cf. Ex 31, 18; 34, 28; Dt 5, 22. 16) Tit 2, 11-14. 17) 6, 8. 18) Ps 33, 12-15. 19) 4, 2. 20) 23, 5; 33, 15.

autem sit iustitia evangelicae legis, quae a Christo lata est, dici aut cogitari vix potest. Salomon ait quod: *Lex lux, et mandatum lucerna est.* [21] Lux autem omnis a luminari procedit. Hinc Deus legislatoris Moysi faciem divinis splendoribus illustravit, [22] ut lunae instar fulgeret. Fuit lex Moysi sicut lumen lunae. Sed faciem Christi ornavit solaribus radiis: *Resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix;* [23] ac tunc dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite;* [24] non amplius Moysen, non amplius Eliam aut quemvis alium Prophetarum, sed *ipsum audite.* Propterea evangelica lex est quidem lux, sed solaris: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiae.* [25] Lux solis perfectissima est; sic perfectissima iustitia et sanctitas Evangelii Christi; lex est summe coelestis, angelicae, divinae puritatis, innocentiae, sanctitatis: *Orietur... sol iustitiae.* Sicut imaginari non potest maior lux radio solari, ita nec excogitari potest maior sanctitas et perfectio sanctitate et perfectione legis Christi.

Iustitia evangelicae legis valde perfectior est lege mosaica.

III. Qualis Christus est, talis et lex Christi; Christus totus sanctissimus, verus Deus; lex Christi similiter sanctissima, tota divina: *Ex abundantia... cordis os loquitur... Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum.* [26] Christi cor sapientissimum, optimum. Hinc summus pontifex supra cor gerebat הָאוּרִים et הַתֻּמִּים, [27] lumina et perfectiones, lumina divinae sapientiae, perfectiones divinae bonitatis et sanctitatis. Sic Christus, verus Deus sapientissimus, optimus, sanctissimus, legem dedit divina sapientia et sanctitate plenam. Hoc est quod Ioannes ait: *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est,* [28] cum paulo ante dixisset quod: *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis,* [29] idest plenum divina sapientia et sanctitate, sicut postea Lucas de Christo dixit quod *puer... crescebat sapientia... et gratia apud Deum et homines.* [30] Cum igitur dixisset Christum Ioannes plenum gratia et veritate, tum de Evangelio loquens ait: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est.*

Lex evangelica sanctissima est, quia a Christo lata fuit, qui est Deus sancctissimus et sapientissimus;

hinc Evangelium appellatur *gratia* et *veritas*, *virtus* et *sapientia*.

21) Prv 6, 23. Vulg.: *Mandatum lucerna est, et lex lux.* 22) Cf. Ex 34, 29-30. 35. 23) Mt 17, 2. 24) Ibid. vr. 5. 25) Mal 4, 2. Vulg.: *Vobis timentibus nomen meum orietur*, etc. 26) Lc 6, 45. 27) Ex 28, 30. Ms.: *Urim* et: *Thummim.* 28) 1, 17. 29) Ibid. vr. 14. 30) Lc 2, 52.

Appellavit Evangelium *gratiam*, propter divinam in eo sanctitatem, *veritatem* vero, propter divinam sapientiam, sicut ipsum Christum Paulus dixit *Dei virtutem et Dei sapientiam*, [31] et Evangelium dixit *Dei virtutem in salutem omni credenti*, [32] itemque *sapientiam*, cum ait: *Sapientiam... loquimur inter perfectos*. [33]

et designatur per lucem solarem, quae simul clara et calida est;

Propter haec duo Evangelium per lucem solis designatur, quae simul et clara admodum et calida est; crescente enim in aestate luce, crescit et calor, et ubi magna lucis copia in australi plaga, ibi etiam magna vis caloris. Sic utique Evangelium plenum est claritate divinae sapientiae in cognitione Dei, et calore divinae caritatis et sanctitatis in dilectione Dei. Datur lex ad illuminandum intellectum et ad illustrandam mentem, nec non etiam ad perficiendam voluntatem, animum, affectum. Evangelium ad utrunque maxime valet; ideo in huius rei figuram de medio ignis data fuit lex; [34] ideo etiam dicitur: *In dextera eius ignea lex;* [35] ideo Spiritus Sanctus in igne datus fuit. [36] Ignis nanque suapte natura lucidus et calidus est; sic Evangelium Christi lucidum est splendore divinae sapientiae ad illustrandum intellectum, calidum vero ardoribus divinae caritatis ad inflammandum affectum; ideo ait: *Ignem veni mittere in terram et quid volo nisi ut accendatur?* [37]

nam intellectum illuminat splendore veritatis et voluntatem incendit ardore caritatis.

Deus dicitur *lux*, quia totus sapientia, et *ignis*, quia totus caritas;

Propter haec duo in mysteriis symbolicae theologiae Deus nunc quidem *lux* dicitur: *Deus lux est et tenebrae in eo non sunt ullae;* [38] nunc vero *ignis: Deus noster ignis consumens est;* [39] *lux*, quia totus sapientia est; *ignis*, quia totus caritas, unde: *Deus caritas est.* [40] Propter duo haec ait Christus quod: *Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare;* [41] *in spiritu* quoad caritatem et dilectionem, *in veritate* quoad cognitionem. Quia igitur Christus per Evangelium suum allaturus erat mundo magnam lucem divinae cognitionis et magnum etiam calorem divini amoris, propterea dictus est *Sol iustitiae: Vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiae.* Propter haec duo dictus est a Baalamo *stella* et *virga: Orietur stella ex Iacob, et exurget virga ex Israel;* [42] *stella splendida* [43] et virga re-

Christus dicitur *sol*, *stella* et *virga*, ob lucem et sanctitatem Evangelii.

31) 1 Cor 1, 24. 32) Rom 1, 16. 33) 1 Cor 2, 6. 34) Cf. Ex 19, 16-18; 24, 17; Dt 4, 12. 33. 36; 5, 22-24. 35) Dt 33, 2. 36) Cf. Act 2, 2-3. 37) Lc 12, 49. 38) 1 Io 1, 5. 39) Dt 4, 24. 40) 1 Io 4, 8. 16. 41) Io 4, 24. 42) Nm 24, 17. 43) Apc 22, 16.

ctissima, nam ait: *Virga aequitatis*, rectitudinis, idest virga recta, *virga regni tui: dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem.*[44] Propter haec duo Isaias dixit: *Erit iustitia cingulum lumborum eius, et fides cinctorium renum eius.*[45] Duo dixit simulque univit: *iustitiam* et *fidem: iustitiam* quoad affectum, *fidem* quoad intellectum. Propter haec duo Moyses legem dixit *sapientiam* et *intellectum: Haec est... sapientia vestra et intellectus coram populis.*[46] Quoniam vero sine fide vera non potest esse iustitia, cum scriptum sit: *Iustus autem ex fide vivit*,[47] quoniam *fides est substantia sperandarum rerum*,[48] radix et fundamentum iustitiae, propterea Christus dicitur *Doctor iustitiae*, quae omnis vitii inimica est, mala omnia et peccata odit, virtutes vero omnes complectitur amatrixque est omnium operum bonorum, sicut et legalis obedientia.

et *Doctor iustitiae*, quae omne vitium odit omnemque virtutem diligit.

IV. Hanc manifeste docet hodie Christus, quoniam haec via salutis est, haec scala coeli, per quam homo ascensurus erat de terrestri in coelestem paradisum Dei et Angelorum eius. Hinc ait: *Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei: quaecunque ergo dixerint vobis, servate et facite*, idest: *Obedite praepositis vestris*[49] spiritualibus et temporalibus, quia *super cathedram Moysi sederunt*, quia Moysi successores sunt, tenent locum Moysi, qui a Deo institutus fuit princeps et iudex populi in utroque foro;[50] divina praediti sunt auctoritate, vicarii sunt Dei sicut Moyses, Dei vices in terra gerunt, ministri Dei sunt, sicut Paulus ad *Romanos* ait: *Omnis anima potestatibus superioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam princeps non est timori boni operis, sed mali... non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei qui male agit. Itaque necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*[51] Sic Paulus verbis hisce Christi doctum agit commentarium, cui etiam Petrus apostolorum princeps consententia docet: *Obedite praepositis vestris, non*

Primum huius iustitiae praeceptum est obedientia erga praepositos.

ut patet ex verbis D. Pauli

et D. Petri.

44) Ps 44 (hebr. 45), 7-8. 45) 11, 5. 46) Dt 4, 6. Vulg.: *Vestra sapientia*, etc.
47) Rom 1, 17. 48) Hebr 11, 1. Vulg.: *Sperandarum substantia rerum.* 49) Ibid. 13, 17.
50) Cf. Ex 3, 1 sqq.; Eccli 45, 1-6; Act 7, 35-36. 51) 13, 1-5. Vulg.: *Potestatibus sublimioribus... nam principes non sunt... in iram ei qui malum agit. Ideo necessitate*, etc.

tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis; [52] *haec est enim voluntas Dei.* [53]. Et iterum : *Subditi . . . estote omni humanae creaturae propter Deum: sive regi quasi praecellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* [54]

Praepositi tamen imitandi non sunt, si opera eorum mala fuerint,

Sic dat Christus primo quidem generale praeceptum obedientiae : *Quaecunque dixerint vobis, servate et facite;* sed coniungit ei generale praeceptum legalis iustitiae : *Secundum vero opera eorum nolite facere;* [55] legite rosas, relinquite spinas ; ne imitemini otium et desidiam eorum in bonis operibus : *Docent enim et non faciunt,* [56] linguam habent, sed non manus, vocem habent Iacob et manus Esau ; [57] praecipiunt multa bona, ipsi vero vix bonum aliquid faciunt : *Alligant . . . onera gravia et importabilia et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere;* [58] *Homines sunt seipsos amantes,* [59] aliis valde asperi, sibi ipsis quam placidi ; sunt humanae gloriae cupidi : *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus;* [60] sectantur pompas et luxus indumentorum : *Dilatant . . . phylacteria sua et magnificant fimbrias;* [61] *Voluptatum amatores* sunt *magis quam Dei ;* [62] *Amant primos recubitos in coenis;* [63] honores ambiunt : *Et primas cathedras in synagogis et salutationes in foro et vocari ab hominibus rabbi;* [64] diligunt, sicut Ioannes de illis ait, *gloriam hominum magis quam gloriam Dei,* [65] pleni sunt spiritu superbiae. *Vos autem non sic,* [66] sed : *Qui maior est vestrum erit minister vester,* [67] *quia omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliaverit exaltabitur.* [68] Damnat in principibus et praelatis Christus otium in operibus bonis atque desidiam, damnat inhumanitatem, accusat superbiam, ambitionem, pompas, delicias, damnat omnia vitia. In suis autem fidelibus quam maxime requirit obedientiam, humilitatem, iustitiam, irreprehensibilem vitae sanctitatem.

imo reprobandi.

Lex evangelica et perfectio christiana

V. Quoniam vero hodiernum Evangelium veluti compendium est totius evangelicae legis, ex eo videre licet quam perfectam legem Christus mundo attulerit. Moyses in duabus tabulis legem dedit, quoniam lex hominem ad Deum et ad proximum ordinabat. Hinc in

52) 1 Petr 2, 18. Vulg.: *Subditi estote... dominis*, etc. 53) Ibid. vr. 15. Vulg.: *Quia sic est*, etc. 54) Ibid. vrr. 13-14. 55) Mt 23, 3. 56) Ibid. 57) Cf. Gn 27, 22. 58) Mt 23, 4. 59) 2 Tim 3, 2. 60) Mt 23, 5. 61) Ibid. 62) 2 Tim 3, 4. 63) Mt 23, 6. 64) Ibid. 65) 12, 43. 66) Lc 22, 26. 67) Mt 23, 11. 68) Ibid. vr. 12; Lc 18, 14.

altera quidem tabula praecepta erant quae hominem ad Deum ordinabant, in altera vero quae ad proximum.[69] Paulus vero ait venisse Christum ad erudiendum nos ut *sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo.*[70] Indiget homo etiam quoad seipsum regula et ordine vitae, ne sit intemperatus in cibo, potu, luxu, cupiditatibus et carnalibus desideriis. Sic ait Paulus: *Sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo;* sic Michaeas: *Facere iudicium et diligere misericordiam et sollicitum ambulare cum Deo.*[71] Sic de Iob legimus quod *vir erat simplex et rectus ac timens Deum;*[72] sic de sene Simeone quod erat vir *iustus et timoratus*[73] et Spiritu Sancto plenus. Sic tria haec habemus in hodierno Evangelio: ut homo recte dispositus et ordinatus sit ad Deum, ad proximum et ad seipsum, ita ut recte Paulus evangelicam legem *regulam* appellarit: *Quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia.*[74] Regula autem dicit amussim, qua ad quadrandos omni ex parte lapides utuntur artifices, latomi caementariique.

requirunt hominem recte ordinatum ad Deum, ad proximum et ad seipsum.

Et quidem quoad Deum, vult Christus ut eum tanquam unicum et optimum Patrem colamus: *Patrem,* inquit, *nolite vocare vobis super terram; unus est enim Pater vester, qui in coelis est.*[75] Nihil aliud a nobis requirit Deus, nisi ut eum ut Patrem agnoscamus, diligamus, honoremus, colamus. Quoad nos ipsos vero, sine ambitione simus: *Nolite vocari rabbi..., nec vocemini magistri;*[76] ne improborum vitia imitemur: *Secundum opera eorum nolite facere;*[77] innocentes, puri et humiles simus. Cum proximis autem iusti. Sunt autem proximi hi quidem superiores, alii autem aequales et alii inferiores. Superioribus[78] iubet ut praestetur integra obedientia: *Omnia... quaecunque dixerint vobis, servate et facite,* quoniam *super cathedram Moysi sederunt.* Cum aequalibus tanquam fratres amantissimi conversemur: *Unus est Pater vester, qui in coelis est, omnes autem vos fratres estis.*[79] Tandem, cum inferioribus modesti, humiles simus: *Qui maior est vestrum erit minister vester,* nam: *Qui... se exaltaverit humiliabitur, et qui se humiliaverit exaltabitur.*[80] Requirit etiam superiores non

Praecipit enim ut sit pius erga Deum tanquam patrem colendum;

iustus erga proximum, superioribus obediendo, aequales diligendo, humiliter inferiores tractando.

69) Cf. S. Isidorus Hisp. *Quaestiones in Vet. Test., In Exodum,* cp. 30, (P. L. 83, 303); Hugo de S. Victore *Institut., In Decalogum,* cp. 1-3, ibid. 176, 9-14; Alph. Tostatus *Comment. in Exodum,* t. 1, part. 2, quaest. 24, f. 128. 70) Tit 2, 12. 71) 6, 8. 72) Iob 1, 1. 73) Lc 2, 25. 74) Gal 6, 16. 75) Mt 23, 9. 76) Ibid. vrr. 8-10. 77) Ibid. vr. 3. 78) Ms.: *Aequalibus.* 79) Mt 23, 8. 80) Ibid. vr. 12.

tantum humiles et humanos, verum etiam iustos sanctosque, perfectissimam vivendi regulam vere numeris omnibus absolutam. Quid amplius desiderari potest?

Hodiernum Evangelium compendium etiam exhibet dogmatum circa Deum, Christum et Ecclesiam,

VI. Est etiam Evangelium hoc plenum dogmatibus fidei et sacrae doctrinae: quod Deus sit omnium Pater omnipotens, hoc enim est: *Unus est enim Pater vester, qui in coelis est;* quod omnium creator est, ideo *Pater* dicitur, nam nonnisi unus est Deus natura et essentia; quod in coelis habitat; quod omnium curam gerit et paternam providentiam; quod Christus est verus Messias; quod unicus est magister et legislator; quod non alius expectandus Messias est; quod Ecclesia est regnum Dei sicut olim Synagoga; quod est in Ecclesia cathedra Moysi, cathedra Christi, cathedra Petri, divina auctoritas et potestas; quod vitia principum et praelatorum non labefactant eorum auctoritatem et potestatem; quod audiendi semper sunt, modo bona imperent, nam alioquin obediendum est *Deo magis quam hominibus;* [81] quod displicent Deo vitia omnia, maxime autem superbia, quam Deus punit: *Qui se exaltaverit humiliabitur;* placent autem virtutes et opera bona, maxime vero humilitas, quam praemio digno coronat: *Qui se humiliaverit exaltabitur.*

quo adhuc perfectior demonstratur Lex Christi Lege Moysi,

Sic plena est lex evangelica divinis dogmatibus, coelesti doctrina divinaque sapientia. Unde, si M o y s e s de Lege dixit Hebraeis: *Haec est enim sapientia vestra et intellectus coram populis, ut audientes universi praecepta haec dicant: En populus sapiens et intelligens, gens magna;* [82] multo magis de evangelica lege haec dici possunt, quae multo perfectior est lege mosaica, quam lux solis lumine lunae. Hinc resplenduit facies Moysi instar lunae, [83] facies autem Christi *sicut sol.* [84] Et de Christo transfigurato inter Moysen et Eliam dixit Deus: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* [85] Non amplius Moysen et Eliam, sed *ipsum audite,* nam: *Lex et Prophetae usque ad Ioannem; ex eo regnum Dei evangelizatur.* [86] Nam Lex Vetus per novam legem Evangelii abroganda erat, sicut iam abrogata est, sicut deficit lumen lunae et splendor stellarum, adveniente sole.

81) Act 5, 29. 82) Dt 4, 6. Vulg.: *Vestra sapientia... audientes universa,* etc.
83) Cf. Ex 34, 29 sqq. 84) Mt 17, 2. 85) Ibid. vr. 5. 86) Lc 16, 16.

Si magna gratia fuit Lex Moysi, multo maior Evangelium Christi; hoc enim est quod Ioannes ait: *De plenitudine* Christi *nos omnes accepimus et gratiam pro gratia, quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* [87] Lex data fuit ad perficiendum hominem quoad animam et rationem: quoad intellectum fide et cognitione, quoad voluntatem caritate et amore virtutum; hinc dicebatur *sapientia et intellectus,* plena enim erat dogmatibus fidei sanctaque doctrina et praeceptis iustitiae et sanctitatis. Sed lex evangelica in his omnibus longe perfectior est; hinc *dies* dicitur, Lex autem *nox,* ut Paulus ait: *Nox praecessit, dies autem appropinquavit. Abiciamus ergo opera tenebrarum et induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus.* [88] Plena erat Lex divinis comminationibus et promissionibus, sed temporalium bonorum et malorum. Similiter Evangelium, sed aeterna comminatur mala in inferno, sempiterna promittit bona in paradiso: *Qui se exaltaverit humiliabitur, et qui se humiliaverit exaltabitur.* Exaltatio in coelesti gloria praemium legis huius est, hereditas filiorum Dei, regnum coelorum.

quia maior gratia fuit quoad sanctitatem, doctrinam et praemia.

Erat praeterea Lex Moysi gravis admodum; nam Moyses ipse *graves manus* [89] habebat: *Quid tentatis... imponere super cervices discipulorum grave iugum, quod nec nos portare potuimus neque patres nostri?* [90] Christus autem ait: *Tollite iugum meum super vos..., iugum enim meum suave est et onus meum leve.* [91] Arguit hodie Pharisaeos, quia imponebant *onera gravia et importabilia... in humeros hominum;* hinc ipse factus sub lege est, *ut eos, qui sub lege erant, redimeret,* [92] tulitque legem timoris et legem amoris et caritatis dedit, legem levissimam, quae lex *ignea* dicitur; nil autem levius igne.

et etiam suavior quoad onera praeceptorum.

VII. *Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei: omnia ergo quaecunque dixerint vobis, servate.* [93] Omne regnum, omnis respublica necesse est ut habeat suos magistratus et suas leges, quibus prudenti et aequa moderatione regatur ac veluti navis in medio maris gubernetur. Ecclesia autem Christi regnum est: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius et regnabit in domo Iacob in aeternum.* [94]

Quaevis respublica suos magistratus habere debet, quibus obediendum est;

87) 1, 16-17. 88) Rom 13, 12-13. 89) Ex 17, 12. 90) Act 15, 10. Vulg.: *Imponere iugum... quod neque patres nostri neque nos,* etc. 91) Mt 11, 29-30. 92) Gal 4, 5. 93) Ms.: *Sederunt Pharisaei et scribae ... dixerit.* 94) Lc 1, 32.

Ecce regni huius magistratus: *Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei*, principes temporales et praelati ac pastores spirituales in Sancta Ecclesia, Moyses et Aaron, pontifices et reges atque iudices in synagoga. Christus autem, qui simul summus est Rex et Sacerdos ut Melchisedech, [95] in suo regno et magistratus instituit et leges sanctissimas dedit. Novam enim legem daturus erat Messias, sicut per Ieremiam dicitur, in visceribus hominum, scripturus eam in cordibus, [96] non in tabulis et lapidibus. Hoc insinuans Christus hodie ait: *Magister vester unus est, Christus.* [97] Non amplius Moyses, sed Christus verus Messias futurus erat magister universalis Ecclesiae, sicut Moyses synagogae: *Magister vester unus est, Christus: Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse* veniet et *salvabit nos,* ait Isaias, [98] apud quem etiam Christus dicitur *mirabilis, consiliarius.* [99]

eo magis Ecclesia, quae regnum Christi est;

Quaecunque dixerint vobis, servate et facite. Perfectam a nobis requirit obedientiam Christus, sicut ab initio Deus tum ab homine tum ab Angelo, nam ob violatam obedientiam Angelus, uti et homo, [100] peccavit. Haec in Sacris Litteris plurimum commendatur; nam haec videtur esse arca salutis, in qua domus Noe a diluvio salvata fuit. [101] Samuel ait: *Melior est... obedientia quam victimae.* [102] Noe nanque Deo obedientissimus [103] ostenditur; propter hanc Abraham a Deo aeternam benedictionem accepit; [104] populo suo Deus non tantum Moysen et Aaron dedit, quibus per omnia obedirent, verum etiam columnam nubis et ignis, ut ad illius motum moverentur et ad quietem quiescerent, donec ad terram promissionis pervenirent; [105] sic, ut in *Numeris* legimus: *Ad imperium Domini proficiscebantur, et ad imperium Domini figebant tabernacula* [106] et quiescebant ad motum vel quietem columnae.

ideo perfecta obedientia ipsi tribuenda plurimum commendatur.

Praecipit hodie Dominus ut boni et obedientissimi subditi simus, sicut et ipse: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* [107] Displicet quam maxime inobedientia Deo eamque gravissimis suppliciis punit in praesenti saeculo, ut in peccato primorum parentum manifestum est, [108] et in futuro aeternis afficit poenis, ut in peccato Angelorum liquet. [109] Hinc iussit contumacem

Inobedientia quam maxime Deo displicet,

95) Cf. Hebr 5, 6-10. 96) Cf. 31, 33. 97) Mt 23, 10. 98) 33, 22. 99) Ibid. 9, 6. 100) Cf. Gn 3, 6 sqq. 101) Cf. ibid. 7, 7; 1 Petr 3, 20; 2 Petr 2, 5. 102) 1 Rg 15, 22. 103) Ms.: *Deo* bis ponitur. 104) Cf. Gn 22, 1-18. 105) Cf. Ex 4, 1 sqq.; 13, 21; 23, 23; 40, 34-36. 106) 9, 18. Vulg.: *Et ad imperium illius figebant tabernaculum.* 107) Phil 2, 8. 108) Cf. Gn 3, 16-19. 109) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6.

filium lapidibus obrui;[110] hanc ob causam Saulem regno privavit;[111] prophetam fecit a leone in Samaria occidi,[112] et Ionathas in periculum et sententiam mortis incurrit ob violatam obedientiam, cum tamen ignoraret praeceptum quod transgressus fuerat.[113]

Obedientia autem summopere placet Deo eamque multis praemiis afficit; unde apud Ieremiam Rechabitas multis laudibus et benedictionibus afficit eo quod, pro servando patris eorum Ionadab praecepto, nec vinum bibebant, nec vineas plantabant, nec domus aedificabant,[114] sed tanquam peregrini vivebant. Hac de causa Cherubim divino propitiatorio astabant alis expansis;[115] sic Seraphim ante thronum Dei, apud Isaiam;[116] sancta quoque animalia, apud Ezechielem, pennas faciesque desuper extentas habebant, ut ubi erat impetus spiritus illuc graderentur,[117] sicut navis in medio maris velis expansis eo pergit quo ventus eam impellit. Sic omnes beati spiritus in coelo promptissimi sunt animo semper ad obediendum Deo; hoc enim est alas habere expansas. obedientia vero summopere placet.

VIII. *Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei: omnia ergo quaecunque dixerint vobis, servate.* Providet Dominus hodie Ecclesiae suae optimos magistratus legesque sanctissimas; duo enim haec multo magis necessaria sunt reipublicae, quam navi in medio syrtis peritissimi nautae et navigationis optima membrana. Hinc Deus, statim ut populum de Aegypto eduxit, duo haec providit: optimos principes, Moysen et Aaronem, legesque sanctissimas de coelo; duo enim haec rempublicam optime institutam reddunt, sicut in ipso populo manifestum est. In Aegypto enim totus erat sordidus, lutulentus, vitiis deturpatus, carni deditus, addictus idololatriae et cultui falsorum deorum, vero Deo neglecto et ignorato.[118] Duce autem Moyse ex Aegypto egressus et in sacrum desertum ingressus, visus est totus mutatus, factus pius ac religiosus Dei cultor, *gens sancta, regnum sacerdotale.*[119] Unde haec tanta mutatio? Quoniam in deserto optimos habuit principes, iudices et magistratus, sanctissimas et iustissimas

Provident hodie Christus Ecclesiae suae optimos magistratus et sanctissimas leges,

sicut Deus olim synagogae providerat.

110) Dt 21, 19-21. 111) Cf. 1 Rg 13, 13-14; 15, 26. 112) Cf. 3 Rg 13, 11-30. 113) Cf. 1 Rg 14, 24-45. 114) Cf. 35, 6-10. 115) Cf. Ex 25, 18-20. 116) Cf. 6, 1-2. 117) Cf. 1, 12. 118) Cf. Ios 24, 14; Ez 20, 4-10; 23, 3-8; S. Augustinus *Enarr. in Psalmos*, ps 80, (P. L. 17, 1037-1038); Alph. Tostatus *Comment. in Iosue*, part. 1, f. 183ᵇ. 119) Ex 19, 6. Vulg.: *Regnum sacerdotale, gens sancta.*

leges, quibus in Aegypto carebant. Sicut solis praesentia nox mutatur in diem, ita accidit in republica divinitus ornata optimis magistratibus et sanctissimis legibus. Cupiens igitur Christus nos vere sanctos esse, duo haec Ecclesiae suae providit; magistratus et leges: *Quaecunque dixerint vobis, servate et facite.*

Ad leges servandas populus quam maxime urgetur auctoritate principis recti et integri,

Tria videntur esse quae urgent populum ad servandas leges, quibus si quartum addatur, cogunt vehementer. Sunt autem primo quidem, auctoritas principis praecipientis, maxime si optimus sit princeps, qui timeatur et diligatur ut princeps integerrimus et incorruptissimus, summus vitiorum osor et virtutum amicus; alterum est, praeter legum iustitiam et sanctitatem, quae conscientiam vehementer urget, timor supplicii quod lex transgressoribus minatur; tertium est praemium servatoribus promissum, maxime si magnum sit et illustre, spes enim praemii honorisque consequendi acutis calcaribus animum urget; quartum vero est exemplum ipsius principis, si ipse latas leges diligentissime servet, exemplum nanque principis populum maxime movet, ut in exercitibus patet. Si imperator exercitus in die praelii primus sit qui in arenam descendat ut cum hoste manus conserat, quos non movebit suo exemplo tum duces tum milites? Haec igitur quattuor, praeter naturalem ipsam legum iustitiam et aequitatem, quam maxime movent. In lege autem evangelica omnia haec maxima sunt: auctoritas, supplicium, praemium et exemplum.

timore supplicii, spe praemii et exemplo ipsius principis.

ALIA HOMILIA

Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei: quaecunque dixerint vobis, servate et facite. [1]

Cuique regno necessariae sunt leges.

I. Necessariae sunt iustae et sanctae leges regno et reipublicae optime administrandae, sicut navi nautisque ars et charta navigationis, imo necessariae sicut lux solis mundo, sicut anima corporali vitae. Hinc nullum est regnum, nulla respublica sine suis legibus. Graeci leges acceperunt a Phoroneo, Aegyptii a Trismegisto, Athenienses a Solone, Lacedaemonii a Lycurgo, Romani a Numa Pompilio; [2] ante

1) Mt 23, 2. Vulg.: *Omnia ergo quaecunque*, etc. 2) Cf. S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 5, cp. 1, (P. L. 82, 197), ubi de his omnibus loquitur.

hos omnes, Hebraei a Moyse, vel, ut melius dicam, a Deo per Moysen. Deus enim de coelo descendit super montem Sinai et Legem populo dedit, [3] cum eum in suum regnum cooptavit.

Fuit autem Lex illa bona, iusta, sancta, sed tamen non perfecta. *Lex lux*, inquit Salomon;[4] sed quia lux illa prima a Deo producta non reddebat perfectum diem, creavit postea Deus solem;[5] sic tandem misit unigenitum Filium in mundum ad dandam perfectam legem, quae esset instar lucis solaris: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiae.*[6] Unde *resplenduit facies* Christi *sicut sol*, cum eum Pater divinum legislatorem instituit dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite;*[7] sicut hucusque Moysen et Eliam, ita nunc et multo magis *ipsum audite.* Sic hodie Christus divinum legislatorem agit; hinc ait: *Ne vocemini magistri, quia magister vester unus est, Christus;*[7a] non Moyses, sed Christus. Fuit quidem Moyses divinus legislator, sed Christus multo divinior. Ita Paulus ad *Hebraeos* docet quod Christus *fidelis* fuit Deo *sicut et Moyses*, sed tamen ait: *Amplioris... gloriae Christus prae Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domus qui fabricavit illam,*[8] hoc est quanto Deus homine; nam, inquit: *Omnis... domus fabricatur ab aliquo; qui autem omnia creavit Deus est. Et Moyses quidem fidelis erat in omni domo Dei tanquam famulus,... Christus autem tanquam filius in domo sua.*[9]

Lex vetus sancta quidem erat, sed non perfecta: perfectissima vero est lex evangelica.

II. Videre autem mihi videor in hodierno Evangelio divinam christianae legis perfectionem et excellentiam. In lege multa considerantur, sed praecipua sunt: auctor, legislator: imperator, Papa; materia: quae in lege mandantur vel prohibentur fieri; forma: iustitia, sanctitas, hinc leges iustae et leges iniquae; scopus: extirpare vitia corruptosque mores a republica et inducere virtutes et bonos mores; finis tandem: tranquillitas, pax, felicitas reipublicae. Quoad haec omnia perfectissima et excellentissima est lex evangelica.

Perfectissima est a) quoad legislatorem, quia Christus Deus est,

In legislatore tria requiruntur: summa auctoritas, mens sapientissima et voluntas optima, integerrima, sanctissima. Manifesta sunt

Moyse infinite superior auctoritate,

3) Cf. Ex 20, 1 sqq. 4) Prv 6, 23. 5) Cf. Gn 1, 3-18. 6) Mal 4, 2.
7) Mt 17, 2. 5. 7a) Ibid. 23, 5. Vulg.: *Nec vocemini*, etc. 8) Hebr 3, 2-3.
9) Ibid. vrr. 4-7. Vulg.: *In tota domo eius... Christus vero*, etc.

sapientia et sanctitate;

tria haec in Moyse: summa extitit ipsius auctoritas, quoniam monarcha populi, summus pontifex et supremus princeps; divina sapientia divinitus sibi collata, et mens sanctissima quae veluti per faciem translucebat. Christus autem in his omnibus tanto maior est Moyse, ut Paulus ait, quanto Deus homine, quoniam legislator noster Christus, verus Deus est; hinc ait: *Quia magister vester unus est, Christus;* unus est, summus est, sicut de Deo dicitur: *Unus est enim Pater vester, qui in coelis est;*[10] *unus est,* sicut unus sol in coelo, in quo summa auctoritas, summa sapientia, summa sanctitas, quia Deus est infinitae potentiae, sapientiae et bonitatis. Sic per Isaiam dicitur: *Dominus... iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos,*[11] Dominus tetragrammaton: יְהוָה שֹׁפְטֵנוּ יְהוָה מְחֹקְקֵנוּ יְהוָה מַלְכֵּנוּ הוּא יוֹשִׁיעֵנוּ.[12] Sic etiam Regius Vates: *Lex Domini immaculata convertens animas,* hebraice: תּוֹרַת יְהוָה תְּמִימָה מְשִׁיבַת נָפֶשׁ:[13] *Lex Domini, doctrina Domini perfecta, tranquillans animam,* quia *lex Domini,* ideo doctrina perfecta ad tranquillandam animam.

Lex Domini posita fuit in arca,[14] quae hebraice dicitur אָרוֹן,[15]

b) quoad materiam,

lux eorum, nam tota auro splendebat,[16] quia *lex lux* est mundi, instar candelabri aurei in sanctuario Domini cum septem lucernis.[17] Quoniam, ut lex perfecta sit atque numeris omnibus absoluta, septem conditiones requirere videtur: ut sit sancta, vitiis omnibus contraria; ut sit iusta, tribuens unicuique quod suum est; ut sit clara et facilis intellectu, ut ab omnibus capiatur; ut sit suavis, non admodum gravis et rigorosa; ut sit utilis reipublicae; ut sit universalis; et tandem, ut sit perpetua. Quas quidem omnes conditiones exarasse visus est Regius Vates dicens: *Lex Domini immaculata convertens animas:* perfecta ad convertendas animas, utique omnes animas, universalis est; *Testimonium Domini fidele sapientiam praestans parvulis:*[18] facilis est; *Iustitiae Domini rectae laetificantes corda:*[19] facilis et suavis

10) Mt 23, 9. 11) 33, 22. 12) Ms.: *Iehovah schophtenu, Iehovah mehokcnu, Iehovah malchenu, hu hosclhenu.* 13) Ps 18 (hebr. 19), 8. Ms.: *Torath Iehovah themimah mescibath naphesc.* 14) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18. 15) Ms.: *Aron.* 16) Cf. Ex 25, 10-16. 21. 17) Cf. Ex 25, 37; 37, 23 18) Ps 18, 8. 19) Ibid. vr. 9.

est; *Timor Domini sanctus permanet in saeculum saeculi:*[20] sancta et perpetua est; *Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa:*[21] iusta est; *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum:*[22] summe utilis est.

Divina autem Lex duo singulariter tradit: dogmata fidei et praecepta virtutum; sic enim habemus symbolum fidei et decalogum mandatorum moralium. In hodierno Evangelio quoad dogmata habemus quod unus est Deus, quod in coelis est, hoc est omnipotens est; quod Pater est, idest mundi creator et moderator; quod Christus unus est et magister fidei; quod datur praemium virtutum et poena vitiorum, paradisus et infernus: *Qui... se exaltaverit humiliabitur et qui se humiliaverit exaltabitur;*[23] quod in Ecclesia sit cathedra Moysi, sit cathedra Petri, cathedra Christi, divina auctoritas, cui parendum in omnibus et obtemperandum humiliter est. Haec dogmata fidei sunt.

sanctissima enim est in dogmatibus quae continet.

Praecepta vero moralia in Lege sunt tum negativa, quae prohibent mala, tum affirmativa, quae iniungunt bona. Ita et in hodierno Evangelio. Negativa sunt: *Nolite vocari rabbi... Patrem nolite vocare vobis super terram... Nec vocemini magistri;*[23a] prohibet Evangelium omnia vitia, etiam quae levissima videntur. Deinde vero affirmativa praecepta ordinant hominem ad Deum, ad seipsum et ad proximum. Lex evangelica omnia haec abunde et optime praestat, iubens ut *sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo.*[24] O vere divinam legem!

in praeceptis tum negativis tum affirmativis;

Talis et tanta est, fratres mei, evangelicae legis perfectio, ut nec sapientissimi quique hominum, etiam coetus Prophetarum et sanctorum omnium concilia, nec Angeli ipsi in coelo excogitare potuissent meliorem, nec Deus ipse dare perfectiorem; quia quoad legislatorem, Christus est verus Deus et homo; miracula, quibus confirmata est, maiora esse non potuerunt; quoad materiam, excludit omnia penitus vitia, amplectitur omnes virtutes, prohibet omnia opera mala, iniungit omnia bona. Forma ipsius ipsamet iustitia et sanctitas est; iubet ut opera bona, quae fiunt, rectissima intentione, sanctissima voluntate fiant, ut Deo sint accepta et grata. Scopus altissimus est: *Estote... perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est;*[25] *Deus fide-*

c) quoad scopum, qui est sanctificatio spiritus,

20) Ibid. vr. 10. Vulg.: *Permanens in saeculum*, etc. 21) Ibid. 22) Ibid. vr. 11.
23) Mt 23, 12. 23a) Ibid. vrr. 8-10. 24) Tit 2, 12. 25) Mt 5, 48.

lis et absque ulla iniquitate, iustus et rectus. [26] Sic iubet ut Deo, ut Christo similes simus, et praestat auxilia gratiae et virtutis divinae in Sacramentis, quibus expurgatur anima ab omnibus peccatis et ornatur omnibus virtutibus. Et tandem finis, aeterna felicitas est in coelo, in paradiso. Maius quid excogitari non potest. Lex Moysi temporalem promittebat felicitatem in terra promissionis ; lex autem Christi aeternam in paradiso, et in poenam vitiorum non temporalia mala comminatur, sed aeterna in inferno supplicia.

et finem, idest praemium aeternum.

III. Sic voluit Dominus Ecclesiam suam rempublicam esse optimis et sanctissimis legibus fundatam. Regni nanque firmitas et potentia non solum in copiis militum et equitum, in praesidiis, in armorum potentia, in immensis divitiarum thesauris magnisque aerariis, sed praecipue in sanctissimis legibus et optimis magistratibus consistit, sine quibus omnia miscentur et pereunt. Sunt nanque leges fundamenta quibus respublica firmatur et stabilitur ; sunt firmissima regni moenia ; sunt veluti optima complexio corpori, sine qua bene valere non potest etiam si extrinsecus multis ornatum sit ; sunt vineae sepes et maceria ne pateat transeuntium incursibus. Propterea Christus providit Ecclesiae suae optimas leges, optimos magistratus, sanctissimos Apostolos eorumque successores, Episcopos et sacerdotes divina auctoritate ornatos : *Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei : omnia ergo quaecunque dixerint vobis, servate et facite.*

Sanctissima autem lex et optimus magistratus regnum firmant et potens reddunt.

Talis est lex, talis magistratus Ecclesiae.

Aliquando leges dicuntur *vincula* et *iugum*, sumpta metaphora a curru : *Dirumpamus vincula eorum et proiciamus a nobis iugum ipsorum;* [27] sic et Dominus : *Tollite iugum meum super vos . . . iugum enim meum suave est, et onus meum leve;* ideo : *Invenietis requiem animabus vestris.* [28]

26) Dt 32, 4. 27) Ps 2, 3. 28) Mt 11, 29-30.

FERIA QUARTA DOMINICAE SECUNDAE QUADRAGESIMAE

Ecce ascendimus Ierosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum. [1]

I. Ascendebat Christus Ierosolymam, corpore quidem terrenam, spiritu autem coelestem, *quae sursum est Ierusalem*,[2] quam Ioannes in suis *Revelationibus* in spiritu vidit [3] super *montem magnum et altum: Ostendit mihi civitatem sanctam Ierusalem, descendentem de coelo a Deo, habentem claritatem Dei,* [4] ad quam Christus per viam montis asperam, difficilem, laboriosam valde ascendit; nam: *Oportuit Christum pati et ita intrare in gloriam suam.* [5] Hinc recolit Christus et praedicit passionem suam: *Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte et tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum.* [6] Sed tandem, post asperum iter, pervenitur in optatam civitatem: *Die tertia resurget.* [7] Per resurrectionem suam Christus intravit in gloriam Patris sui, quae mystica est civitas Ierusalem, visio pacis, possessio perfectae felicitatis in aeterna vita.

Ierusalem, ad quam Christus hodie ascendit, figura est coelestis, ad quam per aspera ascendendum est;

Ostendit autem hodiernum Evangelium manifeste quod via perveniendi in beatam aeternamque felicitatem, non est via voluptatis carnalis et mundanae prosperitatis, sed via virtutis et patientiae in ferendis rebus adversis. Hoc est quod exclusit Dominus petitionem filiorum Zebedaei per matrem: *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedaei... adorans et petens... ab eo... Dic ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam et unus ad sinistram in regno tuo.* [8] Christus

virtus enim, non voluptas, via est ad coelum.

1) Pericope huius diei Mt 20, 17-28. Cf. Missale Rom. 2) Gal 4, 26. 3) Ms.: *Vivit.* 4) Apc 21, 10-11. 5) Lc 24, 26. Vulg.: *Oportuit pati Christum,* etc. 6) Mt 20, 18-19. 7) Ibid. vr. 19. Vulg.: *Tertia die.* 8) Ibid. vrr. 20-21.

autem : *Nescitis,* inquit, *quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?... Calicem quidem meum bibetis; sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram non est meum dare..., nisi quibus paratum est a Patre meo.* [9] Quibus verbis ostendit Dominus quod ad aeternam cum ipso gloriam consequendam primo quidem opus est divina praedestinatione : *Quibus paratum est a Patre meo.* Hinc : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* [10] Et Paulus ad *Titum: Secundum fidem electorum Dei et agnitionem veritatis, quae secundum pietatem est, in spem vitae aeternae, quam promisit qui non mentitur, Deus, ante tempora saecularia.* [11] De hac autem voluntate Dei timendum nihil est, quoniam pro infinita bonitate sua *vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire,* [12] et nemo, nisi propria culpa, a regno coelorum excluditur : *Perditio tua, Israel.* [13]

quod praedestinatis paratum est.

II. Quoniam vero sunt diversi gradus gloriae – nam : *In domo Patris mei mansiones multae sunt,* [14] et sicut *stella... differt a stella in claritate,* [15] sic, ait Paulus, contingit in beatis, [16] – et apostoli hi hodie non simpliciter gloriam in Christi regno sibi petunt, sed primos gradus primosque honores et dignitates ; docet Christus quod iuxta determinationem et praescriptum divini consilii electis Dei dandi sunt varii gradus gloriae pro meritorum varietate, sicut Ioseph sedere fecit fratres suos ad mensam suam secundum ordinem aetatis, primogenitum secundum primogenituram suam. [17] Sic et summus sacerdos gerebat in pectore nomina filiorum Israel in lapidibus pretiosis non confusa, sed ordinatissime disposita, in quattuor ordines distincta atque digesta. [18] Iosue terram promissionis distribuit tribubus Israel non pro suo arbitratu, sed sorte, iuxta consilium divinae voluntatis ; [19] et circa divinum sanctuarium figebant tabernacula sua omnes tribus non confusim, sed magno cum ordine: tres tribus ad orientem, tres ad occidentem, tres ad austrum et tres ad aquilonem, prout iussum fuerat a Deo. [20] Sic nunc ait Christus : *Non est meum dare..., nisi quibus paratum est a Patre.*

In coelo diversi sunt gloriae gradus pro diversis electorum meritis,

qui ad eam praeordinati sunt.

9) Ibid. vr. 23. Vulg. : *Sed quibus,* etc. 10) Ibid. 25, 34. 11) 1, 1-2. 12) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult... veritatis venire.* 13) Os 13, 9. 14) Io 14, 2. 15) 1 Cor 15, 41. Vulg. : *A stella differt,* etc. 16) Cf. ibid. vrr. 42-49. 17) Cf. Gn 43, 33. 18) Cf. Ex 28, 17-29. 19) Cf. Ios 13, 1 sqq. 20) Cf. Nm 2, 1 sqq.; 34, 1 sqq.

Praeordinantur ad gloriam qui Christum in hac vita imitati fuerint

Non solum autem hoc, verum etiam imitatione ipsius et similitudine opus esse ostendit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Et: *Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis.*[21] Sic Paulus docet: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui.*[22] Ad consequendum finem divinae praedestinationis opus est conformitate Christi, ut ei moribus et vita similes simus. Sic alibi Paulus: *Sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis.*[23] Et ad *Timotheum* scribens: *Fidelis,* inquit, *sermo; nam si commortui sumus, et convivemus; si sustinebimus, et conregnabimus.*[24] Sic Christus dixit Apostolis: *Vos... estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo et sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel.*[25]

per arctam virtutis viam incedendo, sicut Christus, non per latam voluptatis, sicut dives epulo;

Docet igitur Dominus quod [per] eandem viam incedendum nobis est et in coelestem Ierusalem pergendum, per quam ipse; per viam, inquam, virtutis, per viam patientiae et poenitentiae, per viam arctam; non per viam latam, quae ducit ad perditionem.[26] Haec via voluptatis est, quae multis bona videtur, sicut Salomon ait: *Est,* inquit, *via, quae videtur homini recta, novissima* autem *eius ducunt ad mortem;*[27] quod in eodem libro *Proverbiorum* iterum etiam iisdem verbis replicavit,[28] quoniam frequens hoc malum est. Nam via voluptatis, qualis fuit vita epulonis hominis epicurii,[29] multis bona videtur, multis placet, sed tamen via perditionis est; nam: *Mortuus est dives et sepultus est in inferno,*[30] cui Abraham dixit: *Recordare, fili, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala;* propterea *hic consolatur, tu vero cruciaris.*[31] Cum eduxisset Dominus populum suum de Aegypto, noluit ducere eum in terram promissionis *per viam terrae Philisthiim,* ut in *Exodo* legimus, *quae* tamen *vicina* erat, *ne forte poeniteret* populum, *si vidisset adversum se bella consurgere, et reverteretur in Aegyptum; sed circumduxit per viam deserti, quae est iuxta mare Rubrum.*[32] Via in terram promissionis

securior enim anima est in via aspera,

21) Mt 20, 28. 22) Rom 8, 29. Vulg.: *Conformes fieri imaginis,* etc. 23) 2 Cor 1, 7. 24) 2 Tim 2, 11-12. 25) Lc 22, 28-30. 26) Cf. Mt 7, 13-14. 27) Prv 16, 25. Vulg.: *Et novissima,* etc. 28) Cf. 12, 15. 26. 28; 14, 12. 29) Cf. Lc 16, 19. 30) Ibid. vr. 22. 31) Ibid. vr. 25. 32) 13, 17-18.

per regionem Philisthaeorum facilis erat et plana, sed tamen plena periculis inimicorum potentium. Hinc Deus viam deserti elegit, difficiliorem quidem, sed tamen multo securiorem. Voluisset quidem Deus per viam voluptatis ducere in aeternam felicitatem; hinc, cum formasset hominem *ad imaginem et similitudinem suam*,[33] *tulit* eum et collocavit *in paradiso voluptatis.*[34] Sed non pro voto successit ei. Ex tunc expertus est quod via voluptatis multis est plena periculis; nam per eam viam homo *incidit in latrones* daemones, *qui ... despoliaverunt eum et, plagis impositis, abierunt, semivivo relicto.*[35] Adam in iustitia et sanctitate creatus a Deo, positus in paradiso voluptatis, tentatus a satana, victus et superatus fuit;[36] Christus autem in deserto aspero, arido, horridoque, ab eodem satana tentatus, non victus fuit, sed victor extitit.[37]

quam in via voluptuosa.

Ostensa fuit Christo in die baptismi sui gloria paradisi, reseratis coelestibus portis; ipse autem in desertum abiit ductus a Spiritu Sancto, ostendens quod desertum poenitentiae via salutis est et scala coeli, sicut postea ipse praedicavit: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.*[38] Hinc Paulus ait: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*[39] Adam per viam voluptatis periit; David per eandem viam adulterium et homicidium commisit;[40] Salomon in idololatriam incidit, licet sapientissimus esset.[41] Hanc ob causam ait apostolis hodie Christus: *Nescitis quid petatis*, dum per viam voluptatis aditum quaerunt in perpetuam perfectamque felicitatem.

sicut Christus exemplo suo docuit.

Etiam Gentiles veritatem hanc cognoverunt; hinc scribit Cicero quod Hercules ad consequendam perpetuam immortalitatem in coelo cum diis, non viam voluptatis, sed virtutis viam sapienter elegit.[42] Laudatus valde fuit Salomon a Deo, quoniam, cum optio data ei divinitus esset ut peteret quidquid vellet, non petiit imperium et mundi totius monarchiam, non mundi gloriam et perpetuam vitae immortalitatem, annos Noe aut Mathusalem,[42a] sed tantum sapientiam,[43] coeleste divinumque donum Spiritus Sancti. Nam, sicut coelum melius terra est et anima corpore, ita spiritualia, coelestia divinaque bona

Hoc etiam Gentiles cognoverunt.

33) Gn 1, 26. 34) Ibid. 2, 15. 35) Lc 10, 30. 36) Cf. Gn 3, 1-6. 37) Cf. Mt 4, 1-11. 38) Ibid. vr. 17. 39) Act 14, 21. 40) Cf. 2 Rg 11, 2 sqq. 41) Cf. 3 Rg 3, 12; 11, 1-8. 42) *De Officiis*, lib. 1, t. 4, col. 485. 42a) Cf. Gn 5, 27; 9, 29. 43) Cf. 3 Rg 3, 5-12.

meliora sunt corporalibus, terrenis, mundanis. Hinc merito tanquam insipientes arguuntur filii Zebedaei a Christo hodie, quoniam ab ipso mundana petunt, non divina; mundi gloriam, non Dei gratiam et Spiritus Sancti virtutem ad imitandas divinas ipsius Christi virtutes vitamque sanctissimam: *Nescitis quid petatis;* de virtute nunc cogitandum est: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Potestis esse mei similes in ferendis adversitatibus superandisque mundi malis? Nunc de certamine cogitandum est, non de corona, nam: *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit;* [44] cogitandum de cursu, non de bravio; currendum prius est; post cursum datur bravium [45] pro merito, non pro iudicis arbitrio; de itineris labore nunc cogitandum est, nam post montem excelsum valde conscensum, aperta fuit ostensaque apostolis gloria paradisi. [46]

ideo insipientes sunt qui per bona terrena ad coelum ascendere contendunt.

III. *Ecce ascendimus Ierosolymam.* Terrena Ierusalem, symbolum et imago coelestis, supra montem erat aedificata, [47] non sine labore adiri poterat; mons enim altus non sine labore et sudore ascenditur; sic ad consequendam gloriam regni Christi labore et virtute opus est. Sicut autem Deus populo suo per desertum iter agenti in terram promissionis Angelum suum ducem dedit in columna nubis et ignis, imo seipsum; [48] sic Deus nobis in coelestem Ierusalem properantibus Christum *magni consilii Angelum,* [49] unigenitum Filium suum ducem dedit. Christus ipse, cum in hoc mundo peregrinus nobiscum esse voluerit – *non enim habemus... civitatem permanentem, sed futuram inquirimus,* [50] – pro seipso non viam voluptatis elegit, sed viam virtutis et adversitatis. Hinc ascendens hodie Ierosolymam commemorat et praedicit Apostolis passionem suam: *Ecce ascendimus Ierosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte et tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum.* Bone Deus, qualem viam ad aeternam gloriam elegit pro se Christus! Viam passionis, viam mortis, passionis autem et mortis crucis.

Hoc item significabat Ierusalem supra montem aedificata;

hoc significavit Christus ipse exemplo suo,

44) 2 Tim 2, 5. Vulg.: *Non coronatur,* etc. 45) Cf. 1 Cor 9, 24. 46) Cf. Mt 17, 1-5; Lc 9, 28-35. 47) Cf. Ps 47, 2; 86, 1. 48) Cf. Ex 13, 21-22; 14, 19-24; 15, 13; 40, 34-36; Nm 10, 34; 14, 14; Dt 1, 30-33. 49) Is 9, 6. Ex Translat. Septuaginta. 50) Hebr 13, 14. Vulg.: *Manentem civitatem,* etc.

Saepe Christus praedixit Apostolis passionem et mortem suam. Non solum enim hodie prope suam passionem, priusquam in Ierusalem cum triumpho exciperetur in die palmarum – nam in fine huius itineris tanta cum gloria exceptus fuit in Ierusalem, [51] – verum etiam multo ante praedixerat mysterium passionis suae Apostolis, quando promisit Petro *claves regni coelorum:* [52] *Exinde,* inquit Matthaeus, *coepit Iesus ostendere discipulis suis quia oporteret eum ire Ierosolymam et* [53] *multa pati a senioribus et scribis et principibus sacerdotum et occidi et tertia die resurgere.* [54] Cui cum dixisset Petrus : *Absit a te, Domine: non erit tibi hoc,* [55] increpavit eum Dominus dicens : *Vade post me, satana, scandalum mihi es, non enim sapis ea quae Dei sunt, sed quae hominum.* [56] Ubi ostendit Dominus quam voluntarie passurus pro nobis erat mortem crucis. Alias etiam idem praedixit mysterium, sequenti die post transfigurationem, ut apud Lucam legimus. Cum enim pessimum daemonium eiecisset, quod eicere non poterant Apostoli, tunc ait eis : *Ponite vos in cordibus vestris sermones istos: Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum.*[57] Tandem, in ultima coena, in nocte passionis suae, antequam iret ab Ierusalem in hortum, ubi capiendus erat, hoc ipsum praedixit. [58] Volebat enim Dominus imprimere in cordibus et mentibus discipulorum veluti perpetuam meditationem et memoriam passionis et mortis suae : *Ponite in cordibus vestris sermones istos.*

et etiam verbis pluries loquens de passione sua.

quam libentissime pro nobis subiturus erat.

Sed ad quid, quaeso ? Quoniam meditatio passionis Christi valde utilis est. Paulus ait : *Recogitate... eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes; non enim usque ad sanguinem restitistis adversus peccatum repugnantes;* [59] quoniam, ut Petrus ait : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius;* [60] quoniam suo nos Christus voluit movere exemplo : *Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis;* [61] *Exemplum... dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci..., ita et vos faciatis.* [62]

Meditatio enim passionis Christi utilissima est ad excitandos animos ad poenitentiam,

51) Cf. Mt 21, 1-11. 52) Ibid. 16, 19. 53) Ms.: *Et* bis ponitur. 54) 16, 21. 55) Ibid. vr. 22. 56) Ibid. vr. 23. Vulg. : *Scandalum es mihi, quia non sapis,* etc. 57) 9, 44. 58) Cf. Mt 26, 2-29 ; Mc 14, 21-25 ; Lc 22, 15-22. 59) Hebr 12, 3-4. Vulg. : *Nondum enim usque,* etc. 60) 1 Petr 2, 21. 61) Mt 20, 28. 62) Io 13, 15.

Gedeon pergens cum suis militibus, quos tubis et lagenis lumineque in lagenis abscondito armaverat, in pugnam contra Madianitas, dixit militibus suis : *Quod me facere videritis, hoc facite: ingrediar partem castrorum, et quod fecero sectamini.* [63] Milites suos dux sapiens et strenuus suo voluit movere atque urgere exemplo ; sic Christus. Nos autem, qui militiam Christi profitemur, nec imperium nec exemplum Christi movebit ? Urias, licet missus a rege in domum suam, ire noluit, ut quiesceret et cum uxore dormiret, dicens : *Arca Dei et Israel et Iuda habitant in papilionibus, et dominus meus Ioab et servi domini mei super faciem terrae manent; et ego ingrediar in domum meam, ut comedam et bibam et dormiam cum uxore mea ? Per salutem tuam et per salutem animae tuae non faciam rem hanc.* [64]

quia ipse dux noster est, quem sequi debemus.

IV. Nos autem, fratres, quid dicimus ? quid cogitamus ? quid facimus videntes quanta Christus passus est pro salute nostra ? Quid opus erat ut Christus talia et tanta pateretur ? Utique ut eum nos per viam arctam salutis sequeremur. Et tamen adhuc verum est quod ait : *Lata porta et spatiosa via est quae ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via est quae ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam !* [65] Si ante Christi doctrinam, ante Christi exemplum multi ambulabant per viam latam, viventes secundum carnem pro mundi consuetudine, non mirum, quia veritatem hanc ignorabant. Sed quod nunc, post Christi nedum doctrinam et imperium, verum etiam exemplum vitae, multi christianorum vivant secundum carnem more Gentium, hoc mirum est. Ait Christus : *Contendite intrare per angustam portam.* [66] Etiam apostolis suis, filiis Zebedaei, qui erant cognati ipsius secundum carnem, [67] nam mater ipsorum Beatissimae Virginis germana soror existimatur, [68] manifeste dixit, cum hodie gloriam regni ipsius peterent : *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum ?* Amarus est carni et sensui calix iste, amarus naturae ; nam etiam Christus ait : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste;* [68a] *Transfer calicem hunc a me.* [69] Sed tamen, Deo sic volente, opus fuit ut illum epotaret. Et Petro

Omnino inexcusabiles sumus si Christi doctrina,

exemplis atque praeceptis non movemur,

63) Idc 7, 17. 64) 2 Rg 11, 11. 65) Mt 7, 13-14. 66) Lc 13, 43.
67) Cf. Rom 9, 3. 68) Cf. Alph. Tostatus *Comment. in Matth.*, t. 4, f. 35 ; Corn. a Lapide *Comment. in Matth.*, pag. 289-290. 68a) Mt 26, 39. 69) Lc 22, 42. Vulg. : *Calicem istum a me.*

dixit : *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum ?* [70] Non loquitur hic de calice praeclaro divinarum consolationum : *Calix meus inebrians quam praeclarus est;* [71] sed de calice afflictionis : *Quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto, et inclinavit ex hoc in hoc; veruntamen faex eius non est exinanita; bibent omnes peccatores terrae.* [72]

qui enim de calice tribulationum non biberit in hac vita,

Deus iratus describitur cum calice vini potentis ad inebriandum in manu, ex quo omnibus propinat ; [73] vinum autem iram Dei significat, sicut Ioannes in *Apocalypsi* ait : *Hic bibet de vino irae Dei, quod mixtum est mero in calice irae ipsius et cruciabitur igne et sulphure.* [74] De hoc calice per Ieremiam ait : *Ecce quibus non erat iudicium, ut biberent calicem, bibentes bibent, et tu quasi innocens relinqueris ? Non eris innocens, sed bibens bibes.* [75] Et alibi : *Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram; de vino eius biberunt gentes et ideo commoti sunt;* [76] nam, sicut vinum potens vires tollit et mentis harmoniam, ita ira Dei. Necesse est ut omnes bibant de vino calicis huius, nemo tanquam innocens relinquitur. Qui autem non biberint in hoc saeculo, bibent plane in futuro cum epulone, qui bibit *de vino irae Dei* et cruciatur *igne et sulphure* in inferno. Elegit Loth Pentapolim et Sodomae regionem, quae *sicut paradisus Domini* [77] videbatur, nesciens quod igne et sulphure de coelo concremanda erat. [77a] Sic nescivit ipse quid elegerit. Hoc est quod ait hodie Christus : *Nescitis quid petatis.* Qui habuerit paradisum in hoc mundo, manet eum infernus in futuro. Sic manifeste docuit Salvator apud Lucam dicens : *Vae vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram ! Vae vobis qui saturati estis, quia esurietis ! Vae vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis !* [78] Et nos, fratres, plenis affectibus quaerimus mundanas consolationes, voluptates carnis in hac vita ?

bibet in futuro de calice irae Dei.

Hoc Christus hodie insinuat, confundens apostolos mundanam gloriam petentes ;

V. Eos qui ab oriente descendentes in campo Senaar, turrim vanitatis aedificare voluerint pro vana mundi gloria, ut nomen sibi facerent ad perpetuam rei memoriam et nominis celebritatem, confundit Deus ; nam cupiditas et ambitio mater, origo, radix est omnis confusionis, hinc Babel, idest confusio, appellatus est locus,

70) Io 18, 11. 71) Ps 22, 9. 72) Ps 74, 9. 73) Cf. Is 51, 17. 22 ; Ier 25, 15. 27-28 ; Hab 2, 16. 74) 14,10. 75) 49, 12. 76) Ibid. 51, 7. Vulg.: *Commotae sunt.* 77) Gn 13, 10. 77a) Cf. ibid. 19, 1-25. 78) 6, 24-25.

ubi primo regni nomen auditum est.[79] Sic confudit hodie Dominus filios Zebedaei mundanam gloriam petentes et appetentes: *Nescitis quid petatis.* Et nos quasi innocentes, immunes erimus a confusione? Speramus nos fore, ut dici solet, filios albae gallinae,[80] ituros in paradisum in curribus et lecticis?

Fratres mei, conqueri non potest servus qui tractatur a patrefamilias, a domino domus non secus ac filius qui panem comedit filiorum, sicut Miphiboseth ad mensam regis David quasi unus de filiis regis.[81] Conqueri non potest servus, qui non ad maiores in domo vel foris deputatur labores, quam filius; nam, si conqueri vellet, iuste diceret ei dominus: Non melioris conditionis est apud me filius meus quam tu: et conquereris cum non secus tracteris ac filius? Si igitur oportuit iuxta determinationem divinae voluntatis et rationem divini consilii, *oportuit*, inquam, *pati Christum* unigenitum Filium Dei *et ita intrare in gloriam suam,*[82] quomodo nos sine poenitentia intrabimus in regnum coelorum? *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum;*[83] *Nisi poenitentiam egeritis, similiter omnes peribitis.*[84] An satanae potius credere volumus quam Deo, sicut parentes nostri? Comminatus fuerat eis mortem si de ligno scientiae comedissent;[85] satanas vero: *Nequaquam*, inquit, *moriemini*, sed *eritis sicut dii.*[86] Satanae potius crediderunt, comederunt de ligno vetito, experimento didicerunt quisnam veritatem eis dixerit, Deus an satanas.[87] Num etiam nos experimentum simile expectamus?

nam, si Christum Dei Filium pati oportuit, eo magis nos, qui servi sumus, pati oportebit.

et non audire satanam.

Contraria enim praedicant nobis Christus et daemon maledictus. Nos, ut video, satanae potius monita quam Christi iussa optimaque consilia accipimus. Age, expectemus finem et videbimus quo nos lata vitii, carnis, et mundi via perducat. *Lata via... ducit ad perditionem;* quae autem ad salutem ducit, *arcta* valde est, ait Christus, et per eam ipse incessit ductus a Spiritu Dei, licet ipsum quoque monuerit satanas ut per latam viam incederet, cum ei in deserto omnem mundi gloriam ostendit et dixit: *Haec omnia* regna et gloriam eorum *tibi*

cuius via lata ad aeternam perditionem ducit.

79) Cf. Gn 10, 10; 11, 1-9. 80) Antiquum proverbium, forte ex Iuvenale deductum: « Tu gallinae filius albae, Nos viles pulli nati infelicibus ovis ». *Sat. 13*, vr. 141. 81) Cf. 2 Rg 9, 6-11. 82) Lc 24, 26. 83) Mt 4, 17. 84) Lc 13, 5. Vulg.: *Si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* 85) Cf. Gn 2, 17. 86) Ibid. 3, 4-5. 87) Cf. ibid. vrr. 6 sqq.

dabo, si cadens adoraveris me. [88] Sed Christus iratus et iusta indignatione in eum commotus ait: *Vade, satana, scriptum est...: Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* [89] Nos autem, ut video, nec doctrina, nec vita et exemplo Christi vel minimum movemur de instituto itinere mundanae conversationis, carnalis vitae, sensualis, animalis.

Voluptates et divitiae mundi huius maxima impedimenta sunt ad aeternam salutem,

VI. *Ecce ascendimus Ierosolymam. Fundamenta eius in montibus sanctis.* [90] Babel aedificata fuit in planitie; [91] ad Babelem patet iter per viam planam, sed lutulentam; ad Ierusalem autem non patet iter, nisi per montem. Mundus hic veluti regio Galilaeae est, quam Salomon dedit Hiramo regi Tyri, unde postea *Galilaea gentium* [92] est appellata. In *Scriptura* autem *Regum terra Chabul* dicitur, [93] idest c o m p e d i s, quoniam, ut aiunt Hebraei, [94] ob multum lutum detinet pedes iter agentium sicut compedes. Talis est mundi huius regio, mundana via: *Fiat via illorum tenebrae et lubricum.* [95] Ubi enim solum pingue est, via ob lutum solet esse valde difficilis magnoque labore et impedimento iter agentibus. Talis est via voluptatis ad salutem, et adhuc multis erroribus, multis periculis plena.

et quamvis antiqui Patriarchae inter divitias sanctissimi fuerint,

Et tamen omnes vellent viam hanc, quia lata et plana, dicentes quod multi etiam salvati sunt, maxime sub Veteri Testamento, cum magna divitiarum copia. Per viam hanc planam iter fecerunt et pervenerunt in hanc civitatem Ierusalem dives admodum Abraham, dives David, Salomon, Ezechias, Iosias reges, et salvati sunt; dives valde fuit sanctus Iob. Sed differt admodum iter agere per aestatem, aut hiemem. Per aestatem licet iter agere per planam pinguemque regionem, quoniam, cum arida sit terra et sine aqua, lutum impedimento esse non potest, licet pulvis magnam molestiam afferat. San-

88) Mt 4, 9. 89) Ibid. vr. 10. 90) Ps 86, 1. 91) Cf. Gn 11, 2. 92) Cf. Is 9, 1. 93) Cf. 3 Rg 9, 11-13. 94) Cf. *Talmud, Sciabbad*, f. 54ª. David Kimchi: « Iuxta opinionem Doctorum terra Chabul terram significat sterilem. Et Rab. Nachman filius Isaac interpretatur *Biblia Rabbinica*, terram lutulentam ». h. l. A. Zanolini: « Locum illum ita appellatum nonnulli volunt propter coeni lutique copiam, quo veluti compedibus viatorum pedes constringebantur; alii quia propter arenam erat omnino infructuosus et infecundus, quasi esset terreus; alii denique ab Hiram Tyri rege hoc nomine vocatas fuisse viginti urbes a Salomone sibi donatas, quod nullius pretii essent eique non placerent et ad canem animal contemptibile eum allusisse litteris transpositis quasi כבל ». *Lexicon Hebr.*, sub voce: כָּבוּל. Cf. etiam Hugo de S. Victore *Adnotat. Elucidat. in 3 Regum*, (P. L. 175, 111). 95) Ps 34, 6.

ctissimi Patriarchae, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph per hanc viam iter fecerunt per aestatem, cum magna vigeret simplicitas, magna caritas. Sed in autumno versus hiemem, cum tempus pluviarum venerit, difficile iter est. Per viam hanc non ita securus David incessit, sed lutum lubricum reperit semelque et iterum ac tertio in lutum cecidit;[96] Salomon autem multo peius.[97] Nunc autem in fundo sumus hiemis: quomodo iter hoc agemus? *Mundus totus in maligno positus est,*[98] totus plenus *concupiscientia carnis..., concupiscientia oculorum et superbia vitae.*[99]

hae tamen magna pericula semper offerunt.

VII. *Nescitis quid petatis.* Displicuit vehementer Christo hodierna haec apostolorum petitio per matrem, sicut Salomoni petitio Adoniae per Bethsabee, qua reginam Abisag valde pulcram dari sibi in uxorem postulavit. Et vere ignoravit quod petiit, nam petitio illa causa mortis sibi fuit.[100] Ita Dominus: *Nescitis quid petatis.* Unum ex praecipuis effectibus peccati primi novimus esse perversionem iudicii et depravationem affectus, corruptionem gustus animi, infectionem palati animae. Hinc multi appetunt stulta, vana, perniciosa, veris bonis neglectis. Virtus gustui animae insuavis est sicut manna carnalibus Hebraeis,[101] imo amara sicut aqua Mara.[102] In desiderio Evae ad satanae suggestionem stultitiam, vanitatem et perniciem reperimus: stultitiam, quia appetivit impossibile, Dei aequalitatem; vanitatem, quia appetiit universalitatem scientiae, quae inutilis est et animum inflat: *Scientia inflat, caritas vero aedificat;*[103] perniciem, quia pomum vetitum desideravit, quo tanquam mortifero veneno seipsam, virum suum et universum genus humanum infecit. Pestis autem corrupti huius ac depravati affectus transfusa est una cum natura in humanum genus. Hinc legimus et videmus tot stulta, vana, perniciosa hominum desideria. Appetunt immortalitatem: stultum est, quia impossibile est; appetunt mundi gloriam: vanum est, quia inutilis est; appetunt voluptates carnis: perniciosum est, quia iniquum est ut spiritus carni deserviat et anima corpori. Hinc Regius Vates

Ideo stulta apostolorum petitio Christo valde displicuit, quia vana petebant.

Sed multi sunt, qui a satana seducti, sicut Eva, quaerunt stulta, vana et perniciosa.

96) *Semel:* adulterium, cf. 2 Rg 11, 2-5; *iterum:* homicidium, cf. ibid. vrr. 14-17; *tertio:* recensio populi, cf. ibid. 24, 10 sqq. 97) Cf. 3 Rg 11, 1 sqq. 98) 1 Io 5, 19. 99) Ibid. 2, 16. 100) Cf. 3 Rg 2, 13-25. 101) Cf. Nm 21, 5. 102) Cf. Ex 15, 23-24. 103) 1 Cor 8, 1.

orabat: *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me;*[104] bonum gustum et scientiam doce me, ne appetam stulta, vana et perniciosa sicut Adam, sicut illi qui turrim Babel aedificare voluerunt: *Venite, aedificemus... civitatem et turrim, cuius cacumen coelum pertingat, et celebremus nomen nostrum.*[105] Stultum fuit, quia impossibile; vanum, quia inutile; perniciosum, quoniam iram Dei provocavit contra eos.

Valde differunt desideria humana a divinis;

VIII. Elucet in hodierno Evangelio quam diversa sint desideria humana a divinis, sicut Isaias ait: *Non enim viae meae viae vestrae, neque cogitationes meae cogitationes vestrae...; sicut* enim *exaltantur coeli a terra, ita,* etc.[106] Christus, verus Deus humanatus, hodie manifestat secreta desideria animi sui, manifestant et filii Zebedaei; sed valde diversa sunt: Christus cogitat de passione crucis, filii Zebedaei de gloria regni.

homo terrenus enim bona terrena appetit, sicut hodie duo apostoli,

Ostenditur in hodierno Evangelio duplex magnum paradoxum: stultitia Christi, qui Dei sapientia est, et sapientia hominum, quae apud Deum vera stultitia est,[107] quibus vere dicitur: *Nescitis quid petatis;* alterum paradoxum est quod homo sit Deo dissimilis, qui tamen *ad imaginem et similitudinem Dei*[108] verissime conditus est. Tamen, sicut Paulus ait: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis.*[109] Ita hodie Christus coelestia appetit, apostoli terrena, cum tamen: *Quos praescivit... praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui.*[110] Dissimiles sunt, quoniam Christus stultus videtur secundum mundum, quoniam, cum Deus egerit cum eo sicut Abraham cum Loth: *Ecce universa terra coram te est;*[111] non elegit sicut Loth meliorem regionem Pentapolis, quae erat *sicut paradisus Domini,*[112] elegit mala mundi huius Christus, non bona: *Tradetur... ad illudendum,* etc. apostoli vero prudentes sapientesque videntur, quoniam eligunt bona huius mundi, non mala, gloriam regni; et tamen verum est: *Nescitis quid petatis;* veluti si quis iturus ad habitandum in aliquam civitatem, facultates suas omnes expenderet in merces quae in civitatem inferri non possunt, quae prohibitae

Christus autem quae mala iudicantur eligit;

104) Ps 118, 66. 105) Gn 11, 4. Vulg.: *Faciamus... civitatem et turrim, cuius culmen pertingat ad coelum,* etc. 106) 55, 8-9. Vulg.: *Non enim cogitationes meae cogitationes vestrae, neque viae vestrae viae meae,* etc. 107) Cf. 1 Cor 1, 24. 30; 3, 19. 108) Gn 1, 26. 109) 1 Cor 15, 47. 110) Rom 8, 29. 111) Gn 13, 9. 112) Ibid. vr. 10.

sunt. O stultum! Videmus autem quod in civitatem alterius mundi inferri non possunt bona mundi huius, prohibita sunt, ad ianuam civitatis quisquis sit spoliatur prohibitis mercibus. Patet in morte; nudus quisquis in alterum mundum ingreditur. Mala autem mundi huius cum patientia in coelo summi sunt pretii; hinc Christus haec asportavit in coelum. O Christum sapientissimum et o imprudentissimum hominem qui omnes suas facultates, omnes dies vitae suae expendit in merces prohibitas! Remanebit pauper et nudus et insuper in carcerem conicietur, sicut accidit epuloni infelici diviti.[113]

sed quae nunc putantur bona, in coelo nil proderunt, quae vero mala, summi erunt pretii.

ALIA HOMILIA

Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare. [1]

I. Sicut patriarchae Iacob in mirabili visione ostensum fuit coelum apertum et scala per quam ascendebatur in illud, nam Angelos vidit in coelum per scalam ascendentes,[2] ita plane in hodierno Evangelio ostenditur gloria ab aeterno praeparata a Deo electis suis et praedestinatis, et via per quam deveniendum in illam est et per quam etiam in illam Christus, electorum princeps et caput, pervenit. Attingit hodie Christus imperscrutabile mysterium divinae praedestinationis, dicens quod gloria non potest dari, nisi quibus paratum a Deo est: *Sedere... ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare..., nisi quibus paratum est a Patre meo.*[3] Sic alibi ait: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.*[4] Sic Paulus ad *Titum: In spem vitae aeternae, quam promisit qui non mentitur, Deus, ante tempora saecularia.*[5] Et ad *Romanos* docet quod Deus *quos... praedestinavit... illos... magnificavit.*[6] Iosue divisit terram promissionis Hebraeis post longam peregrinationem in deserto; sed tamen non pro libito suae voluntatis, sed sorte, secundum beneplacitum divinae voluntatis.[7] Ita etiam Moyses locum dedit tri-

Attingit Christus mysterium divinae praedestinationis.

113) Cf. Lc 16, 19 sqq.

1) Mt 20, 23. 2) Cf. Gn 28, 12. 3) Mt 20, 23. Vulg.: *Sed quibus*, etc. 4) Ibid. 25, 34. 5) 1, 2. 6) 8, 30. *Magnificavit* pro *glorificavit* legitur in Nic. Lyrano *Biblia Sacra cum Glossis*, h. l., et in multis codicibus mss. Cf. Io. De La Haye *Biblia Maxima Versionum*, t. 15, pag. 165; Eb. Nestle *Novum Test.*, etc. h. l. 7) Cf. Ios 13, 1 sqq.

bubus circa tabernaculum et sanctuarium Domini, sed iuxta dispositionem ordinationis divinae, his quidem a dextris, his autem a sinistris; his ad orientalem plagam, illis ad occidentalem; aliis ad australem, et tandem aliis ad aquilonarem. [8] Ita nunc ait: *Quibus paratum est a Patre.*

Homo naturaliter beatitudinem desiderat, sed decipitur fallacem pro vera eligendo.

II. Est quidem in homine beatitudinis naturale desiderium; nemo enim est qui non desideret ad aliquem vitae statum pervenire, in quo laetus felixque et plene contentus ac consolatus vivat. Nam vere ad beatitudinem conditus homo est. Sed in beatitudine accidit sicut in auro et gemmis. Dici enim solet quod non omne quod lucet aurum est; [9] nam etiam aurichalcum videtur aurum; sunt etiam multae adulterinae gemmae. Sic est felicitas vera apud Deum et etiam falsa fallaxque in mundo. Hanc hodie appetivere apostoli; sed eos Dominus in desiderium verae beatitudinis revocat, ostendens tamen qua via obtineri potest: *Potestis bibere calicem, quem*[10] *ego bibiturus sum?* [11]

Vera beatitudo sine poenitentia obtineri nequit;

Extat antiquum proverbium: « Dii laboribus omnia vendunt ». [12] Hesiodus etiam dicebat: Πάντων καλῶν ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθήκαν: [13] ante omnia praeclara dii posuere sudorem. Extat etiam apud Graecos paroemia: Δύσκολα τὰ καλά: [14] praeclara difficilia. Ita civitatis Ierusalem symbolo, quae supra montem aedificata erat, [15] proponitur hodie nobis vera felicitas. Sine labore et sudore perveniri non potest in civitatem positam supra altum montem; ita sine labore poenitentiae non potest homo consequi beatitudinem aeternam. Et sicut amissa sanitas, gravi morbo urgente, recuperari non potest sine multa inedia et amaris potionibus, ita Christus hodie ait: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Sed mundus non vult capere divinam hanc philosophiam, cum tamen verissima sit; ex mysterio, quia populus Dei nonnisi per desertum pervenit in optatissimam terram promissionis; ex praedicatione Prophetarum et maxime Ioannis

8) Cf. Nm 2, 1 sqq.; 34, 1 sqq. 9) Cf. supra, Feria Sexta Cinerum, not. 56, pag. 32. 10) Ms.: *Quem* bis ponitur. 11) Mt 20, 22. 12) Epicharmi dictum, de quo cf. Io. Stobaeus *Dicta Poetarum, Florilegium*, tit. 29, pag. 124. Cf. etiam S. Laurentius a Br. *Opera omnia*, vol. 2, *Lutheranismi Hypotyposis*, part. 2, pag. 336, not. 78. 13) Ms.: *Panton calon idnoxa thei proparithen ethican*. Hesiodus habet: Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν - Ἀθάνατοι. *Opera et Dies*, vrr. 289-290, pag. 74. 14) Ex Platone qui habet: Χαλεπὰ τὰ καλά, *De Republica*, vol. 2, pag. 435. Ms.: *Discola ta cala*. 15) Ps 47, 2; 86, 1.

Baptistae : *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum;*[16] ex praedicatione ipsius Christi qui, sicut Ioannes, poenitentiam praedicavit dicens : *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum;* [17] manifesta veritas luce meridiana clarior ab exemplo Sanctorum omnium, maxime vero ipsius Christi. Per quam viam Christus pervenit in hanc civitatem Ierusalem? *Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam.* [18] Et in hodierno Evangelio : *Tradetur Filius hominis ... ad illudendum et flagellandum et crucifigendum et die tertia resurget.* [19] Sic in monte excelso, multo cum labore conscenso, transfiguratus fuit et gloriosus apparuit; [20] sic : *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum;* [21] sicut accidit in Ioseph, in Moyse, in David ; post multas nanque tribulationes pervenerunt ad gloriam.

hoc Christus docuit verbo et exemplo,

Sic multis manifestum est quod via consequendae felicitatis non voluptas, sed virtus est, voluptati contraria. Per hanc enim Deus voluit ut etiam primus homo a terrestri in coelestem paradisum ascenderet. Haec igitur scala coeli est : *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum ..., sed in lege Domini voluntas eius.* [22] Quare beatus ? Quia *erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo ... et omnia quaecunque faciet prosperabuntur.* [23] Sic alibi : *Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos ?* [24] *Declinet a malo et faciat bonum, inquirat pacem et sequatur eam.* [25]

quia virtus unica scala coeli est ;

III. Hodie autem via haec proponitur, Christi imitatio ; hinc ait quod *ascendens Ierosolymam assumpsit duodecim discipulos suos,* [26] ut eos in sancta hac peregrinatione in civitatem sanctam sequerentur. Requirit imitationem : *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Qui maior est vestrum, erit minister vester;* [27] *Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis.* [28] Vult Dominus Ecclesiam suam, electos suos differentes admodum a mundo esse, sicut ipse Christus differentissimus fuit.

ideo Christus imitandus est

16) Mt 3, 2. 17) Ibid. 4, 17. 18) Lc 24, 36. 19) Mt 20, 19. Vulg.: *Tertia die*, etc. 20) Cf. ibid. 17, 1-5. 21) Phil 2, 8. 22) Ps 1, 1-2. 23) Ibid. vr. 3. 24) Ps 33, 13. 25) Ibid. vr. 15 ; 1 Petr 3, 11. 26) Mt 20, 17. Vox *duodecim* ab A. Gramatica in nova edit. Bib. S. expuncta fuit. 27) Ibid. 23, 11. 28) Ibid. 20, 28.


per asperam et valde laboriosam viam tribulationum;

Nulla in re cum hoc mundo convenit, unde aiebat: *Ego non sum de hoc mundo.*[29] Imitandus igitur Christus nobis est. Fuit autem vita Christi in mundo peregrinatio in sanctam civitatem coelestis Ierusalem: *Ascendens* in Ierusalem, peregrinus, iter faciens per asperam viam et valde laboriosam: *Filius hominis tradetur... ad illudendum et flagellandum et crucifigendum.* Sic: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*[30] Non datur coelorum regnum nisi martyribus, qui vel effectu tantum sunt, ut Innocentes,[31] vel affectu, ut Ioannes Evangelista,[32] vel affectu simul et effectu, ut Stephanus,[33] ut ipse Christus: *Potestis bibere calicem?*

mundi vanitas et voluptas fugiendae et sanctae orationi instandum.

Iter autem hoc sanctamque peregrinationem mulier impedit: *Accessit ad eum mater filiorum Zebedaei adorans et petens...: Dic ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam et unus ad sinistram in regno tuo.*[34] Sic Eva impedivit peregrinationem hominis in coelestem paradisum. Non exauditur tamen eius oratio, quia non secundum Deum, sed secundum carnem facta fuit: *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis.*[35] Oratio, si bene fiat, apud Deum maximi valet; si autem male, nihili, sicut crines sponsae in capite eius maxime aestimantur, praecisi autem, nihili. Capilli Samsonis in capite ipsius maximi valebant, hominem enim fortissimum et insuperabilem efficiebant; sed praecisi nihil valebant.[36] Ita et oratio, si spiritu et mente magna cum pietate fiat, multum valet apud Deum; sine pietate nihil valet.

29) Io 8, 23. 30) Act 14, 21. 31) Cf. Mt 2, 16. 32) Cf. Tertullianus *De Praescriptionibus*, cp. 36, (P. L. 2, 48); S. Hieronymus *Contra Iovinianum*, ibid. 23, 247; *Comment. in Matth.*, lib. 3, ibid. 26, 143. 33) Cf. Act 7, 57 sqq. 34) Mt 20, 20-21. 35) Iac 4, 3. 36) Cf. Idc 16, 17 sqq.



FACSIMILE SCRIPTURAE S. LAURENTII TERTIA PARTE DIMINUTAE

FERIA QUINTA DOMINICAE SECUNDAE QUADRAGESIMAE

Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso et epulabatur quotidie, etc. [1]

Omnes ad beatitudinem conditi sunt, sed non omnes eam sortiuntur;

I. Ecce ex una eademque massa *aliud... vas in honorem, aliud vero in contumeliam,* ut Paulus ait,[2] ex eadem matre Cain et Abel, Esau et Iacob. Duo homines proponuntur eadem natura[3] constantes; nam ex una eademque luti massa, sicut figulus vasa multa, Deus universum hominum genus formavit, sicut Moyses ait: *Formavit... Dominus Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae et factus est homo in animam viventem.*[4] Et tamen non omnes homines eundem finem sortiuntur ad quem conditi sunt. Ad aeternam felicitatem conditus homo est; nam, mox ut formavit eum Deus, *tulit* et collocavit *eum in paradiso voluptatis.*[5] Sed tamen multi hominum damnationem sibi acquirunt et in aeternum pereunt.

sic, dum mendicus Lazarus in coelum levatur,

Sortitus fuit finem hunc Lazarus: *Factum est... ut moreretur mendicus et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae,*[6] ubi perpetuo consolatur; sed non sic dives epulo: *Mortuus est... dives et sepultus est in inferno,*[7] ubi aeternum supplicium patitur; cum multis Hebraeorum in deserto mortuus est, in *sepulcris concupiscientiae.*[8] Nam haec sunt quae caro concupiscit: divitias, honores regios, sensuales voluptates: *Erat dives,... induebatur purpura et bysso... epulabatur quotidie splendide.* Ecce Adam in paradiso ad mortem damnatus ob peccatum:[9] *Mortuus est... dives et sepultus est in inferno:* Balthassar rex, con-

1) Pericope huius diei Lc 16, 19-31. Missale Rom. S. Pii V et Clementi VIII habet: *Et induebatur.* 2) Rom 9, 21. 3) Ms.: *Naturae.* 4) Gn 2, 7. 5) Ibid. vr. 15. 6) Lc 16, 22. 7) Ibid. 8) Nm 11, 34. 9) Cf. Gn 17, 19.

dives epulo in inferno sepelitur, licet nullum formale peccatum eius recenseatur,

tra quem, dum esset in convivio, scripta fuit lataque mortis sententia: *Mane, Techel, Phares: ... numeravit Deus regnum tuum et complevit illud ; ... appensus es in statera et inventus es minus habens ; ... divisum est regnum tuum et datum est Medis et Persis.* [10] *Mortuus est ... dives:* en regnum vitae ipsius completum, regia ipsius vita morte finita est ; *Sepultus est in inferno:* quam ob causam ? Quia *appensus ... in statera* instar nummi aurei, *inventus* est *minus habens,* non inventum fuit iustum pondus.

quia ad iustitiae perfectionem non sufficit abstinere a malis, sed oportet bona quoque facere.

Hominis huius nullum hic recensetur formale peccatum : non idololatria, non blasphemia in Deum, non violata sabbati religio, nullum vel homicidium, vel furtum, vel adulterium, aut falsum testimonium. Sed ad iustitiae perfectionem apud Deum non sufficit abstinere a malis ; necesse est etiam bonis operibus intentum esse : *Diverte a malo et fac bonum, inquire pacem et persequere eam.* [11] *Inventus* est *minus habens,* quoniam sine operibus misericordiae : *Iacebat ad ianuam eius* Lazarus mendicus, *plenus ulceribus,* cupiebat *saturari de micis quae cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat.* [12]

Quia ergo opera pietatis contempsit,

Hac igitur de causa damnatus est, propterea bonis omnibus in aeternum privatus, quoniam, etsi forte a malis temperavit, opera tamen pietatis contempsit. Sic ait Salomon: *Manus in manu* et *non erit innocens impius;* [13] quamvis, iuxta hebraicum, aliter quoque intelligi potest Salomonis sententia: יָד לְיָד, [14] *manus ad manum,* idest cito, ut etiam dicere solemus: Ad manum hoc agam, [15] idest mox, cito, nunc nunc; sic ait: Mox mox punietur impius. Erat epulo impius, sine pietatis et caritatis visceribus ; cito punitus fuit : *Mortuus est ... dives et sepultus est in inferno,* sicut etiam Beatus Iob aiebat: *Ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt.* [16] Qua de causa ? Quia impii et Dei contemptores sunt; unde sequitur Iob: *Qui dicunt Deo: Recede a nobis ..., scientiam viarum tuarum nolumus; quis est Omnipotens, ut serviamus ei, aut quid proderit nobis si oraverimus eum ?* [17]

10) Dn 5, 25-28. 11) Ps 33, 15. 12) Lc 16, 20-21. Vulg.: *Ulceribus plenus.*
13) Prv 11, 21. 14) Ms.: *Iad leiad.* 15) Pagnini *Thesaurus Linguae Sanctae,* sub radice: יָד, col. 893; Lud. Caelius adagio hoc summam temporis celeritatem significari docet ex Svetonio lib. 2, cp. 49, pag. 195. *Antiq. Lect.,* lib. 30, cp. 32, col. 1711. 16) 21, 13.
17) Ibid. vrr. 14-15. Vulg.: *Dixerunt Deo... et quid nobis prodest si oraverimus illum ?*

Talis erat epulo : Divinam Scripturam, Moysen et Prophetas contemnebat, non vere credebat, sicut nec fratres eius. Hinc Abraham rogat ut mittat Lazarum ad fratres ipsius ad annuntiandum eis ut poenitentiam agerent.[18] Quibus verbis Abraham: *Habent Moysen et Prophetas: audiant illos... Si Moysi et Prophetis non credunt, neque, si quis ex mortuis resurrexerit, credent.*[19] Quia Moysi et Prophetis non vere credidit, ideo sic in deliciis secundum carnem pro mundi consuetudine vixit et pro salute aeterna consequenda poenitentiam agere contempsit. *Sine fide autem impossibile est placere Deo;*[20] *Qui... incredulus est..., ira Dei manet super eum;*[21] *Qui... non credit, iam iudicatus est.*[22] Moysi et Aaroni dixit Deus ad aquas contradictionis: *Quia non credidistis mihi..., non introducetis hos populos in terram quam dabo eis.*[23]

Deo et Prophetis non credidit et in deliciis mundi vitam duxit, damnatur.

II. *Homo quidam erat dives... Et erat quidam mendicus.*[24] In duobus istis hominibus aperiuntur nobis mysteria Iacob et Esau, de quibus ait ad Rebeccam Deus, cum infantes colliderentur in utero eius : *Duae gentes sunt in utero tuo et duo populi ex te dividentur, populusque populum superabit, et maior serviet minori.*[25] Duo illi homines duos populos designabant : Iacob populum electorum Dei, et Esau populum reproborum, sicut ait : *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*[26] Per Esau maior populus [designatur], quia plures sunt mali quam boni, carnales quam spirituales, reprobi quam electi, sicut maior ferri copia quam auri, plumbi quam argenti, lapidum quam gemmarum, quam unionum.

In mendico figuratur parvus numerus electorum, in epulone magnus reproborum, sicut in Iacob et Esau,

Ingenium autem utriusque patet in benedictionibus horum fratrum. Nam praeparavit Deus in mundo bona coelestia et terrena, spiritualia et corporalia, aeterna et temporalia, divina et mundana. In benedictione Iacob dicitur : *Det tibi Deus de rore coeli et de pinguedine terrae abundantiam frumenti et vini;*[27] in benedictione vero Esau : *In pinguedine terrae et in rore coeli desuper erit benedictio tua.*[28] In illa praeferuntur terrenis coelestia, in hac autem, e contra,

quia pauci sunt qui cum Iacob bona coelestia quaerunt,

18) Cf. Lc 16, 27-28. 19) Ibid. vrr. 29-31. Vulg.: *Si Moysen et Prophetas non audiunt*, etc. 20) Hebr 11, 6. 21) Io 3, 36. 22) Ibid. vr. 18. 23) Nm 20, 12. 24) Lc 16, 19-20. 25) Gn 25, 23. Vulg. : *Duo populi ex ventre tuo dividentur*, etc. 26) Rom 9, 13. 27) Gn 27, 28. 28) Ibid. vrr. 39-40.

terrena coelestibus. Hoc signum reproborum est,[29] sicut Cain, reproborum primus, terram coluit et civitatem sibi in terra aedificavit.[30] Aliud quoque signum est: nam Iacob internis domi operibus delectabatur, Esau vero externis, maxime autem venatione.[31] Sic electi Dei interioribus spiritualibus studiis delectantur, reprobi autem externis, carnalibus. Et tandem ex nominibus ipsis: nam Esau f a c t u s interpretatur, Iacob autem p l a n t a p e d i s sive c a l c a n e u s, et etiam m e r c e s; sed appellatus sic fuit quoniam nascens *plantam fratris tenebat manu.*[32] Quae quidem mysteria sunt; nam factum dicitur quod perfectum est, cui ultima imposita est manus nihilque aliud addendum est.

multi autem qui cum Esau bona terrena appetunt.

Ecce Esau factus: *Homo quidam erat dives,... induebatur purpura et bysso... epulabatur quotidie splendide.* Hanc mundi felicitatem Esau perfectam reputat, aeternam nihil desiderat, hic aeternum vivere vellet. Iacob vero planta pedis est, infima corporis pars, nihil videtur esse; finem et mercedem aeternamque retributionem praestolatur; non factus est, perficiendus est; plantam fratris tenet manu; cum ille finivisset, tunc coepit iste. Sic hodie, post epulonis finitam in morte felicitatem, coepit felicitas Lazari. Ille mortuus est *et sepultus... in inferno,* hic vero *ab Angelis* portatur *in sinum Abrahae.*

et mundi felicitatem veram et perfectam stulte reputant.

III. Ostenditur in duobus hominibus his quam nobilis sit natura humana cum virtute tantum, licet nullum aliud coniunctum habeat bonum, in Lazaro, in quo nonnisi patientia elucet, sicut in patientissimo Iob in sterquilinio;[32*] et quam vilis eadem sine virtute sit, licet omne aliud bonum possideat, in epulone; ille, sola virtute praeditus, ab Angelis portatus fuit *in sinum Abrahae;* iste, sola virtute destitutus, sepultus fuit *in inferno,* proiectus in vilissimum sterquilinium instar immunditiarum. Vas crystallinum, si integrum sit, licet pulverulentum, magni tamen fit, ita ut per manus nobilissimorum pincernarum regi praesentetur ad bibendum in eo. Vas autem, licet ex eadem crystalli massa, fractum si fuerit, licet in aurea patera aut argentea collocatus sit, in terram tamen proicitur ac nihili penitus

Virtus est unica et vera nobilitas naturae humanae.

29) Ms.: *Hoc reproborum signum* repetitur. 30) Cf. Gn 4, 2. 17. 31) Cf. Ibid. 25, 27. 32) Ibid. vr. 25. 32*) Cf. Iob 2, 8.

fit. Magni fit a Deo homo cum virtute; patet in Adamo ante peccatum,[33] patebit in electis in die iudicii;[33a] cum peccato vero nihili fit; patuit in Adamo post peccatum,[34] patebit in reprobis in finali iudicio.[34a]

IV. Ostenditur in duobus hisce hominibus non tantum duplex naturae humanae status, secundum virtutem et vitium, divinaque erga electos providentia imperscrutabilis, verum etiam duplex status tum in bonis tum in malis: status vitae temporalis in hoc mundo, et status aeternitatis in saeculo futuro. Ecce status temporis in utroque: *Homo quidam erat dives... Et erat quidam mendicus;* uterque finem habuit in morte: *Factum est ut moreretur mendicus,* et: *Mortuus est... dives.* Sed post hanc vitam sequitur status aeternitatis.

In Lazaro et in epulone ostenditur duplex status vitae humanae in hoc mundo et in futuro;

Ostenduntur duo mundi: mundus temporalis et mundus aeternus; mundus plenus temporalibus bonis et malis et mundus plenus aeternis bonis et aeternis malis. Mundus hic noster temporalis est: *Praeterit... figura huius mundi.*[35] Ob solis perpetuum motum nunquam habuit aut habet noster hic mundus perpetuos dies aut perpetuas noctes, perpetuam aestatem aut hiemem; sed tum dies tum nox, tum aestas tum hiems determinatos habent periodos, suos habent terminos quos pertransire non possunt. Dies et aestas est mundi prosperitas; nox et hiems, adversitas. En dies mundanae prosperitatis: *Homo... erat dives,... induebatur purpura et bysso... epulabatur quotidie splendide.* Sed non est dies iste perpetuus, nox ei succedit: *Mortuus est... dives.* Ecce etiam nox adversitatis mundanae: *Erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam divitis ulceribus plenus, cupiens saturari de micis,... et nemo illi dabat.* Sed neque nox ista perpetua est, succedit dies: *Factum est... ut moreretur mendicus.* Hanc rerum vicissitudinem ostendit Abraham dicens: *Recordare, fili, quia recepisti bona* tua *in vita tua et Lazarus similiter mala,* propterea *nunc... consolatur, tu vero cruciaris.*[35a]

In hoc mundo bona et mala temporalia sunt, in futuro utraque aeterna;

Est autem discrimen quod dies quidem mundanae prosperitatis dies est hiemalis, brevis et turbidus nubilusque; nox autem, quae succedit ei, diuturna valde; e contra vero, nox temporalis adversitatis nox est aestivi temporis, brevis valde nec admodum iniucunda,

sed brevi mundanam prosperitatem sequitur aeterna adversitas.

33) Cf. Gn 2, 15 sqq. 33a) Cf. Mt 25, 34-40. 34) Cf. Gn 3, 7 sqq. 34a) Cf. Mt 25, 41 sqq. 35) 1 Cor 7, 31. 35a) Lc 16, 25.

nam calorem refrigerat aestumque immoderatum; dies autem, qui succedit ei, annus veluti est diuturnus valde. Sic diei mundanae prosperitatis subsequitur nox aeternae in inferno adversitatis; nocti autem adversitatis mundanae admodum brevi succedit dies aeternae felicitatis in paradiso, quoniam post hanc vitam non est motus, sed status perpetuus. Hinc Salomon ait: *Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.*[36] Quam diu manebit epulo in inferno cruciandus in flamma? In aeternum. Quam diu Lazarus in sinu Abrahae in paradiso omni consolatione repletus? In aeternum. Infernus et paradisus aeterna loca sunt, sicut coelum et terra in Sacris Litteris aeterna dicuntur: *Terra ... in aeternum stat;*[37] *Statuit ea in aeternum et in saeculum saeculi.*[38] O aeternitatem! o aeternitatem! Virtutis praemium aeterna erit nunquam finitura paradisi gloria in coelo; supplicium item ignis perpetui aeterna erit peccati poena in inferno, nunquam post annorum millia millium habitura finem; perdurabit plura annorum millia gravissima inferni poena quam sint guttae aquae et grana arenae maris et stellae coeli. Non poterit esse transitus a gloria in poenam, neque a poena in gloriam: *Chaos magnum inter nos et vos firmatum est, ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare;*[39] *Ibunt* impii *in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.*[40]

brevi etiam terrenam adversitatem, aeterna felicitas.

V. Ostenditur etiam in hodierno Evangelio quod vitae praesentis status in hoc saeculo est veluti ludus latrunculorum, calculis male dispositis ab eo, qui ludere nescit, ita ut posuerit regem et reginam in loco minimorum peditum, hos vero in loco regis et reginae, equos in loco cylopum[41] sive turricularum; et sic latrunculos omnes confusim absque debito ordine in locis non suis collocavit, ut puer aliquando facere solet nesciens quid faciat. Sed si superveniat qui ludi illius rationem artemque optime noverit, arguet puerum illum dicens: tu nescis quid agas, inepte; latrunculos non recte disposuisti. Ludus sic se habet: ponitur hic quidem rex, hic autem regina, hic cylopes, his locis equi, his tandem pedites et minimi calculi. Sic latrunculos

Valde ergo mundus fallitur virtutem spernens et voluptatem mundanam magni faciens;

36) Eccle 11, 3. Praepositio *ad* ab A. Gramatica in nova edit. Bib. S. expuncta fuit.
37) Eccle 1, 3. 38) Ps 148, 6. 39) Lc 16, 26. Vulg.: *Inter nos et vos chaos magnum,* etc. 40) Mt 25, 46. 41) Vocem hanc in Lexicis a nobis consultis non invenimus. De hoc ludo cf. Du Cange *Glossarium*, sub voce: *Scacci.*

omnes restituit suis locis ludumque totum ordinat et disponit. Ita plane mundus hic male disponit omnia, puer ineptus est, imperitus ludi huius, qui magnum requirit iudicium. Debetur virtuti honor atque voluptas, vitio autem miseria et poena. Animus divina virtute praeditus, rex nobilissimus est; animus autem cupiditatibus vitiorum subiectus, vilissimum mancipium. Posuerat mundus epulonem in loco honoris et virtutis : *Induebatur purpura et bysso;* Lazarum nobilissimum, qui meruit ab Angelis in paradisum deferri, sordidissimo loco constituerat. Male ludum hunc instituerat, male disposuerat. Venit Deus et suis locis restituit omnia : [42] *Factum est ut moreretur mendicus et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae:* ecce locus regis. *Mortuus est . . . dives et sepultus est in inferno.*

Deus enim omnia suis locis restituet.

VI. *Mortuus est . . . dives.* Non omnes divites moriuntur sicut dives iste; nam sanctissimi Patriarchae Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph divites fuerunt; dives Iob, dives David, dives Ezechias et Iosias reges. Sed sunt divitiae mundi huius sicut aquae Aegypti : Hebraeis erant aquae purae, salubres, optimae; Aegyptiis vero instar sanguinis et cruoris erant; in manu hebraei bonae erant, in manu aegyptii malae, pessimae, veluti si quis sanguinem biberet. [43] Sic divitiae in manu hominis spiritualis bonae sunt, ad eleemosynas, ad opera misericordiae, ad pias causas; sed in manu hominis carnalis malae sunt, ad vanitates, ad pompas, ad luxum, ad crapulas, ad ludos, ad facinora; abusus est beneficiorum Dei.

Divitiae per se malae non sunt, nec omnes divites reprobantur, sed ii qui divitiis abutuntur;

Accidit autem divitibus in morte sicut cani venatico, qui multo cursu praedam insectatus, cum tandem post multum laborem comprehenderit eam, supervenit venator et praedam tollit de ore eius. Sic miser canis remanet lassus et sine praeda. Homo multos labores suffert ad acquirendas divitias; cum autem multas sibi compararit, supervenit mors et bonis omnibus eum spoliat atque in extremam aeternamque eum conicit paupertatem. En infelix epulo, qui nec guttam aquae obtinere potest. Sic Aegyptus, post multam abundantiam patitur famem, caritatem, penuriam; [44] Israel autem, post captivitatem miserabilem, asseritur in perpetuam libertatem simul et felicitatem in terra promissionis.

eis reservata est in aeternitate miseranda paupertas.

42) Cf. Mt 17, 11. 43) Cf. Ex 7, 17-19. 44) Cf. Gn 41, 53 sqq.

Mors iustis paradisi porta est, peccatoribus autem inferni.

VII. Ostenditur in hoc Evangelio quod mors his quidem porta paradisi est: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius;* [45] aliis autem est porta inferni: *Mors peccatorum pessima.* [46] Sic nanque Agag, rex Amalecitarum, videns Samuelem evaginato gladio contra se irruentem ad interficiendum ipsum pro Dei voluntate, ait: *Siccine separat amara mors?* [47] Iustus moritur sicut agnus, imo sicut cygnus suaviter canendo. Sic enim Socrates c y g n u s fuit appellatus; [47a] imo quid dico? Christus Dominus noster, *hymno dicto,* [48] abiit in hortum ut a Iudaeis comprehenderetur; impius autem, ut sus immundus, in morte mundum clamoribus replet.

Astute satanas homini immortalitatem non promittit, sed a morte semper procul esse persuadit.

Mortuus est... dives. Existimabat se foedus pepigisse cum morte, [49] credebat se nunquam moriturum. Persuasit satanas parentibus nostris nunquam fore morituros: *Nequaquam... moriemini;* [50] et quidem facile fuit hoc illis persuadere, quia mortem non noverant; nobis autem, quibus iugiter mors ob oculos versatur, quomodo hoc persuadet? Venator cani magno integrum dat panem; habet ille os magnum, facile integrum etiam panem deglutire potest; parvis autem canibus frangit panem, ita ut per partes panem comedant. Sic satanas agit nobiscum: promittit immortalitatem per partes temporis. Nemo enim est qui non sibi vel annum vitae promittat, qui quidem nunquam finitur annus, sicut inscriptio super tabernam: « Non creditur hodie, sed cras credetur »; [51] cras autem istud nunquam venit. Sic ex satanae persuasione homo, maxime autem carnalis et animalis, qui *spiritum Christi non habet,* [51a] nec capit *quae sunt Spiritus Dei,* [52] aeternam per partes immortalitatem sibi promittit. Sed nil iuvit epuloni haec promissio.

In epulone ostenditur infinita Dei iustitia contra impios et in mendico bonitas erga bonos.

Sunt in hodierno Evangelio duae singulares et illustres demonstrationes: altera quidem divinae iustitiae, severae admodum et rigorosae in epulone; altera vero divinae bonitatis et misericordiae in Lazaro. In illa est imago totius inferni, in hac figura totius paradisi. Simile quid accidit in duobus servis Pharaonis: in pistore qui periit, et in pincerna qui salvatus fuit. [53] Et quid etiam simile in electione Iacob et reprobatione Esau, quod cum cognovisset Isaac,

45) Ps 115, 15. 46) Ps 33, 22. 47) 1 Rg 15, 32. 47a) Cf. Plato *Phaedon*, vol. 1, f. 25b. 48) Mt 26, 30; Mc 14, 26. 49) Cf. Is 28, 15. 18. 50) Gn 3, 4. 51) Adagium nostris quoque diebus apud tabernarios vulgatissimum. 51a) Rom 8, 9. 52) 1 Cor 2, 14. 53) Cf. Gn 40, 1-22.

obstupuit *stupore vehementi, et, ultra quam credi potest,* [54] miratus fuit. Sic mirabilis valde in his est divina providentia.

VIII. *Homo quidam erat dives.* In hodierno Evangelio proponitur duplex hominis status: alter quidem temporalis, alter vero aeternus; imo duplex mundus: unus temporalis in hoc saeculo, alter aeternus post hoc saeculum, et in utroque bona et mala, sicut in mundo hoc videmus lucem et tenebras, noctem et diem, aestatem et hiemem. Sed in hoc mundo tum bona tum mala cito finiuntur; in altero vero nunquam habitura sunt finem. Mors autem porta ostenditur per quam homo ex hoc mundo in alterum ingreditur, ubi aeternum mansurus est.

Ostenditur etiam duplex status hominis in hoc mundo, ubi bona et mala cito finiuntur,

Mortuus est . . . dives et sepultus est in inferno. Mundus hic constat coelo et terra; alter vero, paradiso et inferno. Lazarus collocatus est in paradiso, ut homo virtutis causa totus coelestis; dives autem in inferno, ut homo carnis affectu totus terrenus. Habitatores mundi huius sunt vel divites vel pauperes, nobiles et ignobiles; habitatores vero alterius mundi sunt Angeli et daemones, electi similes Angelis: *Erunt sicut Angeli Dei;* [55] reprobi sicut daemones: *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius.* [56] In hoc mundo magnum est interstitium inter coelum et terram; ita etiam in altero: *Inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.* In nostro hoc mundo est quidem in coelo perpetua claritas, splendor, lux pulcherrima, optima, suavissima; in terra autem eiusque visceribus, perpetua obscuritas et horribiles tenebrae, absque ulla vel minima luminis scintilla. Ita in altero mundo, in paradiso quidem perpetua est consolatio, absque vel minima unquam animi perturbatione; in inferno autem aeternus cruciatus, sine ulla vel minima consolatione: *Recordare, fili, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Quare infelix dives ad linguam refrigerandam nec minimam guttam aquae obtinere potest ab Abrahamo patre: *Pater Abraham, . . . mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti,* etc. [57]

et duplex in futuro, paradisus et infernus,

ubi utraque aeterna sunt.

54) Ibid. 27, 33. 55) Mt 22, 30. 56) Ibid. 25, 41. *Discedite a me, maledicti,* etc. 57) Lc 16, 24.

Non omnes divites pereunt, sed avari, impii et immisericordes;

IX. *Mortuus est dives.* Non omnes divites pereunt, nam etiam Abraham dives fuit; sed qui non fuerit *in Deum dives*, [58] nam contra divites avaros Dominus historiam hanc hodie adduxit. Quare hodiernum Evangelium admonet divites ut pii sint et misericordes, alioquin: *Iudicium sine misericordia ei qui non facit misericordiam.* [59] Patet hodie in damnato divite. Hinc P a u l u s *Timotheo* scribit: *Divitibus huius saeculi praecipe non sublime sapere neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui praestat nobis omnia abunde ad fruendum: bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* [60]

divitiae enim Dei dona sunt ad bonum hominis data; impii autem iis abutuntur et sibi damnationem acquirunt.

Mortuus est... dives et sepultus est in inferno. Quidnam in causa fuit damnationis ipsius? Ipse sibi. Hoc est quod eum acerbissime discruciat in inferno, iuxta proverbium illud: « Bis perit qui suis armis perit », [61] sicut periit Absalom capillis suis. [62] Homo qui sibiipsi mali alicuius in causa fuit, ut nonnisi seipsum culpare possit, multo magis affligitur et acerbius animo discruciatur; ipse seipsum veneno infecit. Accepit a Deo divitias multas, Dei utique dona et beneficia, ut his veluti funibus de coelo ad eum demissis traheretur in coelum, sicut Ieremias funibus de lacu extractus fuit. [63] Sed ipse ex his funibus laqueum sibi paravit et seipsum suspendit, sicut Achitophel, [64] sicut Iudas proditor, [65] sicut Saul proprio gladio seipsum interfecit et armiger eius. [66]

quia ad propriam ipsorum voluptatem, non ad opera misericordiae divitias convertunt.

Mortuus est dives. Per A m o s prophetam Dominus ait: *Vae, qui opulenti estis in Sion et confiditis in monte Samariae; optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel!* [67] Quam ob causam comminatur eis *vae? Qui separati estis in diem malum et appropinquatis solio iniquitatis,* [68] idest ubi punitur iniquitas. Sed cur puniendi sunt? Quid fecerunt? quae ipsorum iniquitas? *Qui dormitis,* inquit, *in lectis eburneis et lascivitis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege et vitulum de medio armenti, qui canitis ad vocem psalterii... bibentes vinum in phialis et optimo unguento delibuti, et nihil*

58) Lc 12, 21. 59) Iac 2, 13. Vulg.: *Illi qui non fecit*, etc. 60) 1 Tim 6, 17-19. 61) « Bis interimitur qui suis armis perit ». L. A. Senecae et P. Syri Mimi *Sententiae*, pag. 5. 62) Cf. 2 Rg 18, 9. 63) Cfr. Ier 38, 6-13. 64) Cf. 2 Rg 17, 23. 65) Cf. Mt 27, 5; Act 1, 18. 66) Cf. 1 Rg 31, 4-6. 67) 6, 1. 68) Ibid. vr. 3.

patiebantur super contritione Ioseph. [69] Omni, inquit, misericordia et caritate destituti sunt; ideo separati sunt *in diem malum* et appropinquant *solio iniquitatis.* Sic dives hodie.

In mundo hoc nostro aequale est tempus lucis tempori noctis et tenebrarum, sicut in aequinoctiis aequales sunt noctibus dies et diebus noctes; ita, si ex toto anno sumatur totum tempus dierum et tempus noctium, erunt aequalia; ita in altero mundo aeterna ac nunquam finem habitura est poena inferni. **Poena inferni aeterna est.**

Proponuntur duo homines: alter bonus, et alter malus; sicut duo gladii: alter bonus, sed in vili vagina; alter malus, totus ferreus, aeruginosus, sed in vagina auro argentoque ornata, quae tamen gladium nihilo meliorem facit, sicut nec vagina vilis optimum gladium nihilo peiorem. Bonus miles iudicio praeditus, cum hoste in arenam descensurus, ut manus cum eo conserat, vaginam non curat, gladium optimum quaerit. Ita Christus hodie non epulonem, sed Lazarum laudat. **ideo in hoc mundo mala praeferenda sunt, quia per ea aeterna bona in coelo comparantur.**

Mortuus est . . . dives. Sicut phoenix ardet et comburitur lignis, quae ipsa congregavit, [70] sic dives iste. Ostenditur hodie quod abusus divitiarum hominem damnat. Proponuntur autem duo genera divitiarum: corporalium et spiritualium; divitiae spirituales sunt: *Habent Moysen et Prophetas: audiant illos.* [71] **Abusus divitiarum hominem perdit.**

ALIA HOMILIA

Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso et epulabatur quotidie splendide. [1]

I. Ecce in hodierno Evangelio mysteria Abel et Cain, Isaac et Ismael, Iacob et Esau, mysterium duorum servorum regis Aegypti in carcere cum Ioseph, quorum alter educitur et vocatur ad regale palatium, alter vero eductus de carcere ducitur ad patibulum; [1a] mysterium item Moysi et Pharaonis, Davidis et Saulis. Est hodiernum Evangelium sicut liber cum septem sigillis. [2] Nam in eo agitur de vir- **In hodierno Evangelio septem continentur mysteria tum quoad divitem tum quoad mendicum;**

69) Ibid. vrr. 4-6. 70) Cf. Plinius *Historia Naturalis*, lib. 10, cp. 2, pag. 107.
71) Lc 16, 29.

1) Lc 16, 19. 1a) Cf. Gn 40, 5 sqq. 2) Cf. Apc 5, 1.

tute, quae in septem dividitur capita, sicut aureum candelabrum septem habebat lucernas,[3] et agnus in *Apocalypsi* septem cornua et septem oculos.[4] Agitur etiam de vitio, quod similiter in septem dividitur capitalia vitia, sicut in *Apocalypsi* draco septem habebat capita.[5]

quoad divitem: reprobatio, naturalis conditio, privatio gratiae,

In hodierno autem Evangelio septem pertractantur mysteria tum in divite tum in paupere. In divite quidem primo, mysterium reprobationis et praescientiae divinae, nam ipse est Esau odio habitus.[6] Secundo, mysterium naturalis conditionis, nam erat homo *ad imaginem et similitudinem*[7] Dei conditus. Tertio, privatio nominis: homo sine nomine est, non cognoscitur a Deo ex nomine; privatio autem nominis privationem gratiae et amicitiae Dei significat, nam Moysi dixit: *Novi te ex nomine, invenisti gratiam in oculis meis.*[8] Quarto, fortuna mundi huius: *Erat dives, . . . induebatur purpura et bysso,* dives erat, princeps erat. Quinto, vita sensualis et carnalis, Dei spiritu et virtute omni destituta: *Epulabatur quotidie splendide,* homo erat in deliciis vivens, voluptatum amator magis quam Dei,[9] in carne vivebat et secundum carnem militabat.[10] Sexto, finis vitae:

fortuna mundi, vita sensualis, mors pessima et poena aeterna;

« Mors ultima linea rerum »[11]

in hoc mundo: *Mortuus est . . . dives.* Septimo tandem, poena infernalis et supplicium aeternum in igne inextinguibili: *Sepultus est in inferno . . . Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis . . . Quia crucior in hac flamma.*[12]

quoad mendicum: praedestinatio, naturalis conditio, gratia divina,

In mendico etiam elucent septem mysteria. Primo quidem, mysterium aeternae praedestinationis et electionis, quoniam ipse est Iacob dilectus,[13] vas in honorem,[14] de numero electorum Dei,[15] stella inter stellas coeli,[16] gemma in pectore summi sacerdotis Dei,[17] de numero ovium.[18] Secundo, mysterium naturae humanae, nam ipse quoque homo, non Angelus natura fuit, sicut epularum amator dives, natura homo, non daemon; erat etiam mendicus, sicut et dives, filius Adam, ex eadem massa formatum vas.[19] Tertio, mysterium gratiae et amicitiae Dei: cognoscebatur ex nomine: *Erat quidam mendicus*

3) Cf. Ex 25, 37; 37, 17-23. 4) Cf. 5, 6. 5) Cf. 12, 3; 13, 1. 6) Cf. Mal 1, 3; Rom 9, 13. 7) Gn 1, 27. 8) Ex 33, 12. Vulg.: *Invenisti gratiam coram me.* 9) Cf. 2 Tim 3, 4. 10) Cf. 2 Cor 10, 3. 11) Horat. *Epistolarum*, lib. 1, epist. 16, vr. 79. 12) Lc 16, 22-24. 13) Cf. Mal 1, 3. 14) Cf. Rom 9, 13. 15) Cf. Mt 20, 16; 24, 22; Apc 17, 14. 16) Cf. Dn 12, 3. 17) Cf. Ex 28, 6-30. 18) Cf. Mt 25, 32-33; Io 10, 15-27. 19) Cf. Rom 9, 21.

nomine Lazarus, nomen habens ab auxilio, gratia nanque in nobis divinum auxilium et adiutorium est. Quarto, mysterium miserabilis fortunae: *Erat... mendicus...*, *iacebat ad ianuam divitis*, *ulceribus plenus;* erat sicut beatus Iob in sterquilinio[20] ab omnibus derelictus: *Nemo illi dabat*, solum Deum adiutorem habebat qui angelico dignus erat ministerio et famulatu. Quinto, mysterium est probatae virtutis: patienter sicut Iob[21] statum infelicissimae calamitatis et miseriae aequo semper animo tolerabat, nec nisi *de micis, quae cadebant de mensa divitis*,[22] saturari cupiebat. Sexto, mysterium sanctae et beatae mortis: *Factum est... ut moreretur mendicus; Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius;*[23] *Beati mortui qui in Domino moriuntur... Amodo iam dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis.*[24] Septimo tandem, mysterium aeternae felicitatis in praemium virtutis: *Et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae*, ubi perpetuo consolatur, sicut epulo in inferno perpetuo cruciatur: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae.*[25] Sic verum apparet quod Paulus ait: *Id enim, quod in praesenti est, momentaneum et leve tribulationis nostrae supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quae videntur*, idest bona vel mala mundi huius, *sed quae non videntur*, bona vel mala saeculi futuri; nam, inquit: *Quae... videntur temporalia sunt, quae autem non videntur aeterna sunt.*[26] Bona mundi huius in divite et mala in mendico temporalia extitere, utraque enim in morte finem acceperunt; sed quae non videntur in hac vita, sed post hanc vitam sequuntur, gloria paradisi in Lazaro et poena inferni in divite, aeterna sunt, nunquam habitura finem.

mundi adversitas, vita virtuosa,

mors beata, aeterna felicitas.

Haec igitur summatim dicta mysteria sunt, quae in hodierno Evangelio meditanda proponuntur, ut in eis inspiciamus erga homines tum divinam providentiam tum etiam magnitudinem misericordiae et iustitiae.

II. De Deo etiam in hodierno Evangelio septem mysteria reserantur. Primum est imperscrutabilis ratio iudiciorum Dei in mundi

Etiam quoad Deum septem mysteria:

20) Cf. Iob 2, 7. 21) Cf. ibid. 1, 21-22; 2, 10. 22) Lc 16, 21. 23) Ps 115, 15.
24) Apc 14, 13. 25) Iac 1, 12. 26) 2 Cor 4, 17-18. Vulg.: *Quae enim videntur temporalia*, etc.

imperscrutabilis ratio divinae providentiae,

providentia erga bonos et malos, de qua tamen iudicandum non est, nisi fine inspecto, sicut non est iudicandum de fructibus arboris ante maturitatem, nam uva acerba est et ficus insipidissima ante maturitatem; nec iudicandum est de pictore aut sculptore, nisi absoluto opere et ultima iam imposita manu. Providit tamen Deus abundanter necessaria omnia ad utranque vitam: ad corporalem, divitias, victum, vestitum; ad spiritualem: *Habent Moysen et Prophetas: audiant illos;* [27] providit poenitentiam salutarem post peccatum, de qua dives hodie: *Si quis ex mortuis ierit ad eos, poenitentiam agent;* [28] providit fidem: *Si Moysen et Prophetas non audiunt, neque, si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* [29] Secundum mysterium, est bonitatis divinae, de qua Paulus: *An divitias bonitatis... et patientiae et longanimitatis* eius *contemnis? Ignorans quod benignitas Dei ad poenitentiam te expectat?* [30] Tertium, est irae Dei contra obstinatum et impoenitentem: *Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei.* [31] Patet utrunque in epulone. Quartum, est odium Dei contra vitium quodcunque et peccatum, licet minimum videatur. Quintum, est pretium virtutis summum apud Deum; sola enim virtus, absque ullo alio ornamento, elucet in epulonis anthagonista Lazaro, sicut aurum aut gemma in crumena ex vili tela; vitium autem in epulone est sicut stercus in argentea aut aurea patera, quod, si principi praesentetur, magna indignatione commotus proicit etiam cum vase ipso magna cum ira. Sextum, est quali quantoque praemio Deus virtutem coronat. Septimum, quali quantoque supplicio vitium mulctat.

bonitas in expectando et eius ira contra obstinatos,

odium contra peccatum, aestimatio virtutis eiusque praemium et summum vitii supplicium.

Nobis autem quam maxime considerandae sunt mutationes status et fortunae in utroque homine et causa talis tantaeque mutationis inspicienda.

27) Lc 16, 29. 28) Ibid. vr. 30. 29) Ibid. vr. 31. 30) Rom 2, 4. Vulg.: *Te adducit.* 31) Ibid. vr. 5.

FERIA SEXTA DOMINICAE SECUNDAE QUADRAGESIMAE

Homo erat paterfamilias qui plantavit vineam et sepem circumdedit et fodit in ea, etc. [1]

Ostenditur perversitas et ingratitudo Iudaeorum contra infinitam Dei bonitatem.

I. Flebilis et miseranda tragoedia irreparabilis ruinae reipublicae Iudaeorum ac totius synagogae ostenditur in hodierno Evangelio : *Malos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis;* [2] *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius.* [3] In causa autem asseritur summa tum iniustitia tum ingratitudo et impietas. Ante omnia vero ostenditur summa et infinita bonitas Dei summaque eius in homines beneficientia. Magnus benefactor : *Homo erat paterfamilias;* magnum beneficium : *Plantavit vineam;* magna ingratitudo agricolarum et, tandem, magna punitio : *Malos male perdet.*

Deus vere pater est, propter summam erga nos caritatem.

Magnus benefactor : *Homo erat paterfamilias.* De Deo loquitur, quem appellat *hominem* propter infinitam humanitatem : *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei;* [4] *An divitias bonitatis Dei contemnis ?* [5] Hinc Deus saepe Patriarchis et Prophetis in humana specie apparuit. Mundus erat homo ter maximus, [6] sicut homo parvus mundus. [7] *Pater* autem *familias* dicitur propter mundi creationem, maxime Angelorum et hominum, propter providentiam universi et propter infinitam erga nos caritatem. Deus nanque in mundo est sicut Noe in arca, in qua totus asservabatur mundus. De Noe

1) Pericope huius diei Mt 21, 33-46. Cf. Missale Rom. 2) Ibid. vr. 41. 3) Ibid. vr. 43. 4) Tit 3, 4. Vulg.: *Benignitas et humanitas apparuit*, etc. 5) Rom 2, 5. 6) Ms. : *Homo erat mundus ter maximus*. Evidens est lapsus S. Auctoris. 7) Philo Iudaeus : « Hoc est quod quidam ausi sunt universo mundo aequare hominem, cum viderent utrumque constare ex corpore et rationali anima, ut permutatis nominibus hominem quidem mundum parvum, mundum vero magnum hominem dicerent ». *Quis rerum divinarum heres*, t. 1, pag. 433; Macrobius : « Physici mundum magnum hominem et hominem brevem mundum esse dixerunt ». *Comment. in Somnium Scipionis*, lib. 2, cp. 12, pag. 145.

autem singulariter dicitur quod *plantavit vineam;* [8] sic *homo* iste *paterfamilias* vineam plantavit.

n qua omnia et maxima beneficia defluunt.

A magno benefactore magnum beneficium, sicut a magno fonte magnus fluvius, a magno igne magnus calor, a magno sole magnum lumen. Nonnisi magna beneficia Deus praestare novit: Salomoni magnam dedit sapientiam; [9] Davidi, cum pastor ovium esset, magnum regnum; [10] Moysi magnum israelitici populi principatum, magnam faciendi miracula potestatem; [11] Aaroni magnum sacerdotium summumque pontificatum, ut totius synagogae hierarcha esset; [12] Abrahamo magnas divitias magnamque posteritatem, [13] Ioseph magnum totius potentissimi regni Aegypti principatum; [14] Adamo mundi totius dominium et imperium: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; et dominetur piscibus maris et volatibus coeli et bestiis universaeque terrae.* [15] Sic hodie magnum hominibus contulit beneficium, dum vineam eis locavit.

Sub figura vineae magnae et optime instructae synagoga Iudaeorum proponitur.

II. Sed qualem vineam? Quam manibus suis ipse plantavit, sicut ab initio paradisum deliciarum, [16] sicut Noe vineam suam. Nec tantum plantavit, sed et munivit: *Sepem circumdedit ei, fodit... torcular, aedificavit* in ea *turrim,* [17] praestitit omnia quae in regia vinea requiruntur; unde per Isaiam ait: *Quid... ultra debui facere vineae meae et non feci?* [18] Unum tantum deesse videri potest, nam aquae nulla fit in hac vinea mentio; in regiis autem vineis fontes fiunt et piscinae; sed fontes huius vineae nubes erant, quibus pater iste familias imperare poterat. Sic enim in Isaia ait: *Mandabo nubibus* desuper *ne pluant super vineam imbrem.* [19] Vinea igitur erat magna et optime instructa, ex optimis propaginibus plantata, sicut per Isaiam dicitur: *Plantavit eam electam.* [20] Sic etiam per Ieremiam: *Ego... te plantavi vineam electam, omne semen verum;* [21] plantata in optimo fundo: *Vinea fuit dilecto meo in cornu filio olei,* [22] hoc est in colle pingui, aprico, amoeno; vinea magna valde, de qua

8) Gn 9, 20. 9) Cf. 3 Rg 3, 11-12. 10) Cf. 1 Rg 16, 11-13. 11) Cf. Ex 3, 10 sqq. 12) Cf. ibid. 28, 1 sqq. 13) Cf. Gn 15, 18-21. 14) Cf. ibid. 41, 37-46. 15) Ibid. 1, 26. Vulg.: *Praesit piscibus,* etc. 16) Cf. ibid. 2, 8-13. 17) Mt 21, 33. 18) 5, 4. Vulg.: *Quid... debui ultra,* etc. 19) Ibid. vr. 6. Vulg.: *Nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* 20) Ibid. vr. 2. 21) 2, 21. Vulg.: *Ego... plantavi te,* etc. 22) Is 5, 1. Vulg.: *Vinea facta est,* etc.

Regius Vates: *Vineam de Aegypto transtulisti, eiecisti gentes et plantasti eam;... plantasti radices eius, et implevit terram; operuit montes umbra eius, et arbusta eius cedros Dei; extendit palmites suos usque ad mare et usque,* etc.[23]

Magna res vinea haec, quoniam: *Vinea... Domini exercituum domus Israel est;*[24] magna res, quoniam regnum Dei designat. Hinc aperiens Christus et exponens parabolam, ait: *Auferetur a vobis regnum Dei.* Cum igitur vineam collocavit agricolis, regnum eis dedit, totius reipublicae administrationem fidei eorum credidit, principes, pastores, episcopos constituit; nam ad principes Iudaeorum dixit parabolam hanc Christus, sicut ipse Evangelista testatur: *Cum audissent principes sacerdotum et Pharisaei parabolam, cognoverunt quod de ipsis diceret;*[25] ipsi enim erant Moysi et Aaron successores, quibus primo Deus vineam synagogae locavit principesque populi constituit: *Scribae* autem *et Pharisaei sederunt super cathedram Moysi.*[26] Innumeris beneficiis a Deo cumulata;

Sed tali tantoque beneficio percepto a Deo, tali tantoque regno donati, responderunt ei mala pro bonis, sicut Lucifer, sicut Adam,[27] sicut Saul,[28] sicut Ieroboam.[29] *Cum,* inquit, *tempus fructuum appropinquasset,* cum, plantata iam vinea hac, in terra promissionis radices egisset, cum Iudaeorum respublica iam stabilita esset regnumque firmatum, *misit* ad eos *servos suos* Prophetas, ut perciperent *fructus eius,*[30] fructus utique religionis et pietatis, fructus bonorum operum iuxta praescriptum divinae legis. *Agricolae,* boni viri, *apprehensis servis eius, alium ceciderunt, alium lapidaverunt, alium occiderunt.*[31] Misit pater familias, pro infinita sua bonitate, ut agricolas humanitate et benignitate sua vinceret, *misit,* inquam, *alios servos plures prioribus;* agricolae autem, tali tantaque humanitate nihilo meliores facti, sed, ut prius, iniqui, *fecerunt illis similiter.*[32] per servos semel et iterum missos in vineam Prophetae figurantur, a synagoga vexati et interfecti;

Princeps autem tali tantaque iniuria iterum lacessitus, parcere adhuc paratus est agricolis hanc iniuriam, adhuc vult tentare an benignitate sua vincere eos possit. Sed, o Deus! quaenam haec tua patientia et longanimitas? Nimia est, vere nimia. Cum viris inhumanis, agrestibus, vere rusticis et paganis negotium tibi est, qui per filium autem Iesus Christus indicatur, a Iudaeis occisus.

23) Ps 79, 9-12. 24) Is 5, 7. 25) Mt 21, 45. Vulg.: *Parabolas... cognoverunt,* etc.
26) Ibid. 23, 2. Vulg.: *Super cathedram Moysi sederunt,* etc. 27) Cf. Gn 3, 6.
28) Cf. 1 Rg 13, 9 sqq.; 15, 8 sqq. 29) Cf. 3 Rg 12, 26 sqq. 30) Mt 21, 34.
31) Ibid. vr. 35. Vulg.: *Alium ceciderunt, alium vero lapidaverunt,* etc. 32) Ibid. vr. 36.

humanitate non vincuntur. Tamen Deus, *qui dives est in misericordia,* ut Paulus ait, *propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos,* [33] *novissime ... misit Filium suum dicens: Verebuntur* forte *filium meum,* [34] ut agricolas humanitate vinceret, non fuit veritus unicum Filium suum in discrimen adducere. Nihil tamen cum illis profecit; nam: *Agricolae ... videntes filium dixerunt ...: Hic est heres: venite, occidamus eum et habebimus hereditatem eius. Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam et occiderunt.* [35] O summam ingratitudinem, o summam iniquitatem, o impietatem! Profecerunt in iniquitate semper in peius, quousque ad summum iniquitatis pervenerunt.

Sub figura regis optimi, qui pro maximis beneficiis maxima ingratitudine rependitur,

III. Quoniam vero vineam hanc Christus etiam *regnum Dei* appellat, clariori exemplo poterit summa haec ingratitudo agnosci. Habet imperator plura regna. Vocat aliquos ex equitibus et heroibus suis datque eis regni alicuius regimen et administrationem: instituit hunc quidem praefectum et pro–regem, alium magistrum equitum, alium imperatorem militiae, alios iudices et consiliarios, alios thesaurarios regni. Data illi fide atque iurata, accipiunt regni administrationem. Magnum profecto a rege beneficium ratione tum honoris et dignitatis, tum etiam emolumenti. Boni autem viri, accepto regno, perceptis regiis tributis atque proventibus, regi nil mittunt. Mittit imperator ministros pro percipiendis tributis; illi dare nolunt, sed regios ministros male tractant et de medio tollunt. Mittit imperator alios ministros; similiter faciunt. Mittit tandem filium suum, totius imperii principem et heredem; ipsum quoque interimunt. Quot hic sunt crimina! Quanta facinora!

adhuc magis ostenditur Iudaeorum ingratitudo erga Dei beneficia:

Sic accusat Christus summam Iudaeorum in Deum ingratitudinem et impietatem ob violatam religionem neglectumque Dei cultum et pietatem, ob occisos Prophetas et tandem Messiam ipsum unigenitum Filium Dei. Sic nanque vaticinatus est hodie Christus de passione et morte sua et simul praedixit futuram regni et reipublicae Iudaeorum totiusque synagogae irreparabilem ruinam: [36] *Quid igitur faciet dominus vineae agricolis illis?... Malos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis... Auferetur a vobis regnum Dei.* Ecce severum quidem, sed tamen iustissimum iudicium Dei contra Iudaeos: *Malos*

33) Eph 2, 4. 34) Mt 21, 37. 35) Ibid. vrr. 38-39. 36) Cf. ibid. vrr. 43-44.

male perdet, quoniam supra modum displicet Deo hominum malitia et ingratitudo. Per Isaiam Deus minatur etiam vineae devastationem: Quoniam, inquit, *expectavi ut faceret uvas, fecit autem labruscas.... ostendam vobis quid ego faciam vineae meae: auferam sepem eius, et erit in direptionem; diruam maceriam eius, et erit in conculcationem,... non putabitur et non fodietur et ascendent* super eam *vepres et spinae, ponam eam desertam, et nubibus mandabo* desuper *ne pluant super eam imbrem.* [37]

ob quam Christus futuram synagogae eversionem vaticinatur.

Christus autem hic dicere videtur quod vinea non devastanda erat, sed tantum aliis agricolis danda, male perditis prioribus. Divus Paulus ad *Romanos* idem tractans argumentum, declarare visus est quomodo vinea destructa sit et non destructa, hoc est quomodo, funditus eversa synagoga veteri, nunc Ecclesia eadem sit quae antiquitus erat, una eademque. [38] Utitur Paulus similitudine arboris olivae, qua etiam usus fuit Ieremias appellans synagogam *olivam uberem* et *speciosam*, sed quae postea igne exarsa sit, nec nisi truncus remanserit. [39] Sic et Paulus olivae huius praecisos dicit naturales ramos et fractos, insertos autem in eam, contra naturam, oleastros. Huiusmodi autem arbor eadem est quae prius erat, et non eadem: eadem propter radicem eandem; non eadem propter ramos diversos. Sic eadem est Ecclesia propter eandem fidem Patriarcharum in Apostolis et, post eos ac per eos, in nobis; et non eadem ratione populi, quia reprobatus est populus Iudaeorum et electus populus Gentium. Isaias devastandam dixit synagogam propter populum, qui abiciendus erat a Deo et repellendus propter incredulitatem et perfidiam. [40] Christus autem mansuram dixit Ecclesiam propter fidem, [41] quae eadem est: in eundem Christum credimus, eundem Deum colimus et adoramus, quem olim Patriarchae et Prophetae omnesque Sancti et electi Dei. Ait igitur Christus: *Auferetur a vobis regnum Dei*, idest vera fides, verus Dei cultus, vera Ecclesia fidelium Dei.

Non tamen penitus destructa synagoga fuit, sed in Ecclesiam transmutata est,

et reprobato ingratissimo iudaico populo electus Gentium populus successit,

Nec tantum hoc, verum etiam: *Malos*, inquit, *male perdet*. Quis non videt miserandam infelicitatem populi Iudaeorum, synagogae rui-

37) 5, 4-6. Vulg.: *Et fecit labruscas... erit in conculcationem, ponam eam desertam; non putabitur*, etc. 38) Cf. 11, 16-24. 39) 11, 16. 40) Cf. 5, 8 sqq. 41) Cf. Mt 16, 18; 28, 18 sqq.

et synagoga facta est sicut terra sterilis et maledicta.

nam, utique in punitionem impiae iniquitatis et ingratitudinis in Deum? Fecit Deus hominem ex terra nondum maledicta,[42] ut esset homo sicut terra bona, quae seminatori largo plane fenore et usura reddit fructum centuplum. Sed synagoga fuit Deo sicut terra maledicta, quae nonnisi tribulos et spinas germinat.[43] Paulus autem ad *Hebraeos* ait quod terra, quae profert *spinas et tribulos, reproba est et maledicto proxima, cuius finis in combustionem.*[44]

Sub hac parabola ostenduntur etiam maxima Dei erga nos beneficia;

IV. Nos etiam, fratres, experti sumus Deum erga nos summum benefactorem; nam: *Quid... habes,* homo, *quod non accepisti?*[45] Omnia corporis membra, omnes sensus exteriores, interiores potentiae animae nostrae Dei dona, gratiae et beneficia sunt. Experti sumus erga nos summam Dei providentiam, quae in necessariis non deficit, ut in hac vinea manifestum est; nam plantavit optimas propagines in optimo fundo, providit sepem, torcular, turrim, agricolas, quidquid vineae necessarium est ad utilitatem, ad conservationem. Sic nobis providit quaecunque necessaria sunt tum corpori tum animae: corpori quidem in hoc mundo, animae vero in Ecclesia per divina Sacramenta, per sacram doctrinam, quod est agricolarum opus, per sanctam orationem, quae per turrim designatur, sicut Salomon ait: *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam curret iustus et exaltabitur.*[46] Sic in hodierna parabola per turrim designatur templum Domini, domus Dei, locus orationis.

cavendum ergo nobis est ne ob eandem ingratitudinem eandem ruinam incurramus.

Caveamus, fratres, ne Deo pro bonis mala reddamus. Nam de similibus idem iudicium est.[47] Si impiis et ingratis Iudaeis similes in culpa fuerimus, profecto similes etiam poenas dabimus et supplicia luemus. Vaticinatus est hodie Christus non solum de iusta punitione Iudaeorum, verum etiam quorumcunque peccatorum, dicens: *Qui ceciderit super lapidem hunc, confringetur; super quem vero ceciderit* lapis, *conteret eum.*[48] Alludere videtur ad lapidem Danielis, qui statuam Nabuchodonosor percussit cadens de excelso monte.[49] Per casum autem hunc adventus Christi ad iudicium designatur, per vasa autem

42) Cf. Gn 2, 7. 43) Cf. ibid. 3, 18. 44) 6, 8. Vulg.: *Cuius consummatio in combustionem.* 45) 1 Cor 4, 7. 46) Prv 18, 10. Ex hebraico. Vulg.: *Ad ipsum currit,* etc. 47) Axioma philosophicum, de quo cf. etiam S. Beda *Sententiae philosophicae ex Aristot. collectae* (spuria), (P. L. 90, 990). 48) Mt 21, 44. Vulg.: *Super lapidem istum,* etc. 49) Cf. 2, 45.

figulina, quae facile confringuntur ac conteruntur, si lapis magnus ex alto super ea cadat, peccatores designantur, quorum omnino irreparabilis erit post iudicium ruina, si tunc damnentur. Ex his autem duobus Christi vaticiniis in hodierno Evangelio, alterum contra Iudaeos iam impletum oculis cernimus; sic et alterum certo certius implebitur contra peccatores omnes, malos et ingratos.

Ingratitudo maxime concitat iram Dei.

Animi gratitudinem Deus a nobis quam maxime requirit. Hinc Paulus ad *Colossenses* ait: *Super omnia... caritatem habete, quod est vinculum perfectionis, et pax Christi exultet in cordibus vestris... et grati estote.* [50] Tria haec super omnia a nobis Paulus requirit, quoniam haec Deo gratissima sunt. Moyses in suo *Deuteronomio* Iudaeos quam maxime ingratitudinis accusat: *Peccaverunt,* inquit, *ei, et non filii eius in sordibus, generatio prava atque perversa. Haeccine reddis Domino, popule stulte et insipiens? Nunquid non ipse est Deus tuus, qui possedit... et fecit et creavit te?* [51] Et iterum: *Incrassatus est dilectus et recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo. Deum, qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui. Vidit Dominus et ad iracundiam concitatus est... et ait: Abscondam faciem meam ab eis et considerabo novissima eorum; generatio enim perversa est, et infideles filii... Ignis succensus est in furore meo et ardebit usque ad inferni novissima devorabitque terram cum germine suo et montium fundamenta comburet. Congregabo super eos mala et sagittas meas complebo in eis.* [52] Sic multa minatur in punitionem ingratitudinis et impietatis. Caveamus igitur, fratres, quoniam etsi, ut in hodierno Evangelio manifestum est, «lento gradu divina incedit ira» [53] – unde etiam in diebus Noe *videns... quod multa malitia hominum esset in terra,* [53a] nihilominus ad puniendos eos expectavit tempus centum annorum, si forte resipuissent, [54] – tamen, cum ad nos pervenerit, consummationem facit, terribilis valde est: *Malos male perdet.*

quae, si tarda, certa tamen est e[illegible]lis.

Beneficia ab ingratis ablata Deus misericors aliis elargitur.

Ostenditur infinita Dei bonitas in magnitudine beneficiorum, infinita misericordia in patientia iniuriarum, et infinita iustitia in punitione tandem peccatorum: *Malos male perdet.* Sed tamen: *Vineam suam locabit aliis agricolis;* hoc etiam opus misericordiae est. Tulit

50) 3, 14-15. 51) 32, 5-6. Vulg.: *Nunquid non ipse est pater tuus,* etc. 52) Ibid. vrr. 15-23. 53) Valerius Maximus *Dictorum Factorumque,* lib. 1, cp. 1, f. 9b. 53a) Gn 6, 5. 54) Cf. ibid. vr. 3; 7, 6. 10-11.

Deus regnum a Saul et dedit Davidi; [55] tulit divitias a Labano et dedit Iacob; [56] tulit terram Chananaeis et dedit Hebraeis, [57] sicut Assuerus tulit diadema regni a regina Vasthi et dedit Esther; [58] tulit arcam de tabernaculo Moysi, collocavit in templo Salomonis; [59] benedictionem Esau dedit Iacob; [60] divitias Aegyptiorum dedit Hebraeis, [61] sicut tollit in sero solem a nostro hemisphaerio et alteri dat similiter diem.

Mundus terra est pessima quadam affecta qualitate, quae triticum seminatum in zizaniam convertit, et sicut I e r e m i a s ait: *Seminaverunt triticum et messuerunt spinas.* [62] Seminat Deus in mundum multa magnaque beneficia, et non colligit nisi peccatorum maleficia.

Regnum Dei appellatur fides et gratia divina, quae maximi facienda est,

V. *Auferetur a vobis regnum Dei.* Fidem ipsam et gratiam Dei in fidelibus Christus *regnum Dei* appellat, quoniam ipsa ius est hereditatis aeternae. Hinc Hebraei *filii Dei* dicebantur: *Filius meus primogenitus Israel;* [63] *Ego dixi: Dii estis et filii excelsi omnes;* [64] *Si autem filii*, inquit P a u l u s, *et heredes.* [65] Ius est hereditatis regni coelestis, quoniam adoptio est filiorum. Hinc Christus, commendans fidem centurionis, ait: Amen *dico... vobis quod multi... venient et recumbent cum Abraham et Isaac et Iacob in regno coelorum; filii autem regni eicientur in tenebras exteriores.* [66] *Filios regni* dicit eos, qui tunc per fidem electi Dei habebantur; quare docet hoc nomine Christus quanti facienda sit gratia Dei, qualis quantaque ratio eius habenda est. Hinc Christus in deserto ostendit quod pluris facienda est quam omnia regna mundi et gloria eorum. [67] Sed non capit mundus hanc philosophiam; hinc gratiam Dei, quae maximi facienda est, minimi facit.

quia adoptio est filiorum Dei ius hereditatis aeternae conferens.

Gratia Dei ius hereditatis est regni coelestis, et cum alicui datur gratia Dei, tunc institutio hereditatis illi datur, tunc heres legitimus instituitur. Hoc est quod in institutione Baptismi coelum apertum fuit et vox Dei intonuit: *Hic est Filius meus dilectus,* [68] cum Spiritus Sanctus descendisset; quoniam homo per Baptismum, percepta gratia Spiritus Sancti, fit Dei filius et instituitur heres regni coelestis.

55) Cf. 1 Rg 15, 23-27; 16, 1-13. 56) Cf. Gn 30, 32-31, 1 sqq. 57) Cf. Ex 3, 8. 17. 58) Cf. Est 2, 17. 59) Cf. 3 Rg 8, 1-7. 60) Cf. Gn 27, 27-41. 61) Cf. Ex 3, 22; 12, 35-36. 62) 12, 13. Vulg.: *Et spinas messuerunt.* 63) Ex 4, 22. 64) Ps 81, 6. 65) Rom 8, 17. 66) Mt 8, 11-12. 67) Cf. ibid. 4, 8-10. 68) Ibid. 3, 17.

Nos autem, fratres, utinam Iudaeis similes non simus, qui temporalia bona pluris quam Dei gratiam et amicitiam fecerunt, unde utrisque privari postea meruerunt et nunc bonis omnibus, quae tunc possidebant, spoliati, ubique gentium vitam ducunt infelicem et miserabilem.

Perseverantia in peccato causa est infidelitatis, quia voluntas depravata intellectum pervertit,

VI. Ostenditur in hac parabola quod perseverantia in peccato deducit tandem hominem in infidelitatem, ut gratia Dei destitutum fide etiam destituat; veluti qui diu manent in obscurissimo et teterrimo carcere absque ullo lumine, ibi tandem lumen oculorum amittunt, ita ut egressi postea in lucem nihil videant. Et sicut stomachus diu valde affectus, immittens iugiter pravos vapores infectasque exhalationes et fumos in caput, ipsum etiam gravatum et male affectum reddit; sicut multum vinum in stomacho valde potens laedit caput et mentis harmoniam corrumpit inducitque vertiginem; sic prava voluntas pravis cupiditatibus intellectum depravat; depravatus autem erroribus intellectus, multorum in causa malorum est.

perversus autem intellectus ad mala extrema perducit,

Sicut Achitophel regis optimi Davidis optimus et sapientissimus consiliator erat, optimaque consilia dabat, sed, cum ad partes Absalomi defecit, pessima consilia contra David machinatus fuit; [69] ita plane intellectus noster fide et divina sapientia illustratus, optimus est: *Intellectus bonus omnibus facientibus* [70] timorem Domini, sed lumine fidei destitutus et carnis affectibus depravatus, pessimus est, multa contra virtutem, contra Spiritum Dei, contra salutem animae machinatur. Per Ieremiam Deus ait: *Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum a principio, et videte quae fecerim ei propter malitiam populi mei Israel. Et nunc, quia fecistis omnia opera haec, dicit Dominus, et locutus sum ad vos mane consurgens et loquens, et non audistis et vocavi vos, et non respondistis, faciam domui huic, in qua invocatum est nomen meum et in qua vos habetis fiduciam, et loco, quem dedi vobis et patribus vestris, sicut feci Silo, et proiciam vos a facie mea, sicut proieci omnes fratres vestros, universum semen* [71] Israel. Sic vaticinabatur Ieremias contra Iudaeos, contra Ierusalem, contra templum semel et iterum; [72] unde populus universus insur-

sicut Ieremias vaticinabatur, contra Iudaeos,

69) Cf. 2 Rg 15, 1-17, 1 sqq. 70) Ps 110, 10. 71) 7, 12-15. 72) Cf. 9, 11; 11, 22-23; 19, 1 sqq.; 26, 5-6.

rexit contra eum volebatque occidere eum, [73] eo quod dixerat: *Sicut Silo erit domus ista, et civitas haec desolabitur.* [74] Sic tamen factum fuit in captivitate babylonica, sicut Divinus Vates praedixerat et comminatus fuerat quod eventurum erat regno Iudae sicut regno Israel evenerat, Ierusalem sicut Samariae, templo Domini sicut tabernaculo in Silo.

et Christus ipse de eversione totius synagogae, et patet ex historia haeresum.

Hodie autem Christus, verus Domini propheta, sic vaticinatus fuit contra Iudaeos, sicut ante ipsum Ieremias. Sicut enim Ieremias praedixit captivitatem babylonicam, ita Christus praesentem hanc, quam modo patiuntur adhuc Iudaei. Evenit haec sicut et illa, quoniam Deus iustus et verax est, mentiri nequaquam potest aut decipi. Propter sua peccata Iudaei privati sunt templo Domini, religione, vera pietate, vera fide; sic etiam in christiana republica multae provinciae, multa regna, non solum in Asia et Africa, sed etiam in hac nostra Europa propter grassantes haereses, multae provinciae amiserunt fidem propter peccata sua. Nam haeresis nunquam est primum peccatum: poena est et quidem gravissima praecedentium peccatorum, ut in hodierno Evangelio manifestum est.

Utinam talia exempla cautos nos faciant!

Caveamus igitur, fratres, ne iratus Deus propter peccata nostra, tradat nos cum Iudaeis, cum Turcis et Mauris, cum haereticis in reprobum sensum, [75] ne auferat a nobis regnum Dei, ne malos nos male perdat. Ieremias proponebat ante oculos Iudaeorum ruinam regni Israel; nos habemus ante oculos ruinam reipublicae Iudaeorum, eversionem synagogae:

« Felix quem faciunt aliena pericula cautum ». [76]

73) Cf. ibid. 11, 19; 18, 18; 26, 8. 74) Ibid. 26, 9. 75) Rom 1, 28.

76) Proverbium deductum ex notis sententiis:

« Bonum est fugienda aspicere in alieno malo ».

L. A. Senecae et P. Syri Mimi *Sententiae*, pag. 5; Tibulli:

« Felix quicunque dolore
Alterius disces posse carere tuo ».

Casta Carmina, lib. 3, eleg. 7, vr. 12; Terentii:

« Periculum ex aliis facito tibi quod ex usu fiet ».

Comoediae, *Heaut.*, act. 1, sc. 2, vr. 36; act. 2, sc. 1, vr. 9.

ALIA HOMILIA

Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius. [1]

I. Sicut Deus abstulit divitias a Laban et dedit Iacob, [2] divitias ab Aegyptiis et dedit Hebraeis; [3] sicut abstulit arcam cultumque Dei a tabernaculo Moysi et posuit in templo Salomonis; [4] sicut abstulit regnum a Saul et dedit Davidi; [5] sicut abstulit dignitatem reginae a Vasthi et dedit Esther; [6] sicut in mane aufert solem diemque ab altero hemisphaerio et dat huic nostro; sicut in vere aufert aestatem et bona tempora iis, qui sunt sub polo antarctico et dat nobis, qui sub polo arctico degemus; abstulit primogenituram et benedictionem Esau et dedit Iacob; [7] sic ait: *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti;* sic: *Malos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis;* [8] sicut terram promissionis abstulit a Chananaeis et dedit Hebraeis. [9] Non egit sicut in principio abstulit paradisum voluptatis ab Adamo et Eva et nemini dedit. [10] Nunc aufert et dat, simul exercens opera tum iustitiae tum misericordiae. Manifestum est in hodierno Evangelio mysterium reprobationis Iudaeorum et electionis Gentium. Ablatus fuit apostolatus a Iuda et datus Mathiae. [11]

His verbis significatur mysterium reprobationis Iudaeorum et electionis Gentilium.

Prius tamen ponitur electio Iudaeorum, ut sic cognoscatur reprobatio; opposita nanque ex comparatione clarius dignoscuntur. [12] Ideo hodie a Domino prius recensentur beneficia Iudaeis a Deo collata, ut summa illorum ingratitudo conspicua sit et manifesta. Patent autem beneficia si consideretur gentis illius discrimen inter ipsam in Aegypto sub Pharaone, et in deserto sub Moyse, vel in terra promissionis sub Davide vel Salomone.

Iudaei enim antea electi, beneficiis collatis ingratissimos se praebuerunt.

II. Magnum theatrum est vinea haec hodierni Evangelii, mirabilium spectaculorum, operum, inquam, bonitatis, patientiae, longanimitatis, iustitiae et misericordiae Dei; impietatis, ingratitudinis,

Per vineam hanc multa alia mysteria significantur;

1) Mt 21, 43. 2) Cf. Gn 30, 32-31, 1 sqq. 3) Cf. Ex 3, 22; 12, 35-36. 4) Cf. 2 Rg 8, 1-7. 5) Cf. 1 Rg 15, 23-27; 16, 1-13. 6) Cf. Est 2, 17. 7) Cf. Gn 27, 27-41. 8) Mt 21, 41. 9) Cf. Ex 3, 8. 17. 10) Cf. Gn 3, 23-24. 11) Cf. Act 1, 15-26. 12) Axioma philosophicum ex Aristotele, de quo cf. Georgius Reeb *Thesaurus Philosophorum*, part. 2, *Axiomata*, pag. 218.

iniquitatis et perversitatis humanae; mysteriorum adventus Christi in mundum, passionis et mortis ipsius, nec non mirabilis resurrectionis et exaltationis eius: *Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli; a Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris;*[12a] insuperabilis potentiae Christi: *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur* temporalibus malis, *super quem vero ceciderit, conteret eum*[13] aeternis poenis et suppliciis.

idest magnitudo Dei, magnitudo Ecclesiae, magnitudo Christi;

Magnum theatrum, in quo spectatur magnitudo Dei, magnitudo Ecclesiae, magnitudo Christi et magnitudo perversitatis humanae. Magnitudo Dei, quia auctor naturae, fons gratiae et Rex gloriae; magnitudo Dei quoad bonitatem, patientiam, longanimitatem, iustitiam et misericordiam; magnitudo Ecclesiae, quia vinea Dei, quia regnum Dei,[14] quia aedificium,[15] templum[16] et domus Dei;[17] magnitudo Christi, quia unigenitus Filius Dei, qui exivit a Patre et venit in mundum,[18] heres Dei: *Hic est heres;*[19] *Quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula;*[20] item *propheta magnus*[21] summi Dei: *Sicut prophetam eum habebant,*[22] quia lapis reprobatus et exaltatus insuperabilis potentiae.

magnitudo Dei quoad naturam, providentiam et bonitatem;

Magnitudo Dei ostenditur quoad naturam, quia *homo*, ad cuius imaginem factus est homo tanquam umbra Dei;[22a] deinde *paterfamilias* quoad mundi creationem et providentiam: *Plantavit vineam,*[23] quae Dei plantatio est,[24] Dei aedificium. Sed paradoxa veluti dicuntur de Deo hodie: quod sit Rex: *Auferetur a vobis regnum Dei;* et quod sit agricola: *Plantavit vineam;* quod sit princeps humanissimus, mitissimus, patientissimus – quod rarum in principibus est, maxime in criminibus laesae maiestatis – et princeps severissimus: *Malos male perdet.* Item de Ecclesia quod sit vinea Dei et quod sit regnum Dei. Quid vineae ad regnum, aut regno ad vineam? Item de Christo quod sit propheta, idest servus Dei, nam Moyses, Prophetarum princeps, nonnisi *servus Dei* appellatur;[25] deinde, quod sit Filius Dei, heres Dei; quod ex impotentia sit occisus ab agricolis, et postea quod lapis sit omnia confringens. Sed omnia vera sunt.

magnitudo Ecclesiae, quae vinea et regnum Dei est, et magnitudo Christi, qui verus est Filius Dei,

12a) Ps 117, 22; Mt 21, 42; Mc 12, 10. 13) Mt 21, 44. 14) Cf. ibid. 13, 11 sqq. 15) Cf. 1 Cor 3, 9; Eph 4, 12. 16) Cf. 1 Cor 3, 16-17; 2 Cor 6, 16; Apc 3, 12. 17) Cf. 1 Tim 3, 15; Hebr 3, 6; 1 Petr 4, 17. 18) Cf. Io 16, 28. 19) Mt 21, 38. 20) Hebr 1, 2. 21) Lc 7, 16. 22) Mt 21, 46. 22a) Cf. Gn 1, 27. 23) Ibid. vr. 33. 24) Cf. ibid. 15, 13. 25) Cf. Ex 14, 31; Nm 12, 7; Dt 34, 5; Ios 11, 15.

Principes etiam regni huius *agricolae* appellantur, quia potestatem habent in homines quam vinitores in vineam vitesque quascunque vineae; sed tamen pessimi ostenduntur. Beneficia in vineam sunt: quia *plantavit* eam, dedit terram promissionis, fidem, legem, religionem; *sepem circumdedit* ad defensionem; dedit vires magnamque potentiam, *torcular* civitatis Ierusalem, nam omnia fere bona regni in metropolim civitatem confluunt; *aedificavit turrim* templi et regiae; *locavit* [26] colonis principibus. et copia etiam beneficiorum Dei erga synagogam.

III. *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius,* ait Dominus. Vinea haec sacrosancti hodierni Evangelii, multis cum sit referta mysteriis, nam *vinea . . . Domini exercituum, domus Israel est,* [27] mihi tamen, et iure, ni fallor, theatrum videtur esse impietatis humanae. Sicut Ezechiel Dei vates refert quod semel Angelus Domini introduxit eum in templum Domini et dixit ei: *Ingredere et vide abominationes pessimas quas isti faciunt hic;* [28] tria ponderat: factum, personas et locum. *Videbis abominationes pessimas:* hoc est factum; *quas isti,* idest seniores domus Israel: hi sunt personae; *faciunt hic,* in templo, in domo Dei: hic locus. Unde praecepit Deus sex Angelis armatis evaginatos gladios manibus tenentibus, ut transirent per mediam civitatem et quoscunque cuiusvis sexus, aetatis, conditionis interficerent, praeter illos quos signatos viderent in frontibus signo *thau,* [29] quoniam, inquit: *Iniquitas domus Israel... magna est nimis valde.* [30] Ad interficienda omnia primogenita totius regni Aegypti, suffecit unus tantum Angelus; [31] ad perdendum exercitum Sennacherib centum octoginta quinque millium militum unus tantum Angelus missus fuit; [32] contra unam vero civitatem mittuntur sex Angeli armati, quoniam: *Iniquitas domus Israel et Iuda magna est nimis valde,* quoniam in templo Domini seniores domus Israel faciebant *abominationes pessimas;* templum erat theatrum pessimae abominationis, quod a Deo conditum erat ut esset theatrum summae sanctitatis omnisque virtutis. Sed praecipue impietas summa Iudaeorum designatur,

Sic in hodierno Evangelio dicitur: *Malos male perdet.* Proponitur flebilis tragoedia ruinae Iudaeorum a Deo, propter summam qui Prophetas semper persecuti sunt

26) Mt 21, 33. 27) Is 5, 7. 28) 8, 9. 29) Cf. ibid. 9, 1-6. 30) Ibid. vr. 9.
31) Cf. Ex 12, 19-30. 32) Cf. 4 Rg 19, 35.

et Christum ipsum occiderunt;

impietatem in Prophetas Dei servos, ac tandem in Christum unigenitum Filium summi Dei. Multas tragoedias legimus in Sacris Litteris divinae irae in punitionem peccatorum: punitio primi peccati in Adam et Eva;[33] universale mundi diluvium;[34] incendium Pentapolis;[35] flagella Aegypti;[36] demersio Pharaonis cum exercitu suo in mari Rubro;[37] exterminium Chananaeorum in terra promissionis.[38] Sed punitio Iudaeorum ob necem Christi maxime exemplaris est. Saepe alias punitus a Deo fuit populus hic: in Aegypto durissima servitute, propter peccata idololatriae;[39] in deserto multas a Deo plagas accepit ob multa peccata;[40] in terra promissionis saepe afflictus fuit pro meritis peccatorum nunc bellis, nunc fame multorum annorum, nunc peste et mortalitate magna. Maxima autem punitio omnium fuit captivitas babylonica, de qua Ieremias in suis *Lamentationibus* ait: *Maior effecta est iniquitas populi mei peccato Sodomorum, quae subversa est in momento, et non ceperunt in ea manus,*[41] idest non fuerunt longa obsidione multisque incommodis afflictati ac excarnificati; illi autem in momento perierunt. Ut autem idem Vates ait: *Melius fuit occisis gladio quam interfectis fame.*[42] Mors enim illa minori cum poena est; captivitas autem, quam ad hunc usque diem patitur Iudaeorum populus ob necem Christo illatam, multo maior est captivitate babylonica. Mirabile dictu! Captivitas illa a Deo iusto iudice illata fuit in punitionem gravissimorum criminum idololatriae, occisionis innumerorum Prophetarum aliorumque turpissimorum peccatorum,[43] unde ab Isaia dictus est populus ille populus Sodomae et Gomorrhae;[44] et tamen post septuaginta annos soluta fuit per Cyrum regem Persarum et Medorum,[45] occupata Assyriorum monarchia. Haec autem captivitas excessit annos quingentos supra mille.

quapropter prius multis plagis afflicti fuerunt et potissimum captivitate babylonica,

Quare egit Deus cum hoc populo, sicut princeps cum homine maxime facinoroso: publicat bona illius, domum solo aequat, imo a fundamentis evertit; fert contra eum sententiam ut praecidantur manus ipsius, ut eruantur oculi, ut ignitis forcipibus dilaceretur, ut

ob necem vero Christo illatam nunc miserabiliori

33) Cf. Gn 3, 16 sqq. 34) Cf. ibid. 6, 12-7, 1 sqq. 35) Cf. ibid. 19, 24-25. 36) Cf. Ex 7, 1-12, 1 sqq.; Ps 104, 28-36. 37) Cf. Ex 14, 24 sqq. 38) Cf. Ios 6, 1-12, 1 sqq. 39) Cf. Ex 1, 1-2, 1 sqq.; Ez 20, 3-9. 40) Cf. Ps 105, 13-42 et loci paralleli Nm et Dt. 41) Thr 4, 6. 42) Ibid. vr. 9. 43) Cf. 2 Par 36, 14-21; Ier 7, 8 sqq.; 25, 3 sqq. 44) Cf. 1, 10. 45) Cf. 2 Par 36, 14 sqq.; 1 Esr 1, 1 sqq.

suspendatur et tandem ut, in frusta dilaniatus, suspendantur membra in furcis infamibus, in locis solitis viisque publicis, utique in exemplum severae et rigorosae iustitiae. Ita, inquam, egit Deus cum populo Iudaeorum in hac miserabili captivitate, in poenam utique multo maioris multoque gravioris delicti, quam fuerit peccatum idololatriae et occisionis innumerorum Prophetarum aliorumque gravissimorum criminum; sicut multo maior multoque diuturnior est praesens captivitas babylonica captivitate in punitionem illorum peccatorum. Et quidem, cum, secundum Scripturas, idololatria maximum videatur esse omnium peccatorum, quam Dominus primo Divinae Legis praecepto prohibuit – quoniam inquit: *Ego sum Dominus Deus tuus*, Deus *zelotes visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem his qui oderunt me,*[46] – peccatum, cuius causa nunc puniuntur Iudaei, necesse est ut sit multo gravior idololatria; nam punitum est usque non dico quartam, sed quartamdecimam et quintamdecimam generationem, si generationem sumamus pro saeculo.

et diuturniori captivitate puniuntur,

quae, cum poena sit longe gravior praecedentibus, ostendit illorum crimen quoque ceteris gravissimum fuisse.

IV. Noluit Dominus delere penitus synagogam Iudaeorum in punitionem tanti sceleris, sicut Sodomam et Gomorrham, sed ad aeternam memoriam relinquere voluit veluti ruinas synagogae; nam dici solet quod Roma quanta fuerit ipsa ruina docet. Hinc Isaias ait: *Derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea et sicut tugurium in cucumerario et sicut civitas quae vastatur,*[47] idest quae destructa ac desolata penitus est, nec nisi ruinae spectantur moenium et aedificiorum. Reliquit in signum divinae vindictae, sicut Deus Salomoni dixit de templo quod positurus illud erat in parabolam propter peccata populi,[48] ita ut omnes gentes mirarentur et divinam in eos ultionem commemorarent. Reservavit etiam in signa victoriae, in trophaeum et monumenta victoriae ac triumphi Christi contra eos; sic Isaias ait: *Donec relinquamini sicut malus in vertice montis et quasi signum,* sive vexillum, *super collem.*[49] Antiquitus enim trophaea in arboribus fiebant, in quibus, praecisis ramis, suspendebant spolia inimicorum in editioribus locis.[50] Ita etiam alibi idem Isaias ait: *Cum fueritis*

Non tamen penitus deleti fuerunt, sed veluti ruinae synagogae adhuc remanent, in signum divinae vindictae et in monumentum victoriae Christi.

46) Ex 20, 5. Vulg.: *Eorum, qui oderunt me.* 47) 1, 8. Ms.: *Sicut tugurium in vinea, sicut umbraculum in cucumerario, sicut,* etc. 48) 2 Par 7, 20-21. 49) 30, 17. Vulg.: *Quasi malus* etc. 50) Cf. Virg. *Aeneid.*, lib. 11, vrr. 6-9, 83.

sicut quercus decidentibus foliis, et velut hortus absque aqua, [51] idest omni gloria, omni honore, bonis omnibus pristinis spoliati.

ut prophetia adimpleretur iuxta quam in fine temporum reliquiae populi salvae fient,

Aliam quoque assignat causam idem V a t e s dicens : *Nisi Dominus... reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus et quasi Gomorrha similes essemus.* [52] *Semen* dicit reliquias salutis ; unde ipsemet I s a i a s , quasi sui interpres, postquam Deum ostendit Iudaeis iratum propter excaecationem cordis : *Erit,* inquit, *in ostensionem, sicut terebinthus et sicut quercus cum expanderit ramos; semen sanctum erit id quod steterit in ea.* [53] Arbor in hieme remanet sicut statua, sicut emortuum lignum ; sed tamen adhuc est in eo vita, novo vere revirescet. Sic P a u l u s ait quod : *Reliquiae salvae fient,* [54] quod, cum *plenitudo gentium* intraverit, *omnis Israel salvus fiet.* [55]

et in ostensionem periculi, ut vitetur iniquitas quae tantorum est causa malorum.

Sed praecipue etiam relicti sunt in ostensionem periculi :

« Felix quem faciunt aliena pericula cautum ». [56]

In mari, ubi magnum est periculum vel propter latentes sub undis scopulos vel propter syrtes, ponuntur signa aliqua, ut nautae, illis visis, caveant pericula illa. In mari mundi huius synagoga instar navis naufragium passa est ad scopulos syrtesque avaritiae et impietatis. In signum talis tantique periculi relicti sunt in mundo pauci et miserabiles Iudaei. Hinc ait : *Deus ostendit mihi super inimicos meos; ne occidas eos,* idest ne penitus deleas, *nequando obliviscantur populi mei.* [57] Ad perpetuam igitur rei memoriam servantur, ut nos eorum exemplo moniti discamus iustitiam ; sicut ad perpetuam memoriam transitus Iordanis tulit Iosue ex fluminis alveo duodecim praegrandes lapides et ex eis monimentum perpetuum aedificavit. [58] In memoriam etiam occisionis primogenitorum Aegypti voluit Deus ut perpetuo singulis annis celebraretur Pascha et occideretur agnus. [59] Perierunt Iudaei propter neglectam et violatam iustitiam legemque Dei ; cavendum igitur nobis ne similiter pereamus.

Deus enim magnus vindex est omnis peccati,

Ostendit hodiernum Evangelium iustam iram contra Iudaeos. Magnam quidem iram, nam ait : *Malos male perdet;* sed tamen iustam, propter summam illorum impietatem et atrocissima facinora. Deus

51) 1, 30. Vulg. : *Cum fueritis velut quercus defluentibus foliis,* etc. 52) Ibid. vr. 9.
53) 6, 13. Vulg. : *Quae expanderit ramos,* etc. 54) Rom 9, 27. 55) Ibid. 11, 25-26.
56) Cf. not. 76 praec. homil., pag. 232. 57) Ps 58, 12. Vulg. : *Ostendet mihi,* etc.
58) Cf. Ios 4, 5-9. 59) Cf. Ex 12, 1-14.

semper ab ipso mundi exordio seipsum ostendit magnum osorem et vindicem omnis peccati et iniquitatis, quoniam peccatum summa est iniquitas, summa ingratitudo, summa iniustitia, ut patet hodie in agricolis his ; et idem est in omnibus peccatis ; propter abusum beneficiorum Dei contra ipsum Deum. Peccatores enim contra Deum militant armis ipsius Dei, veluti si praefecti et ministri regni constituti a rege, insurgant contra ipsum ipsiusmet armis viribusque.

Illud afficiens temporalibus poenis et aeternis.

Ponuntur in hodierno Evangelio duo genera punitionum cum Dominus ait : *Nunquam legistis...: Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli?... Qui ceciderit super lapidem hunc, confringetur; super quem vero ceciderit* lapis, *conteret eum.* [60] Si, inquit, vas fictile cadat super lapidem, confringitur ; at si lapis ex alto cadat supra vas, conterit illud in minutas testas, multo maior vasis ruina est. Sic sunt temporalia mala magna quidem, sed aeterna multo maiora : *Malos male perdet.* Sicut lapis qui ex alto monte cadens statuam percussit et redegit in pulverem. [61]

60) Mt 21, 42-44. Vulg. : *Super lapidem istum, confringetur,* etc. 61) Cf. Dn 2, 34-35.

DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMAE

Erat Iesus eiciens daemonium, et illud erat mutum. Et cum eiecisset daemonium, locutus est, etc. [1]

Sicut inter lucem et tenebras maxima oppositio est,

I. Ostenditur in hodierno Evangelio magna inimicitia inter Christum et satanam, sicut inter lucem et tenebras quae simul esse non possunt, sicut Paulus ait scribens ad *Corinthios: Quae societas luci ad tenebras? Quae... conventio Christi ad Belial,* [2] idest ad satanam, ad diabolum? Ab initio Deus divisit inter lucem et tenebras; nam: *Dixit... Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona et divisit lucem a tenebris.* [3] Christus autem ait: *Ego sum lux mundi;* [4] et Ioannes de eo: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem.* [5] Daemones autem *tenebrae* appellantur: *Haec est hora vestra et potestas tenebrarum.* [6] Et Paulus ad *Colossenses* ait quod Deus *eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii dilectionis suae,* [7] idest Filii sui dilecti. Quoniam vero sol suapte natura tenebrarum et noctis inimicissimus est, propterea in mysterio Christus dictus est *Sol iustitiae:* [8] *Et facies eius resplenduit sicut sol.* [9] Sicut igitur sol noctem persequitur fugatque et lux tenebras pellit, ita Christus daemonium: *Erat Iesus eiciens daemonium.*

ita maxima inimicitia est inter Christum et satanam.

Magna antipathia, magna inimicitia est inter Christum et satanam, sicut inter lucem et tenebras inimicitia magna est, quia lux de coelo, tenebrae a terra, suapte natura obscura et tenebricosa; magna inimicitia, quoniam perpetua est, aeterna est, ab initio mundi coepit aeternumque duravit et usque in finem perdurabit; magna, quia

1) Pericope huius diei Lc 11, 14-28. Cf. Missale Rom. 2) 2 Cor 6, 14. 3) Gn 1, 3-4. 4) Io 8, 12; 9, 5. 5) 1, 9. 6) Lc 22, 53. 7) 1, 13. 8) Mal 4, 2. 9) Mt 17, 2.

sunt veluti duae reginae, quae magna regna occupant mundumque sibi dividunt in duo tantum regna. Nam non sunt in mundo nisi duo regna tantum : regnum lucis, coelum, regnum tenebrarum sive obscuritatis, terra ; regnum lucis, dies, regnum tenebrarum, nox ; imo in paradiso lux regnat, in inferno autem tenebrae palpabiles et teterrima obscuritas. Ita plane Christus lux est, daemones tenebrae. Deus autem, ut Petrus ait, *de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum,* [10] a daemone ad Christum.

Age nunc igitur inter lucem et tenebras naturalis inimicitia est, quoniam lux suapte natura bona est, pulcra, iucunda ; tenebrae, e contra, malae, iniucundae, valde horribiles. Sic Christus natura bonus, sanctus, bonitas ipsa et sanctitas est ; satanas autem immundus spiritus est, spiritus nequam et malus est. Sic in parabola seminatoris, ubi Lucas ait : *Venit diabolus et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant,* [11] Matthaeus dicit : *Venit malus et rapit verbum de corde eorum.* [12] Sic oramus : *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo,* [13] idest a satana, a diabolo, a malo spiritu. Non possunt manere simul lux et tenebrae, dies et nox ; sic nec Christus et satanas. Propterea arca Dei, quae imago et figura Christi erat, noluit manere uno loco simul cum Dagone deo Philisthinorum. [14] Non potest regnum duos simul habere reges inimicos, nec mulier duos legitimos viros et maritos.

et quidem essentialis, quia Christus ipsa sanctitas est, satanas autem nequissimus.

II. In Sacris Litteris summa ostenditur inimicitia inter Deum et satanam. Nam ab initio Deus satanam cum omnibus sequacibus suis de coelo expulit ac perpetuo relegavit in tenebras exteriores, tanquam inimicos et rebelles divinae maiestatis suae. [15] In tentatione hominis in paradiso terrestri inimicum Dei capitalem ostendit se antiquus serpens, Deumque apud homines calumniatus, eum mendacii, invidiae, et malevolentiae criminatus fuit dicens : *Nequaquam . . . moriemini* – en Deum mendacii et falsitatis calumniatur, – *scit enim Deus,* non eum Dominum appellat, nec titulo honoris eum nominat, sed *scit Deus quod, in quacunque die comederitis ex* ligno vitae, *aperientur oculi*

Ideo Deus satanam de coelo expulit; satanas vero hominem ad imaginem Dei conditum perdidit,

10) 1 Petr 2, 9. Vulg.: *Vos vocavit,* etc. 11) 8, 12. 12) 13, 19. 13) Ibid. 6, 13 ; Lc 11, 4. 14) Cf. 1 Rg 5, 2-5. 15) Cf. Is 14, 5-20 ; 2 Petr 2, 4 ; Iud vr. 6 ; Apc 12, 7-9.

vestri et eritis tanquam dii scientes bonum et malum.[16] Ne, inquit, tales sitis; invidiae et malevolentiae causa divinos hos fructus pulcherrimae optimaeque huius arboris vobis interdixit. Videtis quomodo Deum calumniatur? Quas notas inurit et impingit Deo? Sic perdidit universum genus humanum.

et modis omnibus in odium Dei semper persequitur, ut patet in daemoniaco hodierno.

Hinc homo iste in hodierno Evangelio a malo spiritu vexatur, sicut Saul postquam discessit ab eo Spiritus Domini.[17] Nec tantum male torquebatur a daemone, ut filia chananitidis,[18] verum etiam mutus, surdus et caecus effectus a satana erat,[19] in odium Dei, quoniam homo creatura Dei est, conditus *ad imaginem et similitudinem*[20] Dei. Sicut autem homo rebellis et capitalis inimicus regis et principis sui effectus, non potest aequo animo videre nec rectis oculis aspicere pulcram regis imaginem aut statuam honestissimo loco positam et collocatam, sed, si possit, per summam iniuriam eam vel turpiter et foedissime conspurcat vel etiam evertit frangitque, eruit oculos, excindit nasum et aures, brachia frangit et mala quaecunque potest in odium regis, in statuam operatur, quaecunque pro sua prava et iniqua in regem voluntate eidem regi facere vellet et cupit, statuae vel imagini facit; sic satanas fecit in hominem quaecunque in Deum facere voluisset. Summo odio hominem prosequitur et persequitur modisque omnibus perdere eum vellet, quoniam Dei *imaginem et similitudinem* habet.

Hinc maximis maledictionibus a Deo punitus fuit a principio.

Hanc ob causam Deus maledixit serpentem: *Quia*, inquit, *fecisti hoc, maledictus es inter omnes animantes et bestias terrae: super pectus tuum gradieris et terram comedes cunctis diebus vitae tuae. Inimicitias ponam inter te et mulierem, et* inter *semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.*[21] Quattuor in serpentem tela iacit: *Maledictus* eris prae cunctis bestiis. Omnes quidem daemones in aeternum damnati sunt, sed satanas maiori, maxima omnium damnatione, hominibus maxime execrabilis, invisus, exosus, sicut serpens maxime omnium animalium. Deinde: *Super pectus tuum gradieris.* Forte prius super ventrem [gradiebatur];[21*]

16) Gn 3, 4-5. Vulg.: *Quocunque die... eritis sicut dii*, etc. 17) Cf. 1 Rg 16, 14.
18) Cf. Mt 15, 22; Mc 9, 24. 19) Cf. Mt 12, 22; Mc 9, 24. 20) Gn 1, 26.
21) Ibid. 3, 14-15. Vulg.: *Inter omnia animantia*, etc. 21*) Cf. S. Laurentius a Br. *Opera Omnia*, vol. 3, *Explanatio in Genesim*, pag. 284-285.

nunc et *super pectus*, multo magis humiliatus atque depressus. Tertio: *Terram comedes.* Licet universum hominum genus perdideris, non tamen omnes homines devorabis. Multi homines coelestes erunt ; terrenos tantum peccatores, *qui terrena sapiunt*,[22] devorabis. Nam post peccatum audivit homo : *Terra es, pulvis es et in pulverem reverteris.*[22a] Videat homo peccator quod diaboli cibus est.

et nos quoque iubemur immortalem inimicitiam contra eum gerere.

Tandem, inimicitia in satanam perpetua Ecclesiae Sanctae et Christi ipsius, cuius auctor est ipse Deus. Ipse iubet et vult ut contra satanam immortali odio perpetuam inimicitiam geramus aeternaque bella, quandiu hic sumus. Hinc P a u l u s ait : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem*, idest adversus homines, *sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus.*[23] Ideo armatos nos vult semperque ad bellum contra satanam paratos : *Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo*, idest in die tentationis, *et in omnibus perfecti stare . . . , induti loricam iustitiae . . . , sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Et galeam salutis assumite et gladium spiritus, quod est Verbum Dei.*[24]

In verbis primae maledictionis contra serpentem iam significata fuit aperta et implacabilis inimicitia inter Christum et satanam ;

III. In hoc autem oraculo maledictionis Dei ad serpentem indicatum fuit quod Christus, verus Messias, futurus erat acerrimus et capitalis inimicus satanae et quod eum non dolis superaturus erat, sicut satanas hominem superavit, sed virtute et fortitudine. Hoc enim inter fraudem et inimicitiam discrimen est ; nam fraus, dolus, proditio, ficta fucataque amicitia est, sub specie amicitiae perdit et interimit, sicut Ioab egit cum principe Abner,[25] Iudas cum Christo ;[26] venenum mellitum est, anguis latens sub herba. Sed inimicitia manifestum bellum indicit ; pugnandum fortiter est ad vincendum superandumque inimicum. Sic ait : *Inimicitias ponam inter te et mulierem et inter semen tuum et semen illius; ipsum semen*, ipse Christus, *conteret tibi caput*,[26a] auferet tibi omnem potestatem, quam in humanum genus tuis fraudibus acquisivisti.

hanc et ipse Christus hodie ostendit

Sic hodie Christus manifestum satanae inimicum se demonstrat, quoniam ipse est benedictum illud semen mulieris, cui hodie a fideli

22) Phil 3, 19. 22a) Gn 3, 19. Ex Translat. Septuaginta. 23) Eph 6, 12. 24) Ibid. vrr. 13-17.
25) Cf. 2 Rg 2, 12-16. 26) Cf. Mt 26, 15-49 ; Lc 22, 3-6. 47-48. 26a) Ex hebraico.

daemonium eiciens et cum Pharisaeis disputans,

muliere de medio turbarum dicitur: *Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti.*[27] Hinc tanquam manifestus inimicus *erat eiciens daemonium*. Ostenditur autem in hodierno Evangelio inimicitia haec inter Christum et satanam vera, non ficta et fucata, sicut vera est inimicitia inter lucem et tenebras, vera inter Deum et diabolum. Pharisaei, inimici Christi, calumniabantur Christum quod ex secreto pacto et amicitia cum principe daemoniorum eiceret daemones. Christus autem doctissima apologia multis rationibus ostendit veram esse inimicitiam et quod ex divina virtute, *in digito Dei*,[28] *in spiritu Dei*[29] eiciebat daemones, omnes spiritus immundos et malos. *Omne regnum*, inquit, *in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet. Si igitur satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum eius?*[30] Regnum, inquit, satanae a mundi principio usque modo firmum stetit. Non igitur in regno hoc sunt reges inimici, qui in invicem pugnent, alioquin corruisset et collapsum esset regnum tenebrarum. Ex meis autem tum operibus tum doctrina manifestum est quod ego destruo regnum satanae eiciens daemonia, ut homines Deum colant et laudent. Non ergo auxilio satanae, nam nemo principum dat auxilia alicui ad destruendum proprium regnum et dominium; neque ab aliquo alio principe daemonum contra alium principem, nam sic essent in regno hoc divisiones, partes, bella civilia, quae si essent non potuisset regnum consistere. Deinde: *Si... ego*, inquit, *in Beelzebub eicio daemonia, filii vestri in quo eiciunt?*[31] De similibus idem iudicium est.[32] Vestri exorcistae qua virtute eiciunt daemonia? Qua virtute David expellebat malum spiritum a Saule?[33] Prophetae qua virtute operati sunt miracula? Num virtute daemonum, sicut magi Pharaonis,[34] Moyses operabatur miracula in Aegypto ad liberandum populum de durissima illa servitute et tyrannica captivitate? Si ego similes operor effectus, cur non eidem causae tribuitis? Similes effectus oriuntur a similibus causis. Si externus dies fuit a sole, cur non etiam hodiernus? Similes fructus an non a similibus arboribus producuntur? Si opera mea similia sunt operibus Prophetarum, cur non creditis a Deo esse sicut et illa? *Ideo ipsi iudices vestri erunt* in

qui eum calumniabantur in principe daemoniorum daemonia eicere.

Inde probans se esse verum Messiam,

27) Lc 11, 27. 28) Ibid. vr. 20. 29) Mt 12, 28. 30) Lc 11, 17-18. Vulg.: *Si autem et satanas in seipsum*, etc. 31) Ibid. vr. 19. 32) Cf. not. 47 praec. hom., pag. 228. 33) Cf. 1 Rg 16, 23. 34) Cf. Ex 7, 11-8, 1-7.

die iudicii. Quod *si* ego *in digito Dei, in spiritu Dei, eicio daemonia* et operor miracula, *profecto pervenit in vos regnum Dei,* [35] idest venit rex Messias, hoc est: procul dubio ego sum verus Messias, qui ad hoc venturus erat, ut satanam a mundo expelleret, sicut per Zachariam dicitur: *In die illa, dicit Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum de terra, et non memorabuntur ultra, et pseudoprophetas,* idest daemonum oracula, *et spiritum immundum auferam de terra.* [36] Si igitur, inquit, ego operor effectus et praesto opera quae, secundum Scripturas, operaturus facturusque erat Messias, profecto iam venit Messias, profecto ego sum ipse.

quia talia mirabilia operabatur

Addit autem et aliam rationem: *Cum,* inquit, *fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quae possidet. Cum autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma eius auferet, in quibus confidebat.* [37] Cum princeps aliquis manet in sua arce, natura et arte valde munita, non potest inde expelli, nisi ab alio principe multo potentiori capta sit arx per vim aut obsidionem. Ad satanam igitur expellendum, ut ego facio imperio, potestate, virtute, cui resistere non valent daemones, virtus requiritur superior viribus satanae. Ego igitur, cum illum vi expellam, potentior illo censendus sum.

et propria virtute satanam expellebat;

Neque aestimandum quod si duo gladiatores vel luctatores in agone, multis spectantibus, pro corona contendant, [38] debilior validiorem superet et vincat, eo quod ille vinci et superari voluerit; quod David vicerit Goliam, [39] quia ille voluerit; quod Samson leonem occiderit, [40] eo quod ille occidi voluerit, quod inermis ipse multos Philisthaeos armatos interemerit, ad mille viros, [41] quoniam sic illi voluerint; quod Iosue superarit reges Chananaeos, [42] quia illi sic voluerunt. Stultum hoc dicere quod principes et reges, qui in invicem bella agunt arcesque et civitates alter alterius capiunt, quod ludant, non serio agant; non enim per lusum bella geruntur. Bella gerebat Christus contra satanam, arces illius capiebat, eiciens inde daemones qui sunt milites praesidiarii, et non serio agebat? Num lusit David quando arcem Sion cepit tulitque de manu Iebusaeorum? [43]

satanas enim victus fuit et regnum eius destructum, quia Christus fortior illo erat.

35) Lc 11, 19-20. 36) 13, 2. 37) Lc 11, 21-22. Vulg.: *Sunt ea quae possidet. Si autem fortior,* etc. 38) Ms.: *Contenda.* 39) Cf. 1 Rg 17, 48-51. 40) Cf. Idc 14, 5-6. 41) Cf. ibid. 15, 15-16. 42) Cf. Ios 10, 1 sqq. 43) Cf. 2 Rg 5, 6-7.

Messias venturus erat ut idololatriam everteret et regnum Dei propagaret;

IV. Ex daemonum eiectione et idololatriae destructione quam maxime manifestum est Christum Dominum nostrum verum esse Messiam a Deo missum, nam ad hoc venturus erat Messias, ad destruendam idololatriam, quam Deus maxime odit. Unde, cum israeliticam gentem sibi in regnum delegisset, primo omnium hoc illi praecepit: *Ego* sum *Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servitutis. Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile aut omnem similitudinem;...* non facies ea *neque coles. Ego* enim *sum Dominus Deus tuus... zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios...* his *qui oderunt me.*[44] Ubi ostendit Dominus se idololatriam odisse, sicut princeps quilibet rebellionem in suo regno, adulterium in sua uxore, odium contra seipsum. Ideo venturus erat Messias ad eam destruendam, et propagandam divinam religionem et pietatem, ad quod missus fuit Moyses, ad quod missi omnes Prophetae, qui tamen idololatriam vix in uno tantum regno Hebraeorum destruere aut cohibere potuerunt divinamque in eo religionem conservare. Christus autem Dominus noster ubique gentium cultum idolorum destruxit et divinam religionem propagavit universum per orbem, ut omnes gentes unum nunc Deum verum creatorem coeli et terrae agnoscant et colant. Quomodo ergo non est ipse verus Messias?

non poterat ergo Christus ullo modo partes satanae tueri, si ad regnum Dei propagandum contra satanam luctabatur.

Tandem, Dominus et aliam addit rationem dicens: *Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum, spargit.*[45] Sunt, inquit, regnum Dei et regnum satanae regna immediata, non datur regnum medium, sicut regna lucis et tenebrarum, diei et noctis. Ubi lux non est, tenebrae sunt; ubi dies non est, nox est. Non datur medium, uti inter aestatem et hiemem autumnus et ver. Ita, inquit, inter regnum Dei et regnum satanae non datur medium; veluti si sint duo potentissimi maximique exercitus inimicorum principum, non datur in exercitibus illis milites neutrales; quisquis miles pro uno non est, contra ipsum est, contra ipsum militat. Sic qui non est cum Deo, contra Deum est, et, e contra, qui non est cum satana, contra satanam est; quanto magis ergo qui manifeste contra satanam pugnat et bellum gerit, non erit cum satana! Qui pro Deo ad regnum ipsius propagandum contra Dei inimicos pugnat, non erit contra Deum.

44) Ex 20, 2-5. Vulg.: *Neque omnem similitudinem*, etc. 45) Lc 11, 23. Vulg.: *Dispergit.*

Qui non est in tenebris, necesse est ut sit in luce; quanto magis qui in ipsa meridiana luce est in facie solis, non erit in tenebris obscurae noctis. Sic Dominus manifestissimis rationibus ostendit veram esse inimicitiam inter ipsum et satanam, inimicum capitalem Dei.

V. Nec tantum vera est haec inimicitia, sed etiam magna valde, quoniam hi duo inimici non sunt personae privatae, sicut Cain et Abel,[46] Ismael et Isaac,[47] Iacob et Esau;[48] sunt magni principes et reges, ut Moyses princeps Hebraeorum, et Pharao rex Aegyptiorum. Hi sunt rex Ierusalem et rex Babylonis; Christus Rex paradisi, satanas rex inferni; Christus Rex et princeps Angelorum et omnium electorum Dei, satanas princeps daemonum et omnium inimicorum. Magna inimicitia, quia reges sunt potentissimi: *Cum fortis armatus custodit atrium suum... Cum fortior eo superveniens vicerit eum;* magna, quia perpetua, ab initio mundi usque in finem *erat eiciens daemonium;* magna inimicitia, quia agitur de magno mundi principatu, de imperio; nam satanas mundi principatum occupavit, usurpavit et possedit tyrannice; Christus autem, legitimus princeps et naturalis Dominus, venit ad eripiendum de manu tyranni suum regnum.

Insuper, inimicitia haec inter Christum et satanam perpetua est, acerrima, implacabilis,

Tandem, magna inimicitia, quia uterque magnos multosque habet sequaces et fautores, sicut Moyses et Pharao. Omnis homo vel Christi vel satanae partes sequitur, imo et omnis Angelus: Angeli boni sequuntur partes Christi, angeli mali partes satanae. Omnes sancti sequuntur partes Christi, hoc enim est quod legimus de sanctis Enoch,[49] Noe[50] et aliis,[51] quod cum Deo ambulaverunt; omnes autem peccatores sequuntur partes satanae; hinc homo nequam in Scripturis *homo Belial* dicitur,[52] sicut Seba,[53] idest homo diaboli. Mundus et caro pro viribus fovent partes satanae; spiritus autem, Ecclesia, Deus ipse favent partibus Christi: *Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum, spargit,* sicut in Aegypto qui non erat contra Moysen, pro Moyse erat. Qui non sequitur, inquit, partes meas, pro satana est contra me, contra Deum. Ecce in hodierno Evangelio fautores Christi: *Cum eiecisset daemonium, locutus est mutus, et admi-*

et multi sunt fautores utriusque partis;

cum Christo enim pugnant omnes Sancti et electi, cum satana vero peccatores omnes et reprobi.

46) Cf. Gn 4, 5-8. 47) Cf. ibid. 21, 6-9. 48) Cf. ibid. 27, 1 sqq. 49) Cf. ibid. 5, 29. 50) Cf. ibid. 6, 9. 51) Cf. 3 Rg 3, 14; 2 Par 31, 31. 52) Cf. Dt 13, 13; Idc 19, 22; 1 Rg 2, 12; 10, 27. 53) 2 Rg 20, 1.

ratae sunt turbae; [54] ecce mulier clamat: *Beatus venter qui te portavit.* Et ecce etiam homines contrariae factionis: *Quidam autem,* idest scribae et Pharisaei, inimici Christi, dicebant: *Hic non eicit daemones, nisi in... principe daemoniorum;* [55] *In Beelzebub principe daemoniorum eicit daemonia.* [56]

Sed qui partibus satanae favent crudelissime divexabuntur in novissimo.

VI. Quam bene autem se habeant vassalli et subditi satanae elucet in miserabili hoc daemoniaco vexato, male torto, muto, surdo, caeco, infelicissimo homine. Quid igitur patientur in inferno subditi crudelissimi huius tyranni, captivi infelices huius Pharaonis, monstri omnis crudelitatis? Nam propterea existimo permitti a divina providentia ut obsessi a daemonibus tam misere affligantur et divexentur, ut hinc conicere et intelligere possimus quibus poenis afficiantur a satana damnati in inferno, ubi a septem nequioribus daemonibus obsessi multo peius tractantur; nam, inquit: *Erunt novissima hominis illius peiora prioribus.* [57]

Signa ex quibus dignosci possit quinam partes Christi et quinam satanae tueantur.

Habemus etiam in hodierno Evangelio signa hominis manentis sub diaboli potestate in daemoniaco, et hominis iam per Christum a potestate satanae liberati: *Cum eiecisset daemonium;* prius mutus erat, surdus et caecus; postea integris omnibus sensibus donatus a Christo fuit.

Cum habeamus in hodierno Evangelio duo regna, Dei, inquam, et satanae, regnum Dei, regnum lucis est; regnum autem satanae, regnum tenebrarum. Hinc P a u l u s in hodierna epistola: *Eratis... aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulate.* [58] Docet etiam P a u l u s hodie manifeste quinam spectent ad regnum Christi, dicens quod *omnis fornicator, aut immundus, aut avarus,* quem dicit *cultorem idolorum, non habet hereditatem in regno Christi et Dei.* [59] Ad Christi igitur regnum non spectant nisi sancti, electi et dilecti Dei. [60]

54) Lc 11, 14. 55) Mt 12, 24. 56) Lc 11, 15. 57) Mt 12, 45; Lc 11, 26. Vulg.: *Fiunt novissima*, etc. 58) Eph 5, 8. 59) Ibid. vr. 5. 60) Cf. Col 3, 12.

ALIA HOMILIA

Erat Iesus eiciens daemonium, et illud erat mutum. Et cum eiecisset daemonium, etc. [1]

I. Sicut aeneus serpens vicit serpentes ignitos, [1*] virga Moysi devoravit serpentes magorum Pharaonis, [2] ita Christus ostenditur potentior satana, omnibusque daemonibus, sicut lux suapte natura potentior tenebris. Produxit Deus primam lucem, ut tenebras abyssi fugaret et exterminaret, nam ait : *Tenebrae erant super faciem abyssi... Et dixit Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona.* [3] Sic misit Christum qui ait : *Ego sum lux mundi,* [4] ad fugandas tenebras, ad dissolvenda opera diaboli, quae luce clarius videntur hodie in miserabili hoc daemoniaco. Obsessus enim a daemone privatus erat sanitate mentis et corporis, luce oculorum, auditu aurium et loquela ; liberatus autem a Christo, restitutus est sanitati et integritati mentis et corporis. [5]

Christus daemoniacum liberans et sanans, potentiorem satanae se ostendit.

Hoc autem facto ostenditur quam magnum discrimen sit inter servum satanae et servum Christi. Nam in hodierno Evangelio proponuntur duo regna, Christi et satanae, sicut in *Sacra Genesi* legimus et oculis ipsis cernimus regnum lucis et regnum tenebrarum, regnum diei et regnum noctis, [5*] quae quidem immediata sunt totumque mundum in duo dividunt sibi. Princeps regni lucis et diei sol est ; princeps regni tenebrarum et noctis terra est. Sic ponuntur in hodierno Evangelio duo regna : *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur; si* ergo *satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ipsius?* [6] ecce regnum satanae. *Si in digito Dei eicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei:* [7] ecce regnum Christi. Regna immediata atque contraria : *Qui non est mecum, contra me est, et qui non congregat mecum, spargit.* [8]

Duo regna proponuntur in hodierno Evangelio: Christi et satanae.

Ostenduntur reges horum regnorum potentes valde : *Cum fortis*

1) Lc 11, 14. 1*) Cf. Nm 21, 6-9. 2) Cf. Ex 7, 10-12. 3) Gn 1, 2-4. Vulg.: *Dixitque Deus*, etc. 4) Io 8, 12 ; 9, 5. 5) Cf. Mt 12, 22 ; Mc 9, 24 ; Lc 11, 14. 5*) Cf. 1, 3 sqq. 6) Lc 11, 18. Vulg.: *Regnum eius.* 7) Ibid. vr. 20. 8) Mt 12, 30.

qui sunt duo reges potentissimi et sibi invicem inimicissimi.

armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia *quae possidet; si autem fortior eius superveniens, vicerit eum, universa arma eius auferet.* [9] Rex potens ostenditur satanas; rex multo potentior Christus satanam vincens: *Erat eiciens daemonium... Et cum eiecisset daemonium...* Duo reges ostenduntur potentes, universales et summe inimici ad invicem; sed alter eorum optimus princeps est, alter crudelissimus tyrannus; Christus princeps optimus paradisi et Ecclesiae, satanas pessimus et crudelissimus tyrannus mundi huius et inferni. En quomodo subditos et vassallos suos tractat; patet in vexato daemoniaco.

Satanas in homines crudelissimus est,

II. Tyrannus crudelis et magnae potestatis est satanas; posset mundum totum, omnes penitus homines adigere in hunc infelicissimae miseriae statum, quem in hodierno daemoniaco videmus, nisi virtute coerceretur. Sed a Deo infrenatus instar equi tenetur, ut non possit agere quicquam, nisi divinitus permissus; ita ut, sicut Angelus Domini obturavit ora leonum ne devorarent Danielem, [10] et vim ignis cohibuit ne tres hebraeos adolescentes flamma laederet, [11] ita Deus cum daemonibus agit. Posset satanas mundum totum brevissimo perdere, sicut unus Angelus una nocte perdidit omnia primogenita Aegypti, [12] sicut perdidit omnem exercitum Sennacherib. [13] Posset inducere famem, bella, pestem, omne contagium et perniciem. Hoc insinuavit Dominus per I e r e m i a m dicens: *Ecce ego praedico vobis libertatem, ait Dominus, ad gladium, ad pestem et ad famem.* [14] Quid est: *praedico libertatem?* Ut haec, inquit, veniant in mundum sufficit tantum ut ego dem facultatem, licentiam daemonibus, ut permittam, ut annuam, tantum ne prohibeam. Sic daemon tyrannus est potentissimus, sed qui potentiam suam non exercet, nisi in malum, in damnum et perniciem hominum. Ubi, e contra, Christus princeps est multo potentior, sed potentiam suam exercere non novit, nisi in bonum et salutem mundi: *Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant.* [15] Patet manifeste in curato daemoniaco.

a Christo tamen frenatus tenetur;

O principem optimum, cuius infinita potentia, sapientia, bonitas est, sed omnia in beneficium et salutem nostram: potentiam exercet

9) Ibid. vrr. 21-22. Vulg.: *Fortior eo*, etc. 10) Cf. Dn 6, 22; 14, 30 sqq. 11) Cf. ibid. 3, 49-50. 12) Cf. Ex 12, 29. 13) Cf. 4 Rg 19, 35. 14) 34, 17. 15) Io 10, 10.

Christus autem nonnisi in salutem mundi potentiam suam exercet.

contra daemonem, bonitatem erga daemoniacum, sapientiam ad instruendas turbas contra calumniatores! Sic satanas servos suos pessime tractat, Christus autem optime. Patet luce clarius in Hebraeis sub Pharaone in Aegypto et sub Moyse in deserto. Male tractat suos daemon in hoc mundo, multo peius in altero; nam inquit: *Erunt novissima hominis illius peiora prioribus,* [16] sicut multo peius vexatur qui a septem nequioribus, quam qui ab uno tantum immundo spiritu vexatur. Qualis erit vexatio in inferno?

Non tantum in paradiso Christus servos suos optime tractat, verum etiam in hoc mundo;

III. Christi autem servi non solum in paradiso a Christo optime tractabuntur, verum etiam in hoc mundo. Hinc, cum mulier hodie, audita Christi concione, exclamasset: *Beatus venter qui te portavit et ubera quae suxisti,* ait ipse: *Imo beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.* [17] Non dixit: Beati erunt, aut beati sunt, sed simpliciter *beati,* ut ad utrunque saeculum vitamque utranque beatitudo referatur. Sic etiam servi Christi in hoc mundo bene habent, quoniam *iugum* Christi *suave est et onus... leve,* et invenerunt *requiem animabus* suis. [18]

satanas autem crudelissime vexat servos suos non tantum in aeternitate, sed et in praesenti;

Discrimen quale sit inter servos Dei et satanae servos, manifestum est non solum in Angelis et hominibus beatis in paradiso, daemonibus et damnatis in inferno, sed etiam in Adamo in statu innocentiae et in statu culpae; [19] patet in populo Dei sub Pharaone in Aegypto, et sub Moyse in deserto; [20] patet in Samsone libero et captivo sub Philisthaeis; [21] patet in filio prodigo in domo aliena et in domo patris; [22] patet quam maxime in daemoniaco isto sub potestate satanae et sub gratia Christi. Hunc enim Christus liberavit ab omnibus malis, sicut Deus liberavit Noe a diluvio, [23] Loth ab incendio Pentapolis, [24] populum a servitute Pharaonis, [25] David a persecutione Saulis, [26] Ionam de tempestate maris, [27] Danielem de lacu leonum, [28] tres pueros de fornace ignis. [29]

Postea vero, *beatos* dicit servos Dei: *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.* Sic in Sacris Litteris semper et ubique veri servi

16) Mt 12, 45; Lc 11, 26. Vulg.: *Fiunt novissima,* etc. 17) Lc 11, 28. Vulg.: *Quinimo beati,* etc. 18) Mt 11, 29-30. 19) Cf. Gn 2, 1-3, 1 sqq. 20) Cf. Ex 1, 1 sqq. 21) Cf. Idc 14, 1-16, 1 sqq. 22) Cf. Lc 15, 11 sqq. 23) Cf. Gn 6, 13-7, 1 sqq. 24) Cf. ibid. 19, 12-25. 25) Cf. Ex 14, 1 sqq. 26) Cf. 1 Rg 18, 1-27, 1 sqq. 27) Cf. Ion 1, 1-2, 1 sqq. 28) Cf. Dn 6, 1 sqq.; 14, 29 sqq. 29) Cf. ibid. 3, 23-24.

ideo servi Christi vere beati praedicantur, quia omnia bona ab eo accipiunt et a malis omnibus liberantur.

Dei *beati* praedicantur, quoniam Deus et Christus Dominus noster, verus Deus, Rex et regnum est, idest ipse regnum suum glorificat et beatificat. Non est sicut rex terrenus, qui omnia bona sua a regno accipit; rex iste est sicut sol, rex coeli, qui a regno suo nihil accipit et dat omnem claritatem, omnem gloriam; nam omnes coeli divitiae [a] sole sunt. Sic Christus Rex et regnum est. Hinc hodie ait: *Si* ego *in digito Dei eicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei,* [30] idest venit verus Messias. Sicut enim in mundo hoc idem est ortum esse solem et advenisse diem, quoniam dies, quae regnum lucis est, a sole et cum sole semper est; ita est regnum Christi, semper cum Christo. Et sicut qui solem semper sequitur, sicut luciferi stella, non potest timere tenebras noctis et obscuritatem; ita qui Christum sequitur nullum malum timet: *Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae.* [31] Expellit enim Christus omne malum, sicut sol omnes tenebras, sicut patet in beato isto daemoniaco.

Et tamen non omnes Christum principem humanissimum habere volunt,

IV. Et tamen, o fratres, cum ita sit quod Christus est optimus princeps, et satanas crudelissimus tyrannus, non tamen omnes Christum principem habere volunt. *Cum eiecisset daemonium ..., miratae sunt turbae;* sed tamen quidam dicebant: Hic *in Beelzebub principe daemoniorum eicit daemonia; et alii tentantes signum de coelo petebant ab eo.* [32] Sic est mundus hic sicut Aegyptus, in quo Hebraei simul et Aegyptii; sicut terra Israel, in qua non omnes erant Israelitae, multi Chananaei. Sed a signis dignoscendi sunt veri Hebraei ab Aegyptiis, sicut a fructibus cognoscitur arbor. Signa peccatoris sunt quae videntur in daemoniaco isto, cum esset sub potestate daemonis: caecus, surdus et mutus erat. Per Ezechielem Dominus ait quod peccatores *oculos habent ... et non vident, aures et non audiunt,* [33] sicut Regius Vates dixit cultores idolorum similes fore idolis ipsis, quae oculos habebant nec videbant, aures nec audiebant, nares nec odorabant, manus nec palpabant, pedes et non ambulabant. [34]

sed multi satanam tyrannum crudelissimum sequuntur.

30) Lc 11, 20. 31) Io 8, 12. 32) Lc 11, 14-16. Vulg.: *Quaerebant ab eo.*
33) 12, 2. 34) Cf. Ps 113, 5-7.

FERIA SECUNDA DOMINICAE TERTIAE QUADRAGESIMAE

Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua. Iesus autem, etc. [1]

Christus verum Dei prophetam concivibus suis se ostendit;

I. Dominus noster Iesus Christus, qui in hunc mundum venire voluit non in maiestate, sed in humilitate, *formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo,* [2] ostendit se hodie concivibus suis Nazarenis verum Dei prophetam. Nam, cum in synagoga accepisset librum Isaiae prophetae et legisset illud : *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem et caecis visum, dimittere confractos in remissionem, praedicare annum Domini acceptum et diem retributionis,* [3] dixissetque : *Quia hodie impleta est* prophetia, sive *scriptura haec in auribus vestris,... omnes testimonium illi dabant, et mirabantur in verbis gratiae, quae procedebant de ore eius.* [4]

sed quia mores eorum coarguebat, ab illis odio habebatur;

At vero, ubi ad mores coarguendos venit et ad vitia corrigenda, quod erat munus veri prophetae, sicut Ieremiae Dominus ait: *Ecce dedi verba mea in ore tuo; ecce constitui te hodie super gentes et... regna, ut evellas et destruas et disperdas et dissipes et aedifices et plantes,* [5] tunc Nazareni *repleti... in synagoga ira... surrexerunt et eiecerunt eum extra civitatem et duxerunt eum usque ad supercilium montis, super quem civitas... erat aedificata, ut praecipitarent eum,* [6] ac si propheta blasphemus ac falsus fuisset, qui secundum legem reus mortis erat et sine remissione interfici mandabatur. [7] Ipse vero ait : *Amen dico vobis... nemo propheta acceptus est in patria sua.* [8]

1) Pericope huius diei Lc 4, 23-30. Cf. Missale Rom. 2) Phil 2, 7. 3) Is 61, 1-2. Ex Translat. Septuaginta; Lc 4, 18-19. Vulg.: *Propter quod unxit, etc.* 4) Lc 4, 21-22. 5) 1, 9-10. 6) Lc 4, 28-29. Vulg.: *Eiecerunt illum... et duxerunt illum, etc.* 7) Cf. Dt 13, 5; 18, 20. 8) Lc 4, 24.

Quare in hodierno Evangelio Dominus verum se ostendit prophetam, sicut Elias, sicut Eliseus, quos in exemplum adducit.[9] Nam Messias in primis verus propheta futurus erat, sicut in *Deuteronomio* legimus: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis suscitabit tibi Dominus Deus tuus sicut me: ipsum audies.*[10] Et quidem hac de causa acceptus erat Christus honoratusque in Capharnaum, ubi miracula multa propterea operabatur,[11] quia credebant in eum, hoc est credebant eum verum Messiam, verum Dei prophetam. In Nazareth vero propterea nec honoratus nec acceptus erat, et ideo nec miracula ibi operabatur, quia non credebant in eum:[12] *Et mirabatur propter incredulitatem eorum.*[13]

a multis autem fidelibus tanquam verus Messias honorabatur.

Designant autem duae hae civitates, Capharnaum et Nazareth, Ecclesiam Gentium et synagogam Iudaeorum. Non erat Christus a Capharnaum, sed a Nazareth; et tamen in Capharnaum acceptus erat et honorabatur, quia verus Dei propheta credebatur; in Nazareth vero nec acceptus erat, nec honorabatur, imo contemnebatur tanquam *faber*[14] et *filius fabri*,[15] imo odio habebatur; unde eiectum extra civitatem voluerunt occidere, quia non credebatur, propheta falsus habebatur, pseudopropheta. Sic nunc in Ecclesia et in synagoga accidit. Synagoga Iudaeorum non vult adhuc in Christum Dominum nostrum credere tanquam in verum Messiam verumque prophetam a Deo missum pro salute mundi; Ecclesia vero christianorum sicut Capharnaum est Christum honorans et in eum vere credens. Quare videnda nobis sunt ex Sacris Litteris signa veri prophetae, ut agnoscamus cum Capharnaitis Christum verum prophetam Dei ac in eum credentes, ut par est, eum honoremus, ne merito conqueratur de nobis, sicut de Nazarenis concivibus suis, quod ipsum minime pro dignitate et merito honorabant.

Nazareth synagogam infidelem designabat, Capharnaum vero fidelem Ecclesiam Gentium.

II. In hodierno Evangelio adducuntur Elias et Eliseus, qui ab omnibus tanquam veri prophetae habentur et a Nazarenis et a Capharnaitis, hoc est et a Iudaeis et a christianis. Sed qua de causa veri prophetae, non falsi, creduntur? Nam Elias, contra legis praescri-

Signa veri prophetae sunt: a) operatio miraculorum,

9) Cf. ibid. vrr. 26-27. 10) 18, 15. Vulg.: *De fratribus tuis sicut me suscitabit*, etc. 11) Cf. Lc 4, 23 sqq. 12) Cf. Mt 13, 57-58; Mc 6, 5. 13) Mc 6, 6. 14) Ibid. vr. 3. 15) Mt 13, 55.

ptum,[16] visus est obtulisse sacrificium extra templum et locum in Lege deputatum,[17] et nunquam legitur Ierosolymam adisse et in templo Salomonis Dominum adorasse; nec etiam Eliseus post ipsum. Quomodo ergo veri prophetae habentur et creduntur? Profecto quia divina miracula operati fuere et, ut in hodierno Evangelio recensetur, Elias *clausit coelum annis tribus et mensibus sex;*[18] missus fuit ad viduam in Sarepta Sidoniae, multiplicavit ei farinam et oleum, filium eius defunctum ad vitam revocavit.[19] Eliseus Naaman syrum ad aquas Iordanis mundavit a lepra[20] multaque alia miracula edidit.[21]

b) doctrinae sanctitas.

Verum, non sufficit operatio miraculorum sola ad probandum verum prophetam. Nam Divina Lex ait: *Si surrexerit in medio tui prophetes aut qui somnium vidisse se dicat, et praedixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est et dixerit tibi: eamus et sequamur deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis; non audies verba prophetae illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester.*[22] Imo iubet Divina Lex falsum prophetam, qui idololatriam praedicat, de medio tolli: *Propheta autem,* inquit, *ille aut fictor somniorum interficietur, quia locutus est ut vos averteret a Domino Deo vestro.*[23] Elias et Eliseus veri prophetae fuerunt, quia non idololatriam, sed divinam religionem et pietatem verumque Dei cultum praedicaverunt; imo Elias in regno Israelis idololatriam destruxit, omnes sacerdotes et prophetas Baal occidit et populum ad veram pietatem reduxit.[24] Eliseus vero Israelitas in officio continuit ne iterum ad idolorum cultum defluerent.[25]

c) verax futurorum praedictio ex illustratione divina.

Sed adhuc aliud ad verum prophetam requiritur: ne unquam in vaticiniis et praedictionibus suis repertus sit mendax, sicut astrologi et divinatores. Hinc ait Deus: *Propheta . . . qui, arrogantia depravatus, voluerit loqui in nomine meo, quae ego non praecepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur. Quod si tacita cogitatione responderit: Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? hoc habebis signum: quod in nomine Domini propheta ille*

16) Cf. Dt 12, 5-13; 16, 2-7; 2 Par 7, 12. 17) Cf. 3 Rg 18, 21 sqq. 18) Lc 4, 25. 19) Cf. 3 Rg 17, 7-22. 20) Cf. 4 Rg 5, 1 sqq. 21) Cf. ibid. 3, 13 sqq.; 4, 1 sqq.; 6, 5-7; 13, 21. 22) Dt 13, 1-3. 23) Ibid. vr. 5. 24) Cf. 3 Rg 18, 20-40. 25) Cf. 4 Rg 5, 1-13, 1 sqq.

praedixerit et non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit. [26] Ad constituendum ergo verum prophetam requiritur Spiritus Domini, quo plenus fuit Moyses et de quo tulit Dominus et dedit septuaginta senioribus populi, unde prophetare coeperunt. [27] Sic Elias Spiritu Domini plenus fuit, qui postea, abeunte illo in coelum, datus fuit Eliseo ; unde dixerunt filii prophetarum : *Requievit spiritus Eliae super Eliseum;* et hanc ob causam *proni in terram adoraverunt eum.* [28] Agnoscitur autem Divinus Spiritus in propheta vero ex veraci praedictione futurorum.

His signis dignoscendus etiam erat verus Messias.

Haec igitur tria constituunt verum prophetam : operatio miraculorum ; praedicatio divini cultus veraeque religionis, idest doctrina vera, bona, sancta ; ac tandem Spiritus Domini. Quoniam vero Messias futurus erat verus propheta, propterea tria haec leguntur de eo. Operatio miraculorum: *Deus ipse veniet et salvabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt.* [29] Plenitudo Spiritus Sancti: *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus.* [30] Ac tandem praedicatio veritatis: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me.* [31]

Haec autem Christus manifeste exhibuit.

In Christo autem Domino nostro haec sole clariora sunt. Hinc in hodierno Evangelio propheta est cum Elia et Eliseo, sicut in transfiguratione in medio Moysi et Eliae apparuit sole splendidior [32] tanquam princeps Prophetarum, et vox Dei de coelo intonuit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* [33] Hinc habentur in hoc Evangelio requisita ad verum prophetam : Operatio miraculorum: *Quanta audivimus facta in Capharnaum;* [34] doctrina sancta: sermonem nanque habuit in synagoga legens et exponens Isaiam prophetam et ex Divinis Sacrisque Litteris adducit exempla Eliae et Elisei ; [35] tandem : *Spiritus Domini,* ait, *super me.*

III. Aliud quoque signum reperitur verorum Prophetarum: perpessio gravium persecutionum propter iustitiam et

26) Dt 18, 20-22. 27) Cf. Nm 11, 24-25. 28) 4 Rg 2, 15. Vulg.: *Adoraverunt eum proni in terram.* 29) Is 35, 4-5. 30) Ibid. 11, 2. 31) Ibid. 61, 1. Ex Translat. Septuaginta ; Lc 4, 18. Vulg.: *Propter quod unxit me,* etc. 32) Cf. Mt 17, 2-3. 33) Ibid. vr. 5. 34) Lc 4, 23. 35) Cf. ibid. vrr. 16-19.

propter veritatis praedicationem. Manifestum est in Elia [36] et Eliseo, [37] in Ieremia, [38] Michaea, [39] Zacharia pontifice, qui in templo occisus fuit, [40] innumerisque aliis prophetis occisis ab impiis regibus Iudaeorum et Israelitarum propter legem Dei. [41] Unde Elias cum Deo conquerebatur quod solus relictus erat in Israel propheta, omnibus aliis occisis, et ipse quoque ad necem quaerebatur. [42]

Aliud signum veri prophetae: perpessio persecutionum propter veritatis praedicationem,

En qualem hodie Christus patitur persecutionem a suis concivibus propter veritatis praedicationem; nam: *Eiecerunt eum*, ira repleti in synagoga, *extra civitatem*, [43] ut eum de montis supercilio praecipitarenti. Sed sicut Deus Moysen salvavit et nube protexit, quando Hebrae voluerunt lapidare eum, [44] ita hodie Christus divinitus protectus et salvatus est, ut postea crucifigeretur. O Nazareth infelicem, qualem prophetam eiecit! Plane Eliam et Eliseum; nam Elias p o t e n s D e u s interpretatur, Eliseus autem p o t e n s s a l v a r e, sive D e u s S a l v a t o r. Vere talis Christus, quia non solum homo, verum etiam Deus erat verus atque perfectus, per quem facta sunt omnia. [45] Hinc synagoga Iudaeorum facta est *synagoga satanae*, [46] quoniam Christum eiecit verum Deum et hominem.

quod et in Christo hodie ostenditur.

Erat tunc synagoga Iudaeorum vera Dei Ecclesia. Deus autem in Ecclesia est sicut auriga in curru, sicut nauta in navi, sicut paterfamilias in domo, sicut rex in regno, imperator in exercitu, anima in corpore, sol in mundo. Aufer solem a mundo, quid erit nisi perpetuus nidus et caverna horribilium tenebrarum, nisi obscurissimus carcer? Sic nunc synagoga, quoniam Christum eiecit. I s a i a s ait: *Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis!* [47] Terribilis comminatio! Quidnam egerunt Iudaei, Vates sancte, quia sic eis comminaris? *Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.* [48] Sed quidnam propterea eveniet eis? *Omne caput languidum et omne cor moerens; a planta pedis usque ad verticem* capitis *non est in eo sanitas... Derelinquetur filia Sion sicut umbraculum in vinea et sicut tugurium in cucumerario et sicut civitas quae vastatur,* [49] idest civitas ab hostibus

Synagoga erat vera Dei Ecclesia, sed quia Christo non credidit, imo necem intulit, funditus eversa est.

36) Cf. 3 Rg 19, 1 sqq. 37) Cf. 4 Rg 6, 11-18. 38) Cf. Ier 11, 19; 18, 18; 20, 1-3; 26, 1-11; 37, 1-40, 1 sqq. 39) Cf. 3 Rg 22, 15-22. 40) Cf. 2 Par 24, 20-22. 41) Cf. 3 Rg 19, 10; 2 Par 24, 20-21; Ier 2, 36; 36, 19-26; Mt 23, 30-31; Lc 11, 47-51; Act 7, 52. 42) Cf. 3 Rg 19,10-14. 43) Lc 4, 29. 44) Cf. Nm 14, 10. 45) Cf. Io 1, 3. 46) Apc 2, 9. 47) 1, 4. 48) Ibid. 49) Ibid. vrr. 5-8. Vulg.: *Ut umbraculum*, etc.

diruta et impugnata ac expugnata funditusque eversa. Quis non videt ruinam synagogae propter necem Christo impie illatam? Fovit semper synagogam Deus, quandiu ipsa Prophetas audivit; gravissimis autem poenis affecit, quando Prophetas persecuta fuit.

Sicut enim cum Prophetas contemneret et occideret, maximis malis premebatur,

Ecce in hodierno Evangelio fames trium annorum, cum non plueerit *annis tribus et mensibus sex;* [50] dedit civitatem Ierusalem in manibus Chaldaeorum, qui tunc erant sicut nunc sunt Turcae: destruxerunt civitatem, combusserunt templum, duxerunt populum captivum in Babylonem, [51] quia Iudaei multos Prophetas occiderant. Hanc ob causam annis septuaginta manserunt captivi in Babylone [52] in vindictam sanguinis Prophetarum quos impie occiderant. [53] Vindicta illa ultioque divina tam magna, extitit plane luculenta ac manifestissima demonstratio quod Prophetae occisi veri erant Prophetae Dei, veri legati et nuncii Dei; alioquin Deus non tam severe ultus fuisset illorum mortem. Quare tum prosperitas synagogae, dum Prophetas audiret, tum adversitas, dum contemneret et persequeretur, clara erant indicia verorum prophetarum.

sic ob eius perfidiam in Christum, irreparabili ruina concidit,

Sed quis nunc adeo caecus est ut non videat irreparabilem ruinam extremamque calamitatem synagogae propter impiam incredulitatem et perfidiam, Sanctae autem Ecclesiae gloriam propter susceptam Christi fidem legemque Evangelii? O clara indicia et manifestas sensatasque demonstrationes! Cum Iudaei innumeros Prophetas occidissent, ita ut civitatem Ierusalem sanguine Prophetarum replevissent sub impio Manasse, [54] ob tantorum facinorum scelerumque talisque et tantae impietatis execrationem, captivitate septuaginta annorum in Babylone puniti fuerunt; ob necem autem Christo illatam perpetuam mille et quingentorum annorum passi sunt, et adhuc patiuntur, universum per orbem dispersi omnibusque invisi, odibiles, execrabiles.

quod magis probat maximum omnium Prophetarum fuisse.

Hinc ergo liquido patet quod Christus Dominus noster non solum verus propheta fuit, verum etiam quod Deus super omnes alios Prophetas eum maximi fecerit, cum multo maiora supplicia poenasque et ultionem sumpserit ob necem solius Christi, quam ob necationem in-

50) Lc 4, 25. 51) Cf. 4 Rg 24, 1-25, 1 sqq.; 2 Par 36, 1-20. 52) Cf. 2 Par 36, 21; Ier 15, 11-12; 22, 12; 29, 10. 53) Cf. 2 Par 36, 15-21; Ier 7, 8; 25, 3 sqq.
54) Cf. 4 Rg 21, 16.

numerorum Prophetarum. Idololatria, quae summa erat impietas, summum scelus, puniturum se dixit Deus usque *in tertiam et quartam generationem;* [55] sed Christi mortem punit usque in centum, in mille generationes. Multo igitur gravius peccatum fuit scelere et impietate idololatriae.

Miracula Christi verissima sunt.

IV. Quod si ad ostendendum verum prophetam requiruntur miracula, doctrina sancta et praedicatio vera, quis non haec videt in Evangelio? Credimus miracula Moysi, quae tamen ipsemet scripsit de seipso, vera tamen credimus, quoniam alioquin non potuisset educere populum de Aegypto contra potentiam Pharaonis potentissimi regis, cum ipse esset pastor ovium, homo pauper de plebe. [56] Miracula autem Christi scripta sunt non ab ipso, sed ab Evangelistis. Iudicio autem naturalis rationis magis credendum est pluribus testibus oculatis, quam uni et in propria causa loquenti. Et sine miraculis quomodo potuisset Christus contra potentiam diaboli et totius mundi educere Ecclesiam suam de regno tenebrarum, de impietate idololatriae?

eius doctrina sanctissima,

Deinde, doctrina Christi purissima est, sanctissima est, nonnisi divina docet, nonnisi divinam religionem praedicavit atque ad religionem et fidem Dei multos gentiles, idololatras populos convertit, sicut Elias viduam sareptanam, [57] sicut Eliseus Naaman syrum. [58] Quis non haec videt?

omnes eius prophetiae veracissimae;

Quod autem spectat ad futurorum veram praedictionem, age, videamus an vera sint quae in hodierno Evangelio futura praedixit. *Nemo,* ait, *propheta acceptus est in patria sua:* [59] praedixit quod non erat honorandus apud Iudaeos, sed apud Gentiles, qui credituri erant in eum, sicut vidua sareptana credidit Eliae, sicut Naaman syrus credidit Eliseo. Quis hoc verum fuisse vaticinium non videt, non sentit, non tangit manibus? Quis non videt perfidam Iudaeorum incredulitatem et devotam Gentium fidem in Christum? Praedixit hodie quod multi gentiles, etiam principes, suscepturi erant Baptismi sacramentum, sicut Naaman syrus in Iordane baptizatus, mundatus fuit a lepra et divina fide imbutus fuit. Quis etiam hoc impletum non

55) Ex 20, 5. 56) Cf. ibid. 3, 1. 57) Cf. 3 Rg 17, 9 sqq. 58) Cf. 4 Rg 5, 1-19.
59) Lc 4, 24.

videt? Quod, sicut vidua, viso miraculo revocationis filii a morte ad vitam, cognovit et credidit Eliam verum prophetam Dei esse, unde ait: *Nunc in isto cognovi quoniam vir Dei es tu et verbum Domini in ore tuo verum est,* [60] ita gentilitas creditura in Christum erat et confessura eum verum esse Dei prophetam. Hoc quoque quis non videt verum? quis non videt impletum? Quod, sicut Elias viduae multiplicavit farinam et oleum eamque a fame servavit et apud eam multo tempore mansit filiumque ipsius a morte suscitavit, [61] sic Christus gentilitati crediturae et credenti in ipsum multiplicaturus erat farinam doctrinae salutaris, oleum pietatis et gratiae Spiritus Sancti, vivificaturus mortuos in peccatis per Poenitentiae sacramentum et usque ad finem saeculi cum ea mansurus, perseverantibus Iudaeis in incredulitate, clauso eis coelo, unde patiuntur magnam famen verbi Dei, quia ex quo Christus ad gentilitatem venit, nullum habuere nec habent prophetam a Deo missum, sicut prius habuere. Haec quoque omnia an clarissima non sunt? Quomodo nosse futura haec poterat Christus, si verum spiritum prophetarum Eliae et Elisei non habuit?

ergo vera est fides nostra et Christus verus Messias per Eliam et Eliseum figuratus.

Profecto nimis clara et evidens est, fratres mei, fidei nostrae veritas. Satagendum nobis est ut, sicut in Christum credimus, ita etiam pro dignitate et merito honoremus et acceptum habeamus, ut colamus et diligamus eum ex toto corde. Consideremus, fratres, quam magnus propheta sit Dominus noster. Ipse enim verus Elias in coelum assumptus, [61*] *sedet a dextris Dei;* [62] ipse *currus et auriga Israel,* [63] p o t e n s D e u s et d i v i n u s S a l v a t o r. In Eliseo elucet magna benignitas, viscera pietatis; in Elia, ardentissimus zelus quo coelum clausit, [64] prophetas Baal occidit, [65] quinquagenarios cum suis quinquaginta igne de coelo consumpsit. [66] Christus autem omnia Eliae et Elisei opera vel praestitit vel praestiturus est in die iudicii, quem Elias ipse praecedet. [67] Tunc vere Elias, p o t e n s D e u s, et Eliseus, d i v i n u s S a l v a t o r et D e u s s a l u t i s agnoscetur.

V. *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua... Amen dico.* Si vera, inquiunt, essent quae de te audivimus ve-

60) 3 Rg 17, 24. 61) Cf. ibid. vrr. 14-23. 61*) Cf. 4 Rg 2, 11. 62) Mc 16, 19.
63) 4 Rg 2, 11; 13, 14. Vulg.: *Currus Israel et auriga eius.* 64) Cf. 3 Rg 17, 1.
65) Cf. ibid. 18, 40. 66) Cf. 4 Rg 1, 9-12. 67) Cf. Mal 4, 5; Mt 17, 10; Mc 9, 10.

Iudaei Christum arguunt impotentiae vel inhumanitatis, ut non credant in eum;

rusque propheta esses, etiam in patria tua, motus civica caritate, operareris ea; nam varii Prophetae apud gentem suam, non apud alienos, operabantur miracula. Nam, vel, inquiunt, non potes, vel non vis operari miracula hic in patria tua: si non potes, delusisti ergo alios qui te, ut non concives, probe non norunt; si potes et non vis, civica destitutus es caritate, quod alienum semper fuit a sanctis Prophetis. Non ergo, ut illi, in virtute Dei miracula operaris.

sed vera ratio illorum perfidiae erat, quia expectabant Messiam gloria circumdatum, Iesum autem humilem videbant;

Duplici ex capite vel maxime Nazareni scandalizabantur in Christo, ut non crederent eum Messiam verumque prophetam Dei. Primo quidem, propter generis et progeniei humilitatem. Sic enim apud M a t t h a e u m legimus: *Unde huic sapientia haec et virtutes? Nonne hic est fabri filius?... Et scandalizabantur in eo.* [68] Similiter apud M a r c u m: *Nonne hic est faber, filius Mariae?* [69] Secundo vero, quia non in Nazareth patria sua, sed in aliis civitatibus operabatur miracula. Et propter haec duo ad hunc usque diem Iudaei in Christum credere nolunt: primo, quia non fuit rex, sicut David et Salomon, Messias autem in Sacris Litteris *Rex* appellatur; [70] secundo, quia Messias venturus erat in salutem Iudaeorum, non Gentium, [71] Christus autem non salvavit, sed destruxit potius Iudaeorum rempublicam: adeo nullis, aiunt, beneficiis affecit. Christus autem ad obiecta haec diluenda hodie verissime et sapientissime respondit, veluti apologiam pro se faciens; in exemplum adducit Eliam et Eliseum, clarissimos et illustrissimos prophetas, sanctitatis honore, plenitudine Spiritus et gloria miraculorum. Sed si spectetur generis nobilitas, nulla in eis fuit. Eliae omnino ignoratur genus; Eliseus, cum ab Elia vocatus fuit, colendae terrae operam dabat, arantem eum invenit Elias. [72] An propterea non veri prophetae Dei fuerunt? Imo quae nobilitas generis in David? quae nobilitas in Moyse? quae in Iacob? Nonne pastores fuere? Quae nobilitas generis in Abraham patriarcha? Nonne cum vocatus a Deo fuit, homo de plebe erat? At, inquiunt, Messias appellatur *Rex*. Utique; sed tamen non dicunt Divinae Scripturae quod futurus erat rex temporalis et mundanus in Ierusalem terrena, sicut David et Salomon. An non etiam Deus *Rex magnus* appellatur *super omnem terram?* [73] Ergo rex temporalis?

sed multi Prophetae humiles genere fuerant, nec Scriptura dicit Messiam futurum esse regem terrenum;

68) 13, 54-57. 69) 6, 3. 70) Cf. Ps 131, 11; Is 9, 7; Ier 23, 5; Dn 2, 44; 7, 14; Mich 4, 7. 71) Cf. Dt 18, 15 sqq.; Ier 23, 5; 32, 7-8. 72) Cf. 3 Rg 19, 19. 73) Ps 46, 3.

ceterum Christus magnus et gloriosus Rex in Ecclesia veneratur.

Quod si regem Christum Iudaei in mundo quaerunt, an non magnum regnum Christi universalis Ecclesia christianorum? An non magnus rex Christus qui a tot regibus et principibus adoratur et divinis honoribus colitur? An David vere non fuit rex, iuxta vaticinium et unctionem Samuelis,[74] quia usque ad trigesimum aetatis annum consecutus non fuit regnum?[75] Imo usque ad trigesimum septimum non regnavit in Ierusalem super universum Israelem.[76] Sed nunc gloriosius est regnare in terra quam in coelo? Temporali humanaque maiestate inter homines, quam aeterna et divina inter Angelos? Imo, sicut terra comparatione coeli nihil est, ita regnum mundanum divino comparatum; sicut homo collatus Deo umbra est, vanitas est, nihil est.

Alia ratio erat, quia putabant Messiam salvaturum esse gentem Iudaeorum, Christus autem causa fuit ruinae;

sed hoc ex eorum culpa evenit.

Quoad secundum vero caput, quod non salvavit Iudaeos, quaeso, si Moyses eduxisset Hebraeos ex Aegypto nolentes? Salvavit Elias viduam a fame, sed volentem et credentem; salvavit Eliseus Naaman syrum, sed volentem atque credentem. Si Christus non salvavit Iudaeos, nec dedit synagogae gloriam Ecclesiae, utique est quia salvari noluit ab eo nolens credere in eum. Per Isaiam autem dicitur quod Messias futurus erat in ruinam duabus domibus Israel propter incredulitatem.[77] Sicut autem Elias et Eliseus non propterea non fuerunt veri prophetae, quia beneficia contulerunt alienigenis, non Israelitis, ita et Christus. Elias autem in causa fuit extremae poenae perditionis totius Israelis, prohibens pluviam de coelo tribus annis et sex mensibus in punitionem impietatis eorum,[78] et tamen fuit verus propheta.

Tertia demum ratio erat, quia Christi doctrina alia est a lege Moysi; sed Messias novam legem laturus erat in mundum.

Adhuc autem tertium additur caput, sumptum a doctrina Christi; nam, quia videbatur praedicare contraria legi mosaicae praeferens Gentiles Hebraeis, expulsus fuit a civitate Nazareth hodie, furente populo. Ratione legis mosaice non credunt Iudaei in Christum, quia Christus non praedicavit Gentibus circumcisionem, sabbatum, legem Moysi. Sed neque Elias viduae sareptanae, neque Eliseus Naaman syro, neque Ionas Ninivitis praedicaverunt legem Moysi, neque Daniel Nabuchodonosor, aut Dario. Num propterea non fuerunt prophetae veri? Messias autem novam legem praedicaturus erat, ut

74) Cf. 1 Rg 16, 12-13. 75) Cf. 2 Rg 5, 4. 76) Cf. ibid. vr. 5. 77) Cf. 8, 14-15.
78) Cf. 3 Rg 17, 1-18, 1 sqq.

per Ieremiam dicitur;[79] circumcisio autem, sabbatum et alia huiusmodi Veteris Legis erant.

VI. Ex nominibus autem et operibus Eliae et Elisei elucet quisnam futurus erat Christus et qualia opera facturus: Elias potens Deus, Eliseus potens Salvator. Fuit autem uterque potens tum ad salvandum tum ad perdendum. Ita Christus verus Deus omnipotens ad benefaciendum, sicut etiam ad punienda peccata. Nam haec duo in Sacris Litteris vel maxime traduntur de Deo. Potens fuit Elias ad salvandam viduam a morte famis, ad multiplicandum ei farinam et oleum, ad suscitandum filium eius mortuum; potens Eliseus ad salvandum Naaman a lepra. Ita Christus potentissimus ad liberandum nos ab omni malo, ad conferendum nobis omne bonum.

Christus salvat et perdit;

Sed honorem requirit a nobis. Hinc conqueritur hodie: *Nemo propheta acceptus est in patria sua; Non est propheta sine honore, nisi in patria sua.*[80] Requisivit Elias a vidua modicum aquae, modicum panis et hospitio recipi in domo ipsius; requisivit Eliseus a Naaman syro fidem et obedientiam, ut iret et lavaret se in Iordane. Ita requirit a nobis Christus fidem, caritatem, obedientiam, ut simus cives Capharnaum, in Christum devoti et pii, non autem cives Nazareth, increduli, impii, perfidi, qui hodie *eiecerunt eum extra civitatem*, infernalibus furiis agitati, *ut* inde *praecipitarent eum*, pro bonis mala reddentes, pro magnis beneficiis maxima pessimaque maleficia. Moveat nos punitio Iudaeorum, irreparabilis ruina synagogae in vindictam necis Christi, ne simus impii in eum; hinc enim luce clarius cernitur quam potens sit Christus etiam ad perdendum in punitionem peccatorum.

sed nostrum est ut sit salvator, si fideles ei fuerimus, non perfidi ut Iudaei.

79) Cf. 31, 31-34. 80) Mt 13, 57.

ALIA HOMILIA

Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua... Amen dico vobis, etc. [1]

Capharnaum magis a Christo dilecta videbatur quam Nazareth, quia illa figura Ecclesiae, haec vero synagogae,

I. Contentio est harum duarum civitatum de fide Christi, veluti duarum mulierum coram Salomone de infante, cuiusnam verus esset filius: affirmabat una, contradicebat altera.[1a] Ita de Christo contentio est inter synagogam Iudaeorum et Ecclesiam. Arguit illa contra Christum, Ecclesia pro Christo arguit et convincit. Sicut Abraham diligere magis videbatur Saram quam Agar,[2] Iacob Rachelem quam Liam,[3] Elcana, pater Samuelis, Annam quam Phenennam,[4] ita Christus civitatem Capharnaum magis quam civitatem Nazareth, et Deus Ecclesiam magis quam synagogam. Nam in Agar et Sara, ut Paulus aperuit, mysterium latebat Ecclesiae et synagogae.[5] Et sicut Abraham domo eiecit Agar cum filio Ismaele,[5a] ita Deus repulisse visus est synagogam cum populo iudaico dedisseque ei libellum repudii; sicut etiam repulit tabernaculum Moysi et elegit templum Salomonis,[6] et sicut David reliquit civitatem Hebron et posuit sedem regni sui in Ierusalem.[7]

et quia haec non credebat Christum verum esse Messiam,

Conqueritur tamen Nazareth synagoga de Christo: *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua.* Non credit eum verum Messiam, verum prophetam, quia Messias mittendus erat a Deo, prout promissus erat, in salutem Iudaeorum, non in salutem Gentium. Ait enim per Ieremiam: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum et regnabit rex et sapiens erit et faciet iudicium et iustitiam in terra. In diebus illis salvabitur Iuda, et Israël habitabit confidenter, et hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus iustus noster.*[8] Christus autem Dominus noster non salvavit Iudaeos, sed potius in causa destructionis fuit. Deinde, novam legem praedicavit et Moysi legem veluti destruxit; nam christiani legem Moysi, quae procul dubio a Deo data fuit,[8a] non servant. Docuit

1) Lc 4, 23-24. 1a) Cf. 3 Rg 3, 16-27. 2) Cf. Gn 16, 1 sqq. 3) Cf. ibid. 29, 17-30. 4) Cf. 1 Rg 1, 5-8. 5) Cf. Gal 4, 22-31. 5a) Cf. Gn 21, 9-14. 6) Cf. 3 Rg 8, 29; 2 Par 7, 12-16. 7) Cf. 2 Rg 5, 1-6; 3 Rg 2, 11. 8) 23, 5-6. 8a) Cf. Ex 34, 27 sqq.

etiam se Filium Dei esse et verum Deum, cum tamen, secundum legem, unus sit Deus, et Messias futurus erat homo, filius David et rex Israel,[9] sicut David et sicut Salomon.

Sic hodie eiectus fuit a civitate Nazareth magna cum ira tanquam falsus propheta ductusque ut de monte praecipitaretur a furente populo; a Capharnaum vero susceptus fuit tanquam verus propheta; ab Ecclesia Sancta Dei creditus est verus Messias, Salvator mundi. *et cum eiecit e synagoga;*

Sed, bone Deus, quam caeci sunt qui non vident solem! Christus autem *Sol iustitiae* in Sacris Litteris appellatur;[10] et tamen in Aegypto, cum sol splendidissime fulgeret in coelo, videbatur quidem ab electis fidelibus Dei, a reprobis autem infidelibus Aegyptiis non videbatur, sed in palpabilibus tenebris sepulti iacebant.[11] Ita nunc accidit: vident, agnoscunt christiani divinam Christi maiestatem, Iudaei vero minime, quoniam a Deo percussi sunt caecitate, sicut viri Sodomae.[12] *et in hac caecitate nunc quoque persistunt infideles Iudaei.*

II. Sed, ut de veritate christianae fidei attingamus, quis nescit quod sine stabili fundamento non potest domus consistere? Mundi autem huius fundamentum iustitia est, quod in Divinis Scripturis luce clarius est ex historia diluvii,[13] ex incendio etiam Pentapolis; nam, si decem iustos [Deus] ibi reperisset, pepercisset civitatibus et regioni.[14] Idem ostendit Dominus Moysi cum propter idololatriae peccatum voluit perdere universum populum et ipsum solum Moysen servare.[15] In libris etiam *Regum* legimus quod tempore Roboam, filii Salomonis, cum venisset Sesac rex Aegypti contra Iudaeos et cepisset civitatem Ierusalem, ait Divina Scriptura quod Iudaei non sunt deleti penitus, quia opera bona inventa sunt in Iuda.[16] Per Ieremiam etiam Dominus ait, cum babylonicam captivitatem populo comminaretur: *Circuite,* inquit, *vias Ierusalem... si inveniatis virum facientem iudicium et quaerentem fidem; et propitius ero ei.*[17] Iustitia ergo basis et fundamentum est totius mundanae felicitatis et salutis. *Iustitia fundamentum est omnis felicitatis et salutis;*

Iustitia autem sine vera fide esse non potest; nam: *Iustus... ex fide vivit.*[18] Si igitur reperitur in mundo vera iustitia, igitur et vera fides, vera lex secundum Deum. Haec autem non idololatrarum *sine fide autem iustitia esse non potest;*

9) Cf. Ps 131, 11; Is 9, 7; 11, 1; Ier 23, 5; Dn 7, 13-14; Mich 4, 7. 10) Mal 4, 2. 11) Cf. Ex 10, 21-23. 12) Cf. Gn 19, 10. 13) Cf. ibid. 6, 5-7, 1 sqq. 14) Cf. ibid. 18, 20-19, 1-25. 15) Cf. Ex 32, 1 sqq. 16) Cf. 3 Rg 14, 25-26; 2 Par 12, 12. 17) 5, 1. 18) Hab 2, 4; Rom 1, 17.

sed tantum in Ecclesia Christi invenitur vera fides,

est, non Turcarum spurcissima, sed vel Iudaeorum vel christianorum. Nunc autem Iudaeorum esse non potest, quoniam secundum legem mulier cui dabatur iusta de causa libellus repudii, non erat amplius uxor, solutum erat matrimonium, non solum quoad torum, sed etiam quoad vinculum.[19] Deus quidem duxerat et desponsaverat synagogam: *Desponsabo te mihi in fide;*[20] ait autem per Isaiam Deus se dedisse synagogae libellum repudii.[21] Non igitur vera nunc uxor; cum etiam domo illam Deus eiecerit templumque destruxerit, non reperitur fides in ea. Si ergo non reperitur vera fides in idololatris, non in Turcis, non in Iudaeis, ergo in nobis: nostra ergo fides vera est lex: ergo evangelica secundum Deum est: ergo Dominus noster Iesus Christus verus propheta, verus Messias.

verum sacrificium;

Alia quoque suppetit mihi ratio. Nam omnis princeps in suo statu requirit a suis subditis et vassallis non solum obedientiam et reverentiam, qua dominus ab omnibus agnoscatur, verum etiam census et tributa. Ita Deus, mundi universi princeps summus et monarcha, a fidelibus suis requisivit obedientiam, ut divinae ipsius leges servarentur; requisivit etiam sacrificia tanquam tributa et census. Nunc autem Iudaei non offerunt nec offerre possunt sacrificia Deo, quia nonnisi in uno templo in Ierusalem offerre licebat.[22] Soli christiani offerunt Deo sacrificia. Ait autem Deus per Malachiam grata sibi haec esse: *Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus et in omni loco offertur mihi incensum et oblatio munda.*[23]

ergo vera est Ecclesia christiana et Christus verus Messias est.

Si igitur grata sunt Deo sacrificia nostra, grata ergo religio, grata pietas, grata fides; nam sine vera fide non potest esse vera religio. Hinc Sapiens ait quod sacrificia impiorum abominatio sunt Domino.[24] Sic enim *respexit... ad Abel et ad munera eius, ad Cain autem et ad munera eius non respexit;*[25] sic odoratus fuit Dominus sacrificium Noe,[26] quia *vir iustus atque perfectus... cum Deo ambulavit, et invenit gratiam coram Domino.*[27] Grata igitur Deo est religio et fides nostra, cum grata sint sacrificia. Si fides nostra grata Deo, vera ergo fides; si vera fides, ergo Christus Dominus noster verus Messias.

19) Cf. Dt 24, 1-4. 20) Os 2, 20. 21) Cf. 50, 1. 22) Cf. Dt 12, 5-13; 16, 2-7; 2 Par 7, 12. 23) 1, 11. Ex hebraico. 24) Cf. Prv 21, 27. 25) Gn 4, 4-5. 26) Cf. ibid. 8, 21. 27) Ibid. 6, 8-9.

III. Tertio, iussit Deus in Lege ut audiretur verus propheta et crederetur ei, poenasque comminatus fuit non credentibus nec audientibus;[28] e contra vero, ut falsus propheta non audiretur, imo occideretur, et promisit praemium occidentibus. Sic enim in *Deuteronomio* capite 13, ubi de falso propheta agitur quaerente avertere populum a Deo ad cultum idolorum.[29] Tandem in fine capitis dicitur: *Ut avertatur Dominus ab ira furoris sui et misereatur tui multiplicetque te, sicut iuravit patribus tuis, quando audieris vocem Domini Dei tui.*[30] Nunc dico: Si Christus falsus fuit propheta, ergo Iudaei occidentes eum bene fecerunt, servaverunt legem Dei, digni fuerunt praemio promisso, sicut Phinees occidendo scelestum hominem,[31] sicut Elias occidendo prophetas Baal,[32] sicut Moyses occidendo idololatras.[33] Sed Deus non solum non praemio affecit, sed maximo supplicio, sicut comminabatur in *Deuteronomio.*[34] Ergo Christus non fuit propheta falsus, sed verus; veluti si legatus principis iniuria afficiatur et princeps ulciscatur illatam iniuriam, signum est manifestum quod homo, iniuria lacessitus, verus erat legatus principis.

Insuper, si Christus falsus propheta fuisset, Iudaei cun occidendo non peccassent, imo digni praemio fuissent;

Ex eo vel maxime Moyses cognitus fuit verus Dei propheta, quoniam Deus Aegyptios non credentes ei multis malis affecit et tandem perdidit in mari Rubro omnem exercitum illorum;[35] Hebraeos autem credentes multis affecit beneficiis et honoribus. Legimus etiam quod babylonica captivitas vel maxime inflicta a Deo fuit in vindictam mortis sanctorum Prophetarum.[36] Deus autem exaltavit credentes in Christum, humiliavit et perdidit incredulos Iudaeos; ultus est ultione maxima mortem Christi eversione irreparabili totius reipublicae Iudaeorum. Ergo Christus luce clarius hinc agnoscitur verus propheta Dei, et tum maxime si addatur quod peccatum idololatriae, quod in Lege primum est et omnium maximum[37] – nam fidem et religionem funditus evertit et *odium Dei* appellatur[38] atque *rebellio*[39] itemque *adulterium,*[40] non ferendum *crimen,*[41] – Deus per quattuor generationes se puniturum dixit;[42] peccatum autem occisionis Christi

at, contra, maximo supplicio affecti fuerunt;

28) Cf. Dt 18, 18-19. 29) Cf. vrr. 1-5. 30) Vrr. 17-18. 31) Cf. Nm 25, 6-8. 32) Cf. 3 Rg 18, 40. 33) Cf. Ex 32, 25-28. 34) Cf. 18, 19. 35) Cf. Ex 14, 19 sqq. 36) Cf. 2 Par 36, 15-21; Ier 7, 8; 25, 3 sqq. 37) Cf. Ex 20, 4-5; Lv 26, 1; Dt 5, 7-9. 38) Cf. Dt 16, 22; Ier 44, 4. 39) Cf. Dt 9, 4; Ez 6, 9; 14, 5. 40) Cf. Ier 13, 27; Ez 16, 1 sqq.; 23, 37-49. 41) Cf. Ex 32, 21. 30. 42) Cf. ibid. 20, 5; Dt 5, 9.

iam fere per quadraginta generationes punitum est et nondum finis cernitur. Multis ergo partibus maius est peccato idololatriae.

ergo maximum fuit eorum crimen.

Civitas aliqua magnum in principem suum crimen admittit si ab eo, multis beneficiis aucta, turpiter deficiat ad alium principem; sed si etiam unicum filium principis sui naturalis occiderit, hoc crimen est maximum, sola rebellione multis partibus maius. Sic accidit Deo cum synagoga; hinc ergo tanta punitio.

Christus omnia signa exhibet veri prophetae.

Tandem, opera veri prophetae secundum Legem erant populum ad cultum, religionem et pietatem Dei inducere sua praedicatione, destruendo et evellendo vitia atque peccata, aedificando et plantando virtutes operaque pietatis, iustitiae et sanctitatis.[43] Aliud vero opus prophetae erat ex divina revelatione futura praedicere quae eventura erant, sive bona sive mala, et a veraci praedictione verus agnoscebatur propheta secundum Legem;[44] talis enim fuit Moyses, talis Elias, talis Ieremias, talis omnis propheta Dei verus. At duo haec simul quis non videt in Christo? Quis non videt sanctitatem legis et doctrinae ipsius et veritatem praedictionum?

43) Cf. Dt 13, 1-2. 44) Cf. ibid. 18, 20-22.

FERIA TERTIA DOMINICAE TERTIAE QUADRAGESIMAE

Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te, etc. [1]

I. Dominus noster Iesus Christus, fratres carissimi, qui clementissimus Deus est, *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis*, [2] desiderat ut Ecclesia sua sit sicut arca Noe, in qua omnis familia ipsius Noe salva fuit. [3] Non periit aliquis de domo et familia ipsius in diluvio. Sic utique Deus *omnes ... vult salvos fieri*, [4] neminem vult perire. [5] Cupiens salvare omnes, dat hodie praeceptum hoc fraternae correptionis cuius finis salus est: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* [6] Ideo immediate ante praeceptum hoc dixit Apostolis: *Non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in coelis est, ut pereat unus de pusillis istis.* [7] Quod ostendit parabola hominis habentis centum oves, quarum si vel una tantum erraverit, multa cum diligentia perquirit et, si invenerit, cum gaudio in caulam et ovile ad gregem cum aliis perducit. [8] *Erravi*, inquit Regius Vates, *sicut ovis quae periit.* [9] Sed quaesivit errantem ovem Deus et, per Nathan ipsum corripiens, pristinae saluti restituit. [10]

Deus clementissimus neminem vult perire;

Propterea Deus tantopere peccatum odit, quia in causa est perditionis et damnationis hominum, quos ipse maxime diligit salvosque semper et incolumes cupit. Peccatum autem instar veneni letalis hominem morti tradit et aeterno interitui ipsumque reddit inimicum Dei atque rebellem, satanaeque captivum facit et vilissimum mancipium. Hinc gladio spiritus, *quod est verbum Dei*, [11] armat hodie fi-

sed peccatum est causa perditionis hominis;

1) Pericope huius diei Mt 18, 15-22. Cf. Missale Rom. 2) 2 Cor 1, 3. 3) Cf. Gn 7, 7; 1 Petr 3, 20. 4) 1 Tim 2, 4. 5) Cf. 2 Petr 3, 9. 6) Mt 18, 15. 7) Ibid. vr. 14. 8) Cf. Lc 15, 4-6. 9) Ps 118, 176. 10) Cf. 2 Rg 12, 1-15. 11) Eph 6, 17.

deles suos Christus contra peccatum, quod humanum genus de florentissimo statu immortalitatis et perpetuae vitae in barathrum omnis infelicitatis, mortis et inferni misere eiecit.

Ideo Deus vult ut omnes contra illud pugnent

Armavit olim Deus Moysen virga contra Pharaonem et universam Aegyptum,[12] armavit populum suum contra Chananaeos; armavit Davidem contra Goliam,[13] Samsonem contra Philisthaeos;[14] hodie nos contra peccatum armat in salutem peccatoris: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Non tot arma paravit Venetorum respublica contra hostes ad defensionem et offensionem in suo instructissimo armamentario navali, quot Deus contra peccatum arma dedit; non corporalia quidem, quoniam: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus;*[15] ideo spiritualia arma providit: thoracem iustitiae,[16] galeam salutis,[17] scutum fidei,[18] gladium spiritus.[19] Hinc ait: *Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes et omnem altitudinem se adversus scientiam Dei et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.*[20] Sunt, inquit, arma nostra ex divina virtute validissima et potentissima ad debellandas expugnandasque omnes cogitationes et consilia, idest vitia carnis et peccata, quae Deo, gratiae et Evangelio Christi repugnant et contraria sunt.

et arma subministrat ad illud debellandum.

Quattuor autem armorum genera enumeravit, quae necessaria sunt et sufficiunt militi in agone contendenti et cum valido hoste manus conserenti: thoracem, galeam, scutum et gladium. *Thoracem iustitiae,* idest bonam sanctamque conscientiam in pectore, iustam, bonam sanctamque voluntatem in corde; *galeam salutis,* idest cogitationem et spem salutis aeternae; *scutum fidei,* ad extinguenda *omnia tela ignea nequissimi*[21] satanae; *ignea tela* dixit ardentes cupiditates acutosque libidinis et carnalis concupiscentiae aculeos; tandem *gladium spiritus, quod est verbum Dei:*[22] *Vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti.*[23]

quae sunt vera sanctitas, spes aeternae vitae, fides firma et verbum Dei.

12) Cf. Ex 4, 17; 7, 1-8, 1 sqq.; 14, 16 sqq. 13) Cf. 1 Rg 17, 38-51. 14) Cf. Idc 14, 1-16, 1 sqq. 15) Eph 6, 12. 16) Cf. ibid. vr. 14. 17) Cf. ibid. vr. 17. 18) Cf. ibid. vr. 16. 19) Cf. ibid. vr. 27. 20) 2 Cor 10, 4-5. 21) Eph 6, 16. 22) Ibid. vr. 17. 23) Hebr 4, 12.

II. In sacro autem hodierno Evangelio multa arma, munitiones et machinas habemus contra peccatum, partim quidem a natura, partim vero a supernaturali gratia. *Si peccaverit in te:* ecce inimicum contra quem pugnandum viriliterque et fortiter certandum est. Primum autem armorum genus a Christo hodie caritas ponitur, dum ait: *Si peccaverit in te frater tuus; fratrem* dicit a caritate. Hinc saepe legimus *caritatem et amorem fraternitatis.* Sic Paulus ad *Romanos: Caritate fraternitatis invicem diligentes;* [24] et ad *Thessalonicenses: De caritate fraternitatis necesse non habemus scribere vobis; ipsi enim vos a Deo didicistis, ut diligatis invicem;* [25] et ad *Hebraeos: Caritas fraternitatis maneat in vobis.* [26] Hanc Petrus saepe praedicat: *In fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite;* [27] et alibi: *Fraternitatem diligite;* [28] et item: *Ministrate... in pietate... amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem.* [29] Hoc in primis requirit a nobis Dominus, ut nos invicem tanquam optimos et carissimos fratres diligamus. Hinc ergo ait: *Si peccaverit in te frater tuus.* Caritas gladius igneus est atque versatilis in manu cherub positi *ad custodiendam viam ligni vitae.* [30] Hac armatus Abraham pugnavit contra quattuor reges ad liberandum Loth, qui captivus ab illis ducebatur; eum enim tanquam fratrem diligebat. [31] An, si videres fratrem tuum a serpente morsum vel sumpto veneno letali misere venenatum, aut vulneratum ab hoste infixa sagitta aut gladio, non illi, priusquam moreretur, succurreres, si facili negotio posses? Non illi theriacam et potens efficaxque antidotum dares ad servandum a veneno, si ad manus haberes? Si domus fratris tui igne exureretur, nihil ne movereris ad ferendam aquam ad exstinguendum ignem? Hoc igitur primum genus armorum est potens valde contra peccatum, sicut lux contra tenebras, ignis contra frigus, theriaca contra venenum.

Ita et a Christo hodie multa arma indicantur: *a)* caritas,

quam DD. Paulus et Petrus magnopere commendarunt;

Alterum vero genus est lingua: *Vade,* inquit, *corripe eum.* Lingua *gladius* in Sacris Litteris appellatur: *Lingua eorum gladius acutus;* [32] et: *Exacuerunt ut gladios linguas suas.* [33] Mala autem lingua gladius est satanae, occidens in animo pio virtutem et bonitatem; bona autem lingua *gladius* Christi est ex *utraque parte acutus,* [34]

***b)* verbum Dei, quod praecipue in S. Scriptura invenitur;**

24) 12, 2. 25) 1 Thess 4, 9. 26) 13, 1. 27) 1 Petr 1, 22. 28) Ibid. 2, 17. 29) 2 Petr 1, 5-7. 30) Gn 3, 24. 31) Cf. 14, 1-16. 32) Ps 56, 5. 33) Ps 63, 4. Vulg.: *Ut gladium,* etc. 34) Apc 1, 16; 19, 16.

vitium et peccatum interficiens. Sic verbum Dei *gladius spiritus* dicitur. Universa Sacra Scriptura ad hoc [35] data est, ad destructionem peccati, ad hoc Lex, ad hoc Prophetae, ad hoc Evangelium et denique universa Scriptura Divina, quae tota veluti pharetra est sagittarum Dei contra peccata : *Sagittae tuae acutae, populi sub te cadent in corda inimicorum regis.* [36] Quod quidem sic intelligitur: populi tibi subiecti erunt, sagittae acutissimae contra hostes regis; sicut alibi dixit: *Sicut sagittae in manu potentis, ita filii excussorum,* idest fortium et potentium, *beatus vir qui implevit manum suam ex ipsis; non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta,* [37] hoc est: vincere et superare poterit omnes inimicos suos. Inimici autem Christi daemones sunt, vitia et peccata sunt. Haec perdenda et delenda sunt; ad hoc linguae fidelium instructae sunt sacris et divinis eloquiis. Sic per praedicationem Apostolorum et fidelium Christi destructa est idololatria, seminata fides, plantata in mundo vera religio et pius Dei cultus. Sic lingua verbo Dei instructa potentissimum telum est, validissima armatura contra peccatum. Hinc lingua Christi dicta est *gladius ex utraque parte acutus* ad pugnandum contra gentes. Pugnavit Christus et vicit.

hoc enim sagitta acutissima est contra daemones et peccatum;

Adhuc autem et aliud exhibet armorum genus quod divina providentia ab initio paravit: *Vade,* inquit, *corripe eum inter te et ipsum solum.* Quid est hoc: *Inter te et ipsum solum?* Quid secretum hoc? Utique ne rubore et pudore suffundatur homo ob peccatum. Pudenda res peccatum est, turpis et deformis valde; nec ipsa lex naturalis ipsaque naturalis conscientia ferre potest peccatum; synteresis semper contra peccatum obmurmurat.

c) lex naturalis et conscientia intrinsecus ostendens turpitudinem peccati,

Naturali lege ab initio Deus armavit hominem contra peccatum, ex qua oritur pudor, in conscientia quidem, intus in animo coram Deo; in facie autem coram hominibus. Est autem magna vis internae conscientiae, vis magna externi pudoris. Hinc enim *qui male agit, odit lucem,* [38] tenebras quaerit. Iudas patriarcha, cum commisisset peccatum cum Thamar, post factum timuit contemptum et, [ne] fieret res nota: פֶּן נִהְיֶה לָבוּז, [39] non fuit veritus amittere armil-

unde oritur pudor internus et externus,

35) Ms.: *Hoc bis ponitur.* 36) Ps 44, 6. 37) Ps 126, 4-5. Vulg.: *Implevit desiderium suum,* etc. 38) Io 3, 20. 39) Gn 38, 23. Ms.: *Pen nihieh labus.*

lam, anulum et baculum, quae illi pro arrhabone dederat, modo ne infamia adureretur.[40] Sic David multis modis quaesivit occultare commissi adulterii facinus.[41] Pudor multos cohibet frenatque a peccatis, temperant a vitiis ne traducantur, et si in secretis peccant, si ingenuo sint animo, desistunt mox ut quoquo pacto notificatum peccatum norunt. Ideo ait: *Corripe eum inter te et ipsum solum.*

Quod *si*, inquit, *te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos,*[42] ut rubore aliquo suffundatur et infamiae timore correptus resipiscat et a peccato vel formidine poenae, si non virtutis amore, desistat. Naturale nanque est homini bonae famae desiderium et bonae apud homines existimationis et opinionis; naturaliter etiam infamiam et ignominiam quam maxime timemus. Sicut autem honor virtutis praemium est, ita ignominia et vituperium iustum est vitii stipendium. Profecto valida haec naturalis armatura est; unde vix reperitur homo qui nullo penitus infamiae timore aut honoris desiderio et cura tangatur. Vituperia et iniurias natura omnes abhorrent.

quo tantum homo a vitiis saepe cohibetur;

Validum etiam armorum genus est quod ait: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum;* spes praemii vitae perpetuae et gloriae in coelo, quam semper comitatur metus damnationis, timor divini iudicii, mortis perpetuae et aeterni supplicii in inferno. Spes autem praemii praeclari et magni multa in hominibus operatur. Manifestum in militibus est, in agricolis, in avidis mercatoribus; manifestum in iis *qui in stadio currunt, ... qui in agone contendunt*[43] pro honoris praemio, pro bravio, pro corona. Magna vis est spei, maxime cum eam magnus etiam timor futuri mali comitatur, ut in militibus, quos decertare oportet in bello, in ipso conflictu; urgentur autem et spe victoriae atque praedae et timore mortis et ignominiae. Contra peccatum autem simul et spes vitae aeternae et timor perpetuae mortis ac damnationis pro viribus pugnant, quoniam peccatum in causa est non solum ut aeterna regni coelestis hereditate privemur divinoque patrimonio spoliemur, verum etiam ut ad aeterna supplicia ignis inextinguibilis cum satana damnemur. Adam enim ob peccatum non solum ex paradiso deliciarum eiectus fuit, verum etiam multis et gravissimis poenis mulctatus et ad extremum mortis supplicium

d) spes praemii et timor futurae poenae,

quia peccatum causa est amissionis regni coelestis et aeternae damnationis;

40) Cf. ibid. vrr. 16-24. 41) Cf. 2 Rg 11, 6-17. 42) Mt 18, 16. 43) 1 Cor 9, 24-25.

damnatus.[44] Spes divinae misericordiae in paradiso et metus divinae iustitiae in inferno arma sunt profecto validissima potentissimaque contra peccatum: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.*

e) potestas iudiciaria:

Sed quid divina auctoritas in Ecclesia et potestas iudiciaria in principibus et praelatis Ecclesiae? *Si illos non audierit, dic ecclesiae; si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen, dico vobis, quaecunque alligaveritis*[45] *super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.*[46] Videtis divinam auctoritatem et potestatem: claves regni coelestis: *Tibi dabo claves regni coelorum; ... quaecunque ligaveris super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveris super terram, erunt soluta et in coelo;*[47] *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt.*[48]

f) Sacramenta Ecclesiae;

Divina Sacramenta Ecclesiae ad hoc a Christo instituta sunt, ut *destruatur corpus* et regnum *peccati;*[49] ad hoc etiam tribunalia utriusque potestatis, temporalis in regibus et principibus saecularibus, et spiritualis in pastoribus et praelatis ecclesiasticis universum per orbem. Sic Ecclesia dicitur: *Ut castrorum acies ordinata,*[50] utique contra peccatum. Sic dicitur: *Sicut turris David ... quae aedificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium,*[51] idest omni armorum bellicorum genere instructa et munita ad pugnandum contra peccatum.

g) dona Spiritus S.;

Non sic Deus armavit coelum luminibus solis, lunae, planetarum et stellarum firmamenti contra tenebras, ut armavit Ecclesiam spiritualibus armis contra peccatum. Nam etiam virtutes omnes et dona Spiritus Sancti arma sunt contra peccatum, sicut Paulus iustitiam, spem, fidem et sacram doctrinam *arma* dixit contra principes tenebrarum.[52]

h) oratio sancta;

Nec adhuc talis tantaque armorum copia contra peccatum satis fore visa est divinae providentiae; addidit praeterea aliud genus: *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quancunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est.*[53] En sancta fidelium Christi oratio, quae apud omnipo-

44) Cf. Gn 3, 17-23. 45) Ms.: *Alligaverit.* 46) Mt 18, 17-18. 47) Ibid. 16, 19. Vulg.: *Quodcunque... erit ligatum... quodcunque... erit solutum,* etc. 48) Io 20, 22-23. 49) Rom 6, 6. 50) Ct 6, 3. 9. 51) Ibid. 4, 4. 52) Cf. Eph 6, 12-18. 53) Mt 18, 19.

tentem Deum semper et ubique omnia potest. Haec enim potens est ad obtinendam gratiam et amicitiam Dei plenamque et perfectam remissionem, plenariam indulgentiam omnium peccatorum ; Pontifex enim in die expiationis oratione et sacrificio obtinebat remissionem et indulgentiam omnium peccatorum totius populi Israel, [54] et in domo utique orationis dimittebantur peccata. [55] Sic oratio validissimum telum est contra peccatum ad obtinendam gratiam et misericordiam Dei. Unde Moyses oratione quam maxime pugnavit contra Pharaonem, [56] et oratione vicit Amalec, sine qua Iosue armis nihil proficiebat contra eum; [57] oratione Samuel fugavit Philisthaeorum exercitum ; [58] Ezechias oratione perdidit exercitum Sennacherib ; [59] Eliseus fugavit oratione exercitum Assyriorum, [60] et Samson oratione sua evertit Philisthaeorum palatium innumerosque occidit. [61]

l) tandem Christus ipse in sacrosancto Eucharistiae sacramento fidelibus suis scutum validissimum est

Tandem, ut peccatum omni ex parte vincere possemus, Christus ipse voluit nobis esse pro armis contra peccatum. Hinc ait: Ubicunque fuerint *duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* ; [62] et alibi : *Ecce ego vobiscum sum . . . usque ad consummationem saeculi:* [63] *Ego,* cui *data est . . . omnis potestas in coelo et in terra,* [64] *vobiscum sum.* Ad quid Christus in sanctissimo ac divinissimo altaris Sacramento, nisi ut pro armis nobis sit contra peccatum? Sic [65] aliquando Deus in Sacris Litteris dicitur *scutum* fidelium suorum. Abrahamo dixit : *Noli timere, Abraham, ego protector tuus sum,* [66] ubi hebraice *scutum tuum;* et Regius Vates : *Tu autem, Domine, susceptor meus es et gloria mea et exaltans caput meum,* [67] hebraice : *Tu autem, Domine, scutum meum.* Hoc est quod per Zachariam Dominus dicit : *Ego ero* Ierusalem *murus ignis in circuitu, et ero in gloria in medio eius.* [68] Sic : *Urbs fortitudinis nostrae . . . salvator ponetur in ea murus et antemurale.* [69] Sic : *Ierusalem montes in circuitu eius; et Dominus in circuitu populi sui,* [70] hoc est: sicut Ierusalem montibus circumdata est pro fortitudine tanquam muris, sic Dominus est tanquam murus circa populum suum, circa Ecclesiam suam.

54) Cf. Lv 16, 1 sqq. 55) Cf. 3 Rg 8, 31-51 ; 2 Par 6, 22-40. 56) Cf. Ex 5, 22. 57) Cf. ibid. 17, 8-15. 58) Cf. 1 Rg 7, 3-14. 59) Cf. 4 Rg 19, 14-36 ; 2 Par 32, 20-23. 60) Cf. 4 Rg 6, 8-7, 1 sqq.; 13, 14-19. 61) Cf. Idc 16, 28-30. 62) Mt 18, 20. 63) Ibid. 28, 20. 64) Ibid. vr. 18. 65) Ms. : *Si.* 66) Gn 15, 1. 67) Ps 3, 4. 68) 2, 5. Vulg. : *Et in gloria ero,* etc. 69) Is 26, 1. 70) Ps 124, 2.

et baculus ad pugnandum;

Nec tantum scutum est Dominus fidelibus suis, sed etiam *baculus*. *2 Regum* ubi legimus: *Factus est Dominus firmamentum meum*,[71] et *Psalmo 18: Factus est Dominus protector meus*, hebraice: מִשְׁעָן־לִי, *baculus meus*,[72] veluti baculus quo ipse David armatus perrexit in pugnam contra Goliam.[73]

imo ipsemet ad bellandum contra inimicos nobiscum pergit.

Ipse etiam Dominus nobiscum pugnat. Hinc mittens Moysen ad pugnandum contra Pharaonem dixit: *Ego ero tecum;*[74] hinc arca Domini cum populo pergebat ad bella, ad pugnandum contra inimicos;[75] hinc Ieremiae ait: *Pugnabunt contra te et non praevalebunt, quia ego tecum sum;*[76] hinc Eliseus posuit manum suam supra manum regis Israelis ad iaciendam arcu sagittam contra Syriam dicens: *Sagitta salutis Domini, et sagitta salutis contra Syriam.*[77] Sic Dominus ipse nobiscum pugnat contra peccatum.

Videmus igitur in hodierno Evangelio quod, sicut Moyses ne ullo unquam tempore tenebrae divinum sanctuarium occuparent, septem lucernas in eo semper ardere voluit,[78] et Salomon propter eandem causam in templo decem posuit aurea candelabra semper ardentia[79] ad fugandas tenebras; ita plane ad fugandum peccatum talia dedit nobis tantaque auxilia divina. Nos beati si eis bene, ut par est, utamur!

Frater peccans cum caritate admonendus est;

III. *Si peccaverit in te frater tuus.* Quotiens spiritus Domini malus invadebat Saulem, accipiebat David citharam et suavi illo sono illius vesaniam temperabat et nequissimum illum spiritum expellebat.[80] Sic vult Dominus ut peccantes fratres *in spiritu lenitatis*[80a] corripiamus; nam tali sono verborum ex caritate Dei, virtute Spiritus Sancti expellitur spiritus nequissimus, qui per peccatum fratrem occupavit. Nam, mox ut homo peccat, discedit ab eo Spiritus Sanctus, si priusquam peccaret in gratia erat, et invadit eum spiritus malus.

licet enim peccatum detestandum sit,

Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum. Vult Dominus ut fidelis quisque sit contra peccatum sicut Angelus Domini evaginato gladio armatus contra Balaam, dum pergeret ad maledicendum po-

71) 22, 19. 72) Vulg.: Ps 17, 19. Ms.: *Missan li.* 73) Cf. 1 Rg 17, 1 sqq. 74) Ex 3, 12. 75) Cf. Ios 6, 1-21; 1 Rg 4, 4; 14, 18. 76) 1, 19. Vulg.: *Bellabunt adversum te*, etc. 77) 4 Rg 13, 17. 78) Cf. Ex 25, 37; 37, 23; Lv 24, 2; Nm 8, 2. 79) Cf. 3 Rg 7, 49; 2 Par 4, 7. 20. 80) Cf. 1 Rg 16, 14-23. 80a) Gal 6, 1.

peccator tamen non quasi inimicus existimandus est, sed ut frater suaviter corripiendus;

pulum multis promissionibus invitatus a Balac rege Moabitarum, [81] *gladius* nanque *spiritus... est verbum Dei;* [82] ut faciamus sicut Isaias ad curandum Ezechiam: fecit cataplasma, emplastrum ex caricis dulcibus atque suavibus, sic illum curavit; [83] ut faciamus sicut Elias suscitaturus mortuum filium viduae sareptanae: super defunctum se extendit; [84] sicut egit Eliseus cum defuncto filio mulieris sunamitidis: cum eum baculo suo per Giezi suscitare non potuisset, abiit ipse et supra exanime corpus pueri semel atque iterum se totum extendit, ac sic tandem ad vitam revocavit et matri vivum restituit. [85] Hoc est quod Paulus ait instruendos esse peccatores *in spiritu lenitatis*, idest caritatis: *Fratres, si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis;* [86] *Corripiet me iustus in misericordia et increpabit me.* [87] Paulus ad *Thessalonicenses* ait: *Nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.* [88] Loquitur de homine ambulante inquiete et non obediente apostolicis praeceptis; hunc, ait, non quasi inimicum existimandum, sed corripiendum ut fratrem; sed tamen, ait: *Ne commisceamini cum eo, ut confundatur.* [89]

qui autem immisericors est erga fratrem suum, Deum immisericordem inveniet.

Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum. Praeceptum est evangelicae caritatis: *Si peccaverit in te,* contra te, si te laeserit, ne statim inimicum arbitreris, sed *vade, corripe,* ut animam illius salves. Sed *non omnes capiunt verbum istud.* [90] Multi similes sunt Caino, similes Esau. Sed qui non sic diligit *fratrem suum homicida est.* [91] Per Amos prophetam Deus ait: *Super tribus sceleribus Edom et super quattuor non convertam eum, eo quod persecutus sit in gladio fratrem suum et violaverit misericordiam suam* ab eo *et tenuerit ultra furorem suum et indignationem suam servaverit usque in finem.* [92] Sic, ait Dominus: *Pater* vester *faciet vobis, si non remiseritis unusquisque de corde suo fratribus vestris.* [93] Multi evangelicum hoc praeceptum non servant tanquam filii Cain de stirpe eius progeniti. Ait enim: *Nunquid custos fratris mei sum ego?* [94] cum tamen *unicuique* mandaverit *Deus de proximo suo.* [95]

81) Cf. Nm 22, 7-18. 82) Eph 6, 17. 83) Cf. Is 38, 21. 84) Cf. 3 Rg 17, 17-23. 85) Cf. 4 Rg 4, 18-37. 86) Gal 6, 1. 87) Ps 140, 5. 88) 2 Thess 3, 15. 89) Ibid. vr. 14. Vulg.: *Ne commisceamini cum illo*, etc. 90) Mt 19, 11. 91) 1 Io, 3, 15. 92) 1, 11. Vulg.: *Misericordiam eius*, etc. 93) Mt 18, 25. Vulg.: *Unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* 94) Gn 4, 9. 95) Eccli 17, 12.

ALIA HOMILIA

Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, etc. [1]

Ad destruendum peccatum a Deo multa adhibita sunt remedia:

I. Sicut ad tenebras a mundo depellendas mille lumina posuit Deus in coelo, sed tamen praecipue solem et lunam, ita ad perdendum omni ex parte peccatum idem ipse Deus, lux infinitae bonitatis, nihil non fecit, nullum non movit lapidem, mille et mille adhibuit remedia; sed praecipue ad hoc instituit Sanctam Ecclesiam, ad hoc Christum solem iustitiae, [1*] *unigenitum Filium suum misit in mundum.* [2]

Moyses ad depellendas tenebras ex divino sanctuario adhibuit septem lucernas perpetuo ardentes; [3] Salomon autem ad hoc ipsum in templo posuit decem candelabra, [4] adhibuit multo maiora lumina, sicut Deus in [coelo] posuit multo maiorem lucis copiam ad illustrandum diem, quam ad illuminandam noctem. Multa Deus in Veteri Testamento adhibuit remedia contra peccatum; sed multo maiora in Novo Testamento, in Ecclesia.

a) cognitio perversitatis et turpitudinis peccati;

Et quidem in hodierno Evangelio decem utique reperiuntur remedia. Primum est cognitio ipsa peccati, quam grande malum sit, quam odibile Deo, quam perniciosum homini. Sicut enim ex vipera fit praesentaneum remedium contra venenum viperae, sic ex ipso peccato sumitur remedium contra ipsum. Hoc est quod aspectus serpentis in deserto remedium fuit contra venenum ignitorum serpentium; [5] hoc quod virga Moysi in serpentem versa devoravit serpentes magorum Pharaonis. [6] Sic de Magdalena legimus quod, *ut cognovit* [7] peccatum suum, cum lacrimis venit ad Christum; et ad hoc iubet hodie Dominus ut peccator corripiatur, ut cognoscat peccatum suum et resipiscat *a laqueis diaboli.* [8]

b) caritas fraterna;

Alterum remedium est caritas fraterna tum naturalis tum supernaturalis divinitus infusa, qua proximos nostros diligimus sicut nos ipsos, desiderantes eis omne bonum animae et corporis in

1) Mt 18, 15. 1*) Cf. Mal 4, 2. 2) 1 Io 4, 9. Vulg.: *Filium suum unigenitum*, etc.
3) Cf. Ex 25, 37; 37, 23; Lv 24, 2; Nm 7, 2. 4) Cf. 3 Rg 7, 49; 2 Par 4, 7. 20.
5) Cf. Nm 21, 6-9. 6) Cf. Ex 7, 8-12. 7) Lc 7, 37. 8) 2 Tim 2, 26.

praesenti saeculo et in futuro. Magna vis est caritatis, amoris veri, amicitiae verae et cordialis: *Frater qui adiuvatur a fratre, sicut civitas firma.*[9] Quid non agit verus amor in patre, matre, fratribus, sororibus ad levandum hominem a mortali infirmitate, ad liberandum a magno periculo? Non potest autem esse maius periculum peccato, quod instar mortalis veneni ducit hominem ad aeternam mortem.

Tertium est vis et potentia linguae, quam Deus dedit homini ad persuadendum et dissuadendum, laudandum, vituperandum, defendendum et accusandum, ad ostendendum bonum et malum, utile et damnum, commoda et incommoda in unaquaque re agenda vel non agenda: *Vade et corripe eum;* lingua enim vim habet rapiendi cor. *c) verba salutaria;*

Quartum est lex ipsa naturae, ipsa naturalis conscientia, desiderium salutis, laudis, honoris, famae et boni nominis. Hoc enim desiderium naturale est homini cum fuga oppositorum; aequa enim lance et diligimus bona et odio habemus opposita mala. *d) lex naturalis;*

Quintum est fides: *Si te audierit*, si dictis tuis fidem adhibuerit. Magna vis verbi Dei Divinarumque Scripturarum contra peccatum: *Vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti;*[10] *Assumite... gladium spiritus, quod est verbum Dei.*[11] *e) fides;*

Sextum est spes vitae et salutis aeternae: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* *f) spes praemii;*

Septimum est metus, non tantum aeterni supplicii, verum etiam temporalis poenae: *Si autem te non audierit, adhibe* testes, ac tandem *dic ecclesiae.*[12] *g) metus poenae;*

Octavum est ecclesiastica auctoritas plane divina: *Quaecunque alligaveritis*, etc.[13] *h) auctoritas Ecclesiae;*

Nonum est vis orationis apud Deum in Ecclesia: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re*, etc.[14] *i) oratio;*

Tandem decimum, praesentia ipsius Christi in Ecclesia: *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*[15] Verus etiam Christus in Sacramentis, maxime autem in divinissimo Eucharistiae sacramento. Ad hoc autem venit Christus in mundum tanquam *sol iustitiae*[15a] ad depellendas tenebras *l) praesentia Christi in Ecclesia et maxime in Eucharistiae sacramento.*

9) Prv 18, 19. 10) Hebr 4, 12. 11) Eph 6, 17. 12) Mt 18, 16-17. 13) Ibid. vr. 18. 14) Ibid. vr. 19. 15) Ibid. vr. 20. 15a) Mal 4, 2.

peccatorum : *Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum;* [16] *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi;* [17] ad hoc instituit sanctissima Sacramenta, ad hoc praedicavit Evangelium, ad hoc passus et mortuus est.

Tot remediis institutis, adhuc peccatum regnat in mundo.

II. Et tamen adhuc regnat peccatum in mundo! Miraculum Aegypti, praesente sole, Aegyptiis nox erat: [18] *Vita erat lux hominum; et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt,* [19] quia: *Dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* [20] Accidisse autem visum est sicut in navi quae, priusquam mittatur in mare, optime construitur, iuncturis optime sibi cohaerentibus, pice etiam intrinsecus extrinsecusque magno cum studio delinita, ita ut nec rimula appareat per quam aquis patere possit in navim aditus. Sic enim Deus arcam Noe bitumine liniri iussit extrinsecus et intrinsecus. [21] Tamen, cum in mare missa fuerit, per fides occultissimas penetrat aqua in navim, unde opus est ut sentina semel et bis quotidie evacuetur. Est Sancta Ecclesia navis Petri : *Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum.* [22] Opus est evacuare sentinam : *Si peccaverit in te frater tuus, vade . . . corripe eum.*

Sed sicut multa providerat Deus ne homo moreretur, et tamen, post peccatum, moritur,

Imo accidisse mihi visum est sicut in natura nostra. Multa providit Deus ne conditus homo esset morti obnoxius neque aditus pateret morti quo hominem invaderet. Contra infirmitates dedit optimam complexionem et vires corpori integerrimas cum originali iustitia ; contra famem, ciborum copiam ; contra senium, lignum vitae ; contra extrinseca pericula, magnam prudentiam, angelicam custodiam et ipsam etiam divinam providentiam. [23] Sed tamen, cum per peccatum intrasset mors in mundum, pertransiit in omnes homines, [24] nec universa hominum ingenia, studia, remedia secreta, vires naturae, artium inventiones sufficere possunt ad defendendum hominem a morte.

Imo multa providerat ne peccatum in mundum intraret, et tamen intravit;

Ita, inquam, in peccato accidit. Ne peccatum intraret in mundum Deus multa providit : originalem iustitiam, optimam voluntatem, virtutes omnes, dona Spiritus Sancti, magnum lumen naturalis intellectus scientia et prudentia singulari praediti. Cum tamen diaboli astu et hominis culpa per mulierem intraverit peccatum in mundum, [25]

16) Ibid. 1, 21. 17) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum mundi.* 18) Cf. Ex 10, 22-23. 19) Io 1, 4. 20) Ibid. 3, 19. 21) Gn 6, 14. 22) Prv 31, 14. 23) Cf. Gn 2, 8-17. 24) Cf. Sap 2, 24; Rom 5, 12. 25) Cf. Gn 3, 1-6.

ad illud expellendum penitus vix omnia tum humana tum divina remedia satis fuere. Adhuc enim regnat in mundo iniquitas, contra quam omnia humana divinaque iura militant pugnantque. Pugnat contra peccatum lex ipsa naturalis, naturalis conscientia, naturalis prudentia, naturalis aequitas et iustitia, ipsa etiam supernaturalis gratia, imo Christus ipse; non sic enim Deus in mundo coelum contra tenebras armavit, sicut Christum in Ecclesia contra peccatum. Quid enim sunt fideles omnes Christi et Sancti Dei, fide viva et caritate vera praediti, imo Spiritu Sancto pleni? – nam: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* [26] – Arma sunt validissima in manu Christi contra peccatum. Quid lex ipsa naturalis, quid ipsa conscientia in hominibus? Arma contra peccatum. Quid exempla vitae, opera manus et linguae Sanctorum omnium? Arma contra peccatum. Quid leges humanae et magistratus saeculares? Arma contra peccatum. Quid lex divina, Prophetae, Evangelium, Scripturae omnes? Arma contra peccatum. Quid omnes sancti Doctores, praedicatores, sacerdotes, ministri Dei? Arma in manu Christi contra peccatum. Quid praelati, Episcopi, magistratus sacri in Ecclesia? Arma contra peccatum. Quid ipsa Sacramenta Ecclesiae? Arma contra peccatum. Quid ipsi Angeli ad nostram custodiam deputati? Quid virtutes omnes et dona Spiritus Sancti, ipsaeque divinae inspirationes, minae, promissiones? Arma contra peccatum. Quid omnia beneficia divinae providentiae erga nos? Arma contra peccatum. Quid omnia temporalia mala, quibus a Deo affligimur? Arma contra peccatum. Et adhuc regnat peccatum in mundo! Adhuc regnat in mortali nostro corpore! [27]

ita, quamvis multa providerit remedia tum naturalia tum supernaturalia ad expellendum peccatum.

tamen adhuc regnat in mundo.

Sed sicut tenebrae in mundo a terra protectae sunt et propterea a luminibus coeli non possunt penitus profligari, ideo regnant in mundo contra omnem potentiam coeli; ita peccatum protectum est a nostra carne, a mundo perverso, a nequissimo satana; ideo regnat, sed in nostram perniciem, propterea enim dicit: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*, quia peccando perierat. Sed regnat peccatum in *synagoga satanae*, [28] in membris diaboli, non in Ecclesia Dei, in membris Christi, in veris electis et dilectis Christi et Dei.

quia pro illo pugnant concupiscentia carnis nostrae, mundus et satanas.

Vae nobis, fratres, si in nobis usque in finem peccatum regnabit!

26) Rom 5, 5. 27) Cf. ibid. 6, 12. 28) Apc 2, 9.

FERIA QUARTA DOMINICAE TERTIAE QUADRAGESIMAE

Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Non... lavant, etc. [1]

Stulte et arroganter scribae et Pharisaei Christum arguunt de transgressione traditionum:

I. Sunt hodie scribae et Pharisaei censores Domini, sicut Core, Dathan et Abiron in deserto, qui contra Moysen et Aaron insurgentes magna cum arrogantia et procacitate dixerunt: *Cur elevamini super populum Domini?* [2] Cum ipsi supra modum essent ambitiosi ac propterea seditionem in populo commovissent, sanctissimis viris Moysi et Aaroni ambitionis notam inurebant, quasi ex superbia sibi principatum et sacerdotium super populum Domini utriusque fori auctoritatem supremam sibi arrogassent ac per iniuriam usurpassent. Et sicut *serpens antiquus... et satanas* [3] Deum apud homines accusavit quod parum benevolum, imo potius invidum se erga eos ostenderit prohibens esum ligni scientiae boni et mali, quod illos deificare potuisset, [4] cum tamen ipse homines summe oderit; ita plane hodie scribae et Pharisaei Dominum arguunt. O miram hominum arrogantiam atque stultitiam! Ac si Deum arguerent, quia lunam fecit cum maculis, terram immobilem, mare instabile, aerem caliginosum, coelum semper mobile, paradisum invisibilem: *Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum?* Laban impius et iniquus Iacob patriarcham sanctissimum arguit furti et malefacti, quia, inscio ipso, ex Mesopotamia discesserat, ut in domum patris sui reverteretur in Palaestinam. [5]

Proverbio dici solet quod « sus Minervam arguit et bacchanale tempus Quadragesimam »; [6] sic hodie iniquitas arguit sanctitatem.

1) Pericope huius diei Mt 15, 2-20. Cf. Missale Rom. 2) Nm 16, 3. 3) Apc 12, 9. 4) Cf. Gn 3, 1-5. 5) Cf. ibid. 31, 17 sqq. 6) Cf. Cicero *Epistolarum*, lib. 9, epist. 18, vol. 3, col. 150; *Acad.*, lib. 1, vol. 4, col. 8; Festus *De Verborum Significatione*, pag. 120, apud Paulum Diaconum, (P. L. 95, 1667).

Quibus merito Dominus : *Quare... vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* [7] Videtis, inquit, aliorum pilos et non vestras trabes. [8] *Hypocritae, bene de vobis prophetavit Isaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. In vanum autem me colunt docentes doctrinas et mandata hominum.* [9] Ubi arguit Dominus praeposteram scribarum religionem, fictam iustitiam, simulatam, hypocrititiam sanctitatem, adulterinam virtutem. Sicut enim reperitur verum aurum et adulterinum, vera et adulterina pecunia, veri et adulterini lapilli, gemmae, uniones ; ita reperitur virtus vera, constans, solida, et item fucata, adulterina, imaginem tantum et larvam habens verae virtutis. Talis erat virtus et religio Pharisaeorum ; ideo Dominus *hypocritas, simulatores* eos appellat. « Hypocrisis enim simulatio est alienae personae », [10] ut in comoediis et tragoediis fit ; unde histriones et mimi alienam personam assumentes dicuntur h y p o c r i t a e, actores fabularum. Sic in Evangelio hypocritae sunt qui iustos sanctosque viros simulant, aliud tamen gestant in pectore, multosque decipiunt sub larva virtutis, sub persona sanctitatis.

sed falsam calumniam Dominus vera responsione confutat,

quia eorum iustitia et religio simulata virtus erat.

II. In hodierno quidem Evangelio graphice describuntur ac vivis coloribus depinguntur imagines naturales tum verorum electorum Dei et fidelium Christi, qui Deum ex toto corde colunt et adorant *in spiritu et veritate*, [10a] tum etiam falsorum fidelium et hypocritarum, qui, ut ait A p o s t o l u s, *speciem pietatis habentes, virtutem... eius* sunt *abnegantes*, [11] et qui *confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* [12] Sicut enim in arca Noe erant animalia munda et immunda ; [13] in domo Abrahami, Sara et Agar, [14] Isaac et Ismael ; [15] in domo Isaac, Iacob et Esau ; [16] in populo Dei, veri Israelitae et falsi, qui idola colebant vitulosque aureos adorabant ; [17] in sacerdotibus, veri sacerdotes Dei et sacerdotes Baal, sacerdotes idolorum ; [18] in Prophetis, veri et falsi prophetae, sicut Balaam, [19] sicut propheta Samariae qui verum prophetam decepit, [20] sicut prophetae Baal quos Elias sanctus inter-

Exhibetur viva imago verorum electorum et falsorum fidelium, quibus Ecclesia Christi componitur;

7) Mt 15, 3. 8) Cf. ibid. 7, 3-5 ; Lc 6, 41-42. 9) Mt 15, 7-9 ; Mc 7, 7. Ex Is 29, 13. 10) Gul. Budaeus *Annotationes*, pag. 342-343. 10a) Io 4, 23. 11) 2 Tim 3, 5. Vulg.: *Habentes speciem... pietatis*, etc. 12) Tit 1, 16. 13) Cf. Gn 7, 2-8. 14) Cf. ibid. 16, 1 sqq. 15) Cf. ibid. 21, 1-14. 16) Cf. ibid. 25, 27 sqq. 17) Cf. 2 Par 29, 1-30, 1 sqq. 18) Cf. 3 Rg 18, 18 sqq. ; 4 Rg 10, 16-28 ; 2 Par 23, 17. 19) Cf. Nm 23, 5-24. 20) Cf. 3 Rg 13, 11-32.

fecit;[21] ita in Ecclesia Dei sunt veri et falsi fideles, veri et falsi christiani, quos P a u l u s *falsos fratres* appellavit[22] et *crucis Christi inimicos* cum lacrimis dixit, *quorum finis interitus, quorum Deus venter est,*[23] sicut Dagon deus Allophylorum.[24]

hi dicuntur plantae satanae, quoniam filii diaboli sunt, illi autem plantae Dei, quoniam filii Dei.

Hi sunt qui in hodierno Evangelio plantae dicuntur quas non plantavit Deus;[25] nam electi verique fideles plantae Dei sunt, quoniam filii Dei sunt; falsi autem fideles plantae sunt satanae, quoniam filii diaboli sunt. Sic ostendit Dominus in parabola zizaniorum quod triticum et bonum semen, per quod filii regni designantur, a Deo seminatum fuit in agro mundi huius; zizania vero, quae reprobos significant et homines nequam, ab inimico homine, a satana seminata fuerunt.[26] Sic igitur sunt in hodierno Evangelio plantae bonae et malae, triticum et zizania, in sagena missa in mare pisces boni et mali,[27] in domo sponsae virgines prudentes et fatuae.[28]

Ad eos dignoscendos signa quaedam praebentur; electi enim signum Dei habent, hypocritae autem signum satanae, iuxta eorum opera.

III. Age, nunc videamus discrimina, nam signis differunt oves Iacob ab ovibus Laban;[29] signati fuerunt Hebraei ut a Gentilibus dignoscerentur;[30] electi Dei in *Apocalypsi* habent signum Dei vivi in frontibus suis,[31] reprobi autem signum, characterem et imaginem bestiae,[32] idest satanae. Quoniam vero per plantas Dei et diaboli boni et mali in hodierno Evangelio designati sunt, docuit Dominus discrimen inter bonas et malas arbores dicens quod: *Arbor bona fructus bonos facit, arbor autem mala fructus malos facit;* et: *Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere,*[33] hoc est iusti, qui gratia Dei et bona voluntate praediti sunt Divinoque Spiritu aguntur,[34] facile bona operantur nec facile operari possunt mala; improbi, e contra, qui Spiritum Christi non habent,[35] sed *tanquam bruta animalia*[36] sensu carnis ducuntur, facile operantur mala, nec facile possunt opera bona et Deo grata praestare.

In hodierna autem sancti Evangelii lectione sunt scribae et Pharisaei falsa religione et pietate insigniti; Apostoli autem et discipuli

21) Cf. ibid. 18, 21-40. 22) Gal 2, 4. 23) Phil 3, 18-19. 24) Cf. Idc 16, 23; 1 Rg 5, 2-7. 25) Cf. Mt 15, 13. 26) Cf. ibid. 13, 25-40. 27) Cf. ibid. vrr. 47-50. 28) Cf. ibid. 25, 2-12. 29) Cf. Gn 30, 34-42. 30) Cf. ibid. 17, 9-11. 31) Cf. 7, 1 sqq.; 14, 1. 32) Cf. ibid. 13, 16-17; 14, 9. 11. 33) Mt 7, 17-18. Vulg.: *Mala autem arbor*, etc. 34) Cf. Rom 8, 14. 35) Cf. ibid. vr. 9. 36) Iud vr. 10.

Christi veri proponuntur fideles, veri servi Dei et virtutis veri cultores. Videamus scribarum et Pharisaeorum notas, quia sic elucebunt signa verorum fidelium.

Signa hypocritarum:

Prima nota primumque stigma Pharisaeorum est arrogantia atque superbia : *Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum?* Cum fastu et procacia Christum Dominum arguunt tanquam mundi censores. Sic : *Initium omnis peccati superbia est;* [37] *Deus* autem *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* [38]

a) arrogantia ;

Alterum vero stigma est humana magni facere et divina contemnere, humana divinis praepostero iudicio praeferre : *Quare... vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras? ... Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* [39] Humanas leges mundanasque consuetudines, externas caeremonias quam diligentissime servant ; divina autem mandata parvi pendunt et pro nihilo ducunt, bibentes iniquitatem sicut aquam. [40]

b) externarum caeremoniarum observantia et divinarum legum contemptus;

Tertium vero signum, vana et inanis religio, externus tantum cultus sine interna pietate, non adorant Patrem *in spiritu et veritate:* [40a] *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me... In vanum autem colunt me.* En fides mortua sine caritate, corpus mortuum sine spiritu. [41]

c) externus tantum cultus, sine ulla pietate interna;

Aliud adhuc signum est caecitas spiritualis: *Sinite illos duces caecorum, caeci sunt.* [41a] Non intelligunt spiritualia et divina. Hinc, cum dixisset Christus hodie : *Audite et intelligite: non quod intrat in os coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem..., Pharisaei, audito verbo hoc, scandalizati sunt,*[42] quasi blasphemiam dixisset Christus, cum tamen verum docuerit quod non corporalis cibus maculat animam et conscientiam hominis, sed culpa, sed peccatum, sed mala voluntas et divinorum mandatorum transgressio. Nam, inquit, corporalis cibus *in ventrem vadit et in secessum emittitur,* [43] non tangit conscientiam quae spiritualis est, nec corporalibus sordibus foedari aut maculari ullo modo potest ; sed pravae cordis cogitationes, pravae cupiditates, vitia et peccata malae

d) caecitas spiritualis;

37) Eccli 10, 15. Vulg.: *Est superbia.* 38) Iac 4, 6. 39) Mt 15, 3-6. 40) Cf. Iob 15, 16 ; 34, 7; Prv 26, 6. 40a) Io 6, 23. 41) Cf. Iac 2, 26. 41a) Mt 15, 14. Vulg. : *Caeci sunt et duces caecorum.* 42) Ibid. vrr. 10-12. 43) Ibid. vr. 17.

voluntatis, haec sunt quae hominem in oculis Dei turpiter conspurcant.

e) externae munditiae cura, non internae puritatis.

Tandem, Pharisaei nonnisi externam munditiam et sanctitatem quaerebant, internam autem cordis puritatem nihil curabant; quare eos Dominus sepulcris dealbatis comparavit.[44] Erant sicut cherubim quos fecit Salomon, foris aureis intus autem ligneis,[45] non sicut cherubim quos Moyses fecit, qui toti erant ex auro purissimo et optimo.[46] Placet quidem Deo externa sanctitas et morum elegantia, si tamen cum interna sit coniuncta; nam anima est spiritus qui hominem ad imaginem Dei constituit; Deus autem suapte natura spiritus purissimus et sanctissimus est. Hinc Danieli visus fuit indutus veste candida sicut nix et capilli eius candidi erant sicut lana mundissima.[47] Sic locum ad habitandum voluit sanctissimum atque mundissimum,[48] ministros item mundissimos et omnino immaculatos,[49] nec permittebat immundum hominem ad divinum sanctuarium accedere;[50] sic nec in coelestem Ierusalem aliquod coinquinatum intrare permittet.[51] Hinc Regius Vates: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula.*[52] *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus et mundo corde.*[53] Hinc ipse magna cum instantia petebat a Deo: *Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor... Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.*[54] Hinc Ieremias aiebat: *Lava, Ierusalem, a malitia cor tuum.*[55] Hinc Deus per Isaiam: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.*[56] Hinc Salomon in *Proverbiis: Omni custodia serva cor tuum, quia ab ipso vita dependet.*[57] Hinc in *Canticis: Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel;*[58] hoc enim est quod ait: *Omni custodia serva cor tuum,* nam per fidem inhabitat Christus *in cordibus nostris,* ut Paulus ait.[59] Munditiam requirit Deus, sed ut Christus dixit:

Placet quidem Deo externa sanctitas,

dummodo sit cum interna coniuncta,

44) Cf. ibid. 23, 27. 45) Cf. 3 Rg 6, 23-28; 2 Par 3, 10. 46) Cf. Ex 25, 18; 33, 7-9. 47) Cf. 7, 9. 48) Cf. Ex 25, 8 sqq.; 29, 36-44; 37, 1 sqq.; 2 Par 29, 15-35. 49) Cf. Ex 29, 4-9; Nm 8, 6 sqq.; 2 Par 29, 16. 34; 2 Esr 12, 30. 50) Cf. Lv 11, 43-45; 12, 1 sqq.; Nm 19, 11 sqq.; 2 Esr 12, 30. 51) Cf. Apc 21, 27. 52) Ps 14, 1-2. 53) Ps 23, 3-4. 54) Ps 50, 9-12. 55) 4, 14. Vulg.: *Lava a malitia cor tuum, Ierusalem.* 56) 1, 16. 57) 4, 23. Vulg.: *Vita procedit.* 58) 3, 7. 59) Eph 3, 17.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; [60] munditiam, ut Paulus ad *Corinthios* scribit: *Has igitur habentes promissiones, carissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus;* [61] et sicut iisdem ait: *Haec quidem fuistis,* hoc est iniqui, *sed abluti estis, sed iustificati estis, sed sanctificati estis.* [62]

Hoc igitur tandem interest inter veros et falsos Dei cultores, quod falsi quidem externam tantum virtutis et pietatis speciem exquirunt, ut hominibus iusti probique videantur; veri autem cultores utranque, sed internam in primis. Facit natura hominem verum; interna prius curat: cerebrum in capite, cor et praecordia in pectore; postea vero externa. Facit fictum hominem ars, sculptor, fictor, statuarius, pictor, sed nonnisi externam figuram, lineamenta et, ut ita dicam, architecturam, colores et lumina externa quaerit; quid intus sit nihil curat. Salomon autem templum Domini intrinsecus quam maxime ornavit totumque deauravit, ita ut nihil videretur in templo quod auro non fulgeret. [63] Sic ait: *Omnis gloria eius filiae regis ab intus, in fimbriis aureis.* [64] Arcam Testamenti deaurari iussit Deus non extrinsecus tantum, verum etiam intrinsecus: *Deaurabis,* inquit, *eam ... intus et foris.* [65]

et utranque veri Dei cultores curant, sed in primis internam;

Sicut homo ex anima constat et corpore, ita vera religio verusque Dei cultus requirit tum internas animi virtutes: fidem, spem, caritatem, iustitiam, prudentiam et alias; tum etiam externas atque politicas: morum elegantiam, vitae sanctitatem, ieiunia, mortificationem carnis, orationes, eleemosynas, opera misericordiae et alia id genus. Regius Vates hominem iustum ac verum Dei cultorem arbori comparavit viventi, non emortuae, quae secus aquas plantata est et ad humorem misit radices, ut non timeat siccitatem; [66] sed veluti radices huius arboris statuit optimam voluntatem: *In lege Domini voluntas eius,* idest ardens desiderium, *et in lege eius meditabitur die ac nocte.* [67] Sic et per Isaiam Dominus: *Populus meus lex mea in corde eius.* [68] Sic Regius Vates: *In corde meo abscondi eloquia tua.* [69] Sic per eum Christus: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus*

sicut enim homo constat anima et corpore, sic vera religio internis et externis virtutibus,

sed praecipue internis, quae a voluntate procedunt.

60) Mt 5, 8. 61) 2 Cor 7, 1. Vulg.: *Has ergo habentes,* etc. 62) 1 Cor 6, 11. Cf. supra, Feria Tertia Dom. Primae Quadr., not. 89, pag. 83. 63) Cf. 3 Rg 6, 23-30. 64) Ps 44, 14. 65) Ex 25, 11. 66) Cf. Ps 1, 3. 67) Ibid. vr. 2. 68) 51, 7. Vulg.: *In corde eorum.* 69) Ps 118, 11.

meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.[70] Sic enim tabulae positae fuerunt intra arcam,[71] quae cor humanum significat hominis cultoris Dei, qui per divinum templum designatur.[72] De falsis autem Dei cultoribus dicitur: *Dilexerunt eum in ore suo et lingua sua mentiti sunt ei; cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento eius.*[73]

Hinc elucent etiam verorum fidelium signa, idest: *a*) humilitas, *b*) divinae legis observatio, *c*) vera pietas, *d*) cognitio coelestium, *e*) internae sanctitatis cura.

Ex his igitur, quae dicta sunt, manifeste elucent signa, characteres et stigmata verorum et falsorum fidelium et cultorum Dei: illi quidem superbi sunt et arrogantes, hi autem Christo similes, mites et humiles corde: illi servatores humanarum traditionum et transgressores divinarum legum, isti, e contra, dicunt: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus,*[74] et traditiones humanas mundanasque consuetudines, vel potius corruptelas, quae divinis legibus adversantur, ex alto contemnunt; illorum *vana est religio,* horum *munda et immaculata apud Deum,*[75] quem *in spiritu et veritate* adorant et colunt; illi mente caeci sunt, divina et spiritualia non intelligunt, hi autem a Christo vere illuminati sunt, ut caecus natus;[76] tandem, illi externam tantum sanctitatem curant, hi vero in primis internam.

Agitur in hoc Evangelio de vera et falsa religione.

IV. Agitur autem in hodierno Evangelio prius quidem de falsa religione et pietate, postea vero de pura et vera, sicut Moyses priun egit de tenebris et postea de luce: *Tenebrae erant super faciem abyssi et dixit Deus: fiat lux. Et facta est lux,*[77] quae symbolum est verae pietatis, sicut Paulus ait: *Nam Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris per illuminationem scientiae caritatis,*[78] idest clarae cognitionis Dei.

Haeretici, contemnunt omnes ecclesiasticas leges,

Quoniam vero omnis homo in mundo vel planta Dei est, vel planta satanae, et a fructibus arbor cognoscitur, diligenti indagine inquirendum nobis est, fratres, ut nos ipsos intrinsecus inspiciamus et cognoscamus cuiusnam plantae simus; simus ne triticum an zizania, oves Iacob an Labani.[79] Haeretici a satana obcaecati, ut

70) Ps 39, 8-9. 71) Cf. Dt 10, 1-5. 72) Cf. 1 Cor 3, 16-17; 6, 19-20; S. Augustinus *Enarr. in Psalmos*, ps 122, (P. L. 37, 1632); *Sermo 23*, cp. 7, ibid. 38, 158; *Sermo 278*, cp. 7. 10, ibid. col. 1271. 1273. 73) Ps 77, 36-37. 74) Act 5, 29. 75) Iac 1, 26-27. 76) Cf. Io 9, 1 sqq. 77) Gn 1, 2-3. 78) 2 Cor 4, 6. Vulg.: *Quoniam Deus*, etc. 79) Cf. Gn 30, 34-42.

in numero electorum Dei seipsos constituant et primam notam effugiant Pharisaeorum, contemnunt omnes humanas traditiones, leges, sanctiones, sacros canones et ecclesiasticas censuras tanquam pharisaicas traditiones, solum Dei verbum audiendum praedicant. Sed, ut dici solet, « inciderunt in Scyllam cupientes evitare Charybdim ». [80] Non damnavit hic Christus omnes humanas traditiones et scita, sed tantum quae divinae legi repugnabant. Haeretici autem non sic: damnant ecclesiastica ieiunia et delectum ciborum, ut ipsi secundum carnis libertatem bacchanalia, lupercalia vivant, quod manifeste est contra verbum Dei. Non damnavit Christus, non repulit, non malas dixit traditiones seniorum, sed praeposterum Pharisaeorum iudicium, impietatem contra divina mandata; alioquin ait manifeste: *Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei: . . . quaecunque dixerint vobis, servate et facite;* [81] alioquin ait: *Qui vos audit, me audit, . . . qui vos spernit, me spernit,* [82] nam: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos;* [83] alioquin traditiones apostolicas semper venerata est ab initio Ecclesia Dei easque servare mandat P a u l u s, [84] et ecclesiasticas traditiones semper omnes sancti doctique viri in orthodoxa fide educati servavere.

et solum verbum Dei audiendum praedicant,

dum Christus repulit eas tantum traditiones quae legi divinae repugnabant.

Damnant haeretici delectum ciborum, damnant abstinentiam et ieiunia, quoniam Christus dixit: *Non quod intrat in os coinquinat* [85] animam, quasi non noverit Ecclesia Sancta Dei quod *omnis creatura Dei bona est,* [86] quod *omnia munda mundis,* [87] cum sacra ieiunia, cum delectum ciborum instituit. Fidelibus Christi omnia munda sunt; [87a] *licent omnia, sed non omnia expediunt;* [88] mundi sunt omnes cibi iuxta Evangelium, antiquata iam est lex Moysi, liberi sumus. Nemo fidelium ignorat, nemo ambigit aut negat, in confesso res est apud omnes. Sed nec propterea crapulari licet, comessationibus et ebrie-

Si Christus dixit cibum non inquinare animam,

80) Scylla et Charybdis, duo scopuli inter Calabriam et Siciliam, fretus periculosus nautis quod contrarios fluctuum cursus facit et rapta quaeque absorbet. Ex his duobus scopulis ortum est vulgatum illud proverbium, auctoris tamen incerti:

« Incidit in Scyllam qui vult vitare Charybdim »,

dictum de iis qui volentes periculum minus evitare in maius incidunt. Cf. Io. Perin *Onomast.*, sub voce: *Charybdis.* Cicero « Non enim Charybdim tam infestam, neque Scyllam nautis », etc. *In Verrem*, lib. 5, vol. 2, col. 292; cf. etiam Ovid. *Metamorph.*, lib. 7, vrr. 63-65; lib. 14, vr. 75.

81) Mt 23, 2. Vulg.: *Super cathedram*, etc. 82) Lc 10, 16. 83) Io 20, 21.

84) Cf. 2 Thess 2, 14; 3, 6. 85) Mt 15, 11. 86) 1 Tim 4, 4. 87) Tit 1, 15.

87a) Cf. Rom 14, 19. 88) 1 Cor 6, 12. Vulg.: *Omnia... licent*, etc.

non ideo licitam fecit crapulam, aut transgressionem praecepti Ecclesiae suae;

tatibus operam dare, nam: *Ebriosi... regnum Dei non possidebunt.* [89] An non manifeste hoc praedicavit Paulus, [90] evangelicae libertatis magnus et strenuus assertor et propugnator? Non vinum est, non cibus est qui in ebrietate, qui in crapula hominem commaculat et inquinat, sed gulae vitium. *Omnia munda mundis;* sed iniquis, qui secundum carnem vivunt, *nihil est mundum.* [90a] Mundi sunt omnes cibi, si cum benedictione et gratiarum actione percipiantur, [91] ut *decet sanctos,* [91a] ut filios Dei, si absque scandalo fratrum, alioquin: *Non manducabo carnem in aeternum,* inquit Paulus; [92] si absque offendiculo conscientiae, ut idem Paulus docuit de idolothytis;[93] si modeste accipiantur, *ne graventur corda... crapula et ebrietate;* [94] si, tandem, absque transgressione ecclesiastici praecepti, cui obediendum est: *Qui ecclesiam non audit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* [95] Audis, haeretice, audis quod obtemperandum est Ecclesiae? quod qui non paret iudicio Ecclesiae ethnicus est, publicanus est?

quaenam autem sit vera Christi Ecclesia, luce clarius constat, licet haeretici negent.

Ne tu mihi in dubium vertas quaenam haec sit Ecclesia, sicut Manichaei, cum legerent mundum a Deo factum, aiebant factum utique, sed non corporalem hunc, quem a satana, a malo principio esse volebant, sed spiritualem mundum somniabant factum a Deo. [96] *Omnia per ipsum facta sunt,* [97] utique, dicebant, sed spiritualia, non corporalia. Sicut illi tunc mundum vertebant in dubium quisnam factus esset a Deo, ita nunc haeretici nostri temporis in dubium vertunt quaenam sit Ecclesia, [98] veluti si revocarent in dubium quodnam est coelum factum a Deo, quae terra, quod mare, qui sol, quae luna, quae stellae. Stupidi, insensati! An non videtis? An novi et innumeri mundi Democriti [99] et Epicuri [100] quaerendi sunt? An alios mundos praeter hunc quaerere oportet? Ita plane de Ecclesia Christi: quaenam alia somnianda est? Non minus caecus qui Ecclesiam non videt, quam [101] qui mundum hunc non videt. Si igitur Christus iubet,

89) 1 Cor 6, 10. Vulg.: *Neque ebriosi regnum Dei possidebunt.* 90) Rom 13, 13; Gal 5, 21. 90a) Tit 1, 15. 91) Cf. 1 Tim 4, 3-4. 91a) Eph 5, 3. 92) 1 Cor 8, 13. 93) Cf. ibid. vrr. 7-10. 94) Lc 21, 34. 95) Mt 18, 17. Vulg.: *Non audierit*, etc. 96) Cf. S. Augustinus *De Moribus Manichaeorum*, lib. 2, cp. 9-11, (P. L. 32, 1351-1355); *De Haeresibus ad Quodvultdeum*, haeres. 46, ibid. 42, 34-35; *De Actis cum Felice Manichaeo*, lib. 1, cp. 18-19, ibid. col. 350-355; *Contra Adversarium Legis et Prophetarum*, lib. 1, cp. 1-5, ibid. col. 603-607. 97) Io 1, 3. 98) Cf. S. Laurentius a Br. *Opera Omnia*, vol. 2, *Lutheranismi Hypotyposis*, part. 1, pag. 65-66. 150. 226-227. 313-314; part. 2, pag. 10. 195. 229-230. 99) Cf. Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 9, pag. 379. 100) Cf. ibid. lib. 10, pag. 421.
101) Ms.: *Qui.*

praecipit, imperat obediendum standumque iudicio et mandatis Ecclesiae, quomodo ergo omnes ecclesiasticae traditiones abiciendae sunt?

V. Quantum ex hodierno Evangelio licet conicere, signa et conditiones hominis vere et ex animo christiani multae sunt. Primo quidem, ut sit plantatio Dei, nam: *Omnis plantatio, quam non plantaverit Pater meus coelestis, eradicabitur.*[102] Secundo, ne sit caecus mente ut scribae et Pharisaei: *Sinite illos, caeci sunt et duces caecorum;*[103] *Adhuc et vos sine intellectu estis?*[104] Tertio, ne sit hypocrita sicut scribae et Pharisaei, quos Dominus *hypocritas* appellavit dicens: *Hypocritae, bene prophetavit de vobis Isaias.*[105] Quarto, ut Deum honoret non tantum labiis, verum etiam corde, alioquin: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me;* et *sine causa*, idest sine fructu, *colunt me.*[106] Nam hypocritae omnia opera sua faciunt *ut videantur ab hominibus*, quare ait Dominus quod *receperunt mercedem suam.*[107] Frustra a Deo mercedem bonorum operum expectant, cum a mundo accipere voluerint. Quinto, ut sit mundus corde, nam: *A corde exeunt*, inquit, *malae cogitationes, furta, adulteria, homicidia, blasphemiae, falsa testimonia;*[108] ut abstineat ab omnibus peccatis cordis, linguae et manus. Sexto, ne propter traditiones humanas mundanasque consuetudines, seu potius corruptelas, Dei iussa parvipendat: *Quare... vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?... Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.*[109] Septimo tandem, ut ex animo Dei mandata custodiat: *Nam Deus dixit: Honora patrem tuum et matrem, et: Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.*[110]

Multae recensentur notae quibus veri christiani ab hypocritis distinguuntur.

Ex his ergo notis et stigmatibus dignoscitur verus christianus, verus Dei servus, a simulato, a servo mundi, ab hypocrita, qui lupus est rapax sub ovina pelle,[111] ut scribae et Pharisaei. Inter homines mundanos et vere christianos in Sacris Litteris multa assignantur discrimina, ut inter coelum et terram, diem et noctem, lucem et te-

Veri christiani recte figurati dicuntur per filios Dei a Seth descendentes;

102) Mt 15, 13. 103) Ibid. vr. 14, 104) Ibid. vr. 16. 105) Ibid. vr. 7.
106) Ibid. vrr. 8-9. Ex Is 29, 13. 107) Mt 6, 5. 108) Ibid. 15, 19. Vulg..: *De corde... exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria,... furta, falsa testimonia, blasphemiae.*
109) Ibid. vrr. 3-6. 110) Ibid. vrr. 3-4. 111) Cf. ibid. 7, 15; Act 20, 29.

nebras, aquas superiores et inferiores, uti inter animalia munda et immunda, inter Hebraeos et Aegyptios. Sed speciale illud est quod in *Genesi* legimus de filiis Dei et filiis hominum. *Filii* enim *Dei* dicuntur qui descenderunt ex Adam per Seth, quem suscitavit Deus pro Abel;[112] *filii* autem *hominum*, qui erant de stirpe Cain.[113] Agens autem Divina Scriptura de filiis Cain, docet inventores fuisse multarum artium. Nam Cain *aedificavit civitatem;*[114] ex filiis autem eius, Iabel pater fuit *habitantium in tentoriis atque pastorum*,[115] Iubal autem *pater canentium cithara et organo*,[116] Tubalcain *malleator et faber in cuncta opera aeris et ferri.*[117] De filiis autem Seth nihil penitus dicitur, nisi quod Enos *coepit invocare nomen Domini*,[118] quod Enoch *ambulavit cum Deo*,[119] quod Noe fuit *vir iustus atque perfectus... qui invenit gratiam coram Domino.*[120] Haec unica est ars et professio verorum electorum: cultus Dei, vera pietas et religio, studium sanctae orationis, ut labiis Deum honorent et cor eorum non longe sit a Deo, sed semper cum Deo.

falsi autem, per filios hominum de stirpe Cain.

ALIA HOMILIA

Accesserunt ad Iesum ab Ierosolymis scribae et Pharisaei dicentes: Quare discipuli tui, etc. [1]

Disputat Christus cum Pharisaeis, sicut Iob cum tribus philosophis.

I. Nobilis disputatio de observantia humanarum divinarumque legum proponitur in hodierno Evangelio, similis disputationi quam legimus in libro *Iob* de veritate et iustitia providentiae divinae. In illa quidem Iob cathedram tenuit, assistens Deus fuit, arguentes tres magni philosophi, Eliphaz themanites,[2] Baldad suhites[3] et Sophar naamathites.[4] Post longam autem altercationem tandem Iob victor remansit, nam Deus de coelo in ipsius favorem sententiam tulit.[5]

In hodierno autem Evangelio Christus divinissimus theologus

112) Cf. 4, 25. 113) Cf. ibid. 6, 2. 114) Ibid. 4, 17. 115) Ibid. vr. 20. 116) Ibid. vr. 24. 117) Ibid. vr. 22. 118) Ibid. vr. 26. 119) Ibid. 5, 22. 120) Ibid. 6, 8-9.

1) Mt 15, 1. 2) Cf. 4, 1-5, 1 sqq. 3) Cf. ibid. 8, 1 sqq. 4) Cf. ibid. 11, 1 sqq. 5) Cf. ibid. 42, 7 sqq.

cathedram tenet; arguentes autem sunt scribae et Pharisaei, sapientes synagogae, qui magistri erant in Israel.[6] Hi coram Christo positi disputationem sic aggrediuntur: *Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum?* Scriptum est, inquiunt, in *Proverbiis: Ne transgrediaris terminos... quos posuerunt patres tui;*[7] et in Sacris Litteris maiorum obedientia plurimum commendatur, uti apud Ieremiam obedientia Rechabitarum commendatur a Deo, quia, ut maiorum suorum praecepta servarent, non bibebant vinum nec domos aut possessiones habebant.[8] Dei nanque praeceptum est ut principum, superiorum et maiorum praecepta serventur, nam Dei vices in terris gerunt.[9] Septuaginta autem seniores populi divina auctoritate electi fuerunt et principes ac iudices populi una cum Moyse constituti.[10] Eorum igitur iussa et scita servanda sunt. Cum igitur tu permittas discipulis tuis ut transgrediantur ea, profecto criminis reus convinceris. Non ergo verus propheta Dei es, ut te iactas.

Pharisaei Christum arguebant quasi contemnentem traditiones maiorum.

II. Sed quasnam, quaeso, traditiones transgrediuntur? *Non enim lavant manus suas, cum panem manducant.*[11] O magnum crimen! intollerandum facinus!

Sed non docuit Christus omnes leges humanas contemnendas esse,

«Parturient montes, nascetur ridiculus mus».[12]

Christus autem: *Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?*[13] Peto, domini scribae et Pharisaei, quaenam potius servandae leges sunt: divinae an humanae? Cui magis obediendum: Deo, an hominibus? Si *Deo obedire oportet magis quam hominibus,*[14] *quare... vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* Non dicit hic Christus contemnendas et minime servandas traditiones seniorum, leges[15] humanas, sanctiones ecclesiasticas; sed magis servandas esse divinas leges, praeferendas esse divinas leges humanis; leges autem humanas contrarias divinis legibus prorsus esse abiciendas, pessumdandas, conterendas. O plane divinam Christi philosophiam! Sic alibi docuit: *Reddite... quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo.*[16]

sed eas tantum quae legi divinae adversantur;

Sic ostendit Dominus in quo consistat vera iustitia veraque

6) Cf. Io 3, 10. 7) 22, 28. 8) Cf. 35, 6-10. 9) Cf. Ex 22, 28; Dt 17, 8. 13; 18, 15; Prv 8, 16. 10) Cf. Nm 11, 16-17. 11) Mt 15, 2. 12) Horat. *De Arte Poetica*, vr. 139. 13) Mt 15, 3. 14) Act 5, 29. Vulg.: *Obedire oportet Deo*, etc. 15) Ms.: *Legem.* 16) Mt 22, 21; Mc 12, 17; Lc 20, 25.

et in observantia divinarum legum veram sanctitatem consistere.

sanctitas, nempe in observantia divinarum legum, quinam sint veri cultores et amici Dei, utique qui Dei scita custodiunt. Hinc nanque decalogi praecepta dicuntur *verba foederis;* sic nanque in *Exodo* legimus quod scripsit Deus in tabulis דִּבְרֵי הַבְּרִית עֲשֶׂרֶת הַדְּבָרִים:[17] *Verba foederis decem verborum;*[18] foedus autem pacem et confoederationem significat, sicut in *Genesi* legimus de viris qui habebant foedus cum Abraham.[19] Quare nomenclatura hac indicatur quod qui divinas leges observant, pacem et amicitiam habent cum Deo, fruuntur gratia et amicitia Dei. Divinarum autem legum transgressores inimici sunt Dei; hinc dicuntur hodie a Christo plantationes non plantatae a Deo: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur.*[20] *Plantaverat autem... Deus paradisum voluptatis a principio,* sive paradisum in Eden, ab oriente, et in eo *omne lignum pulcrum visu et ad vescendum suave;*[21] arbores plantavit fructiferas, non silvestres aptas ad ignem. Sicut autem magnum discrimen est inter arbores fructiferas et infructiferas, licet similes videantur, sic utique inter veros Dei electos et falsos. Similes videntur apibus vespae, sed tamen discrimen magnum est.

Triplex discrimen statuitur inter veros fideles et hypocritas: quoad principium, quoad finem, quoad media.

III. Statuitur autem in hodierno Evangelio triplex discrimen inter veros fideles et hypocritas: quoad principium, quoad media et quoad finem. Quoad principium, quia illi plantati dicuntur a Deo, non autem hi; quoad finem, quoniam hi eradicandi sunt, non autem illi, de his nanque dicitur quod casuri sunt in foveam,[22] utique inferni; quoad media, idest opera vitae, quia electi Dei veraque virtute et pietate praediti divina mandata custodiunt, hypocritae autem, traditiones hominum.

Sicut vera pietas in sanctitate animi consistit.

Ubi etiam ostendit Dominus quod vera virtus et pietas in candore, puritate et sanctitate animi consistit integraque mandatorum Dei custodia. Unde sicut dici solet quod non omne metallum quod splendet fulgetque aurum est,[23] ita in virtutibus. Et sicut non est bona navis quae extrinsecus depicta et auro etiam ornatam puppim proramque habet, sed quae optime constructa timoni[24] obedit; non

17) Ms.: *Dibre haberith hessereth hadebarim.* 18) 34, 28. 19) Cf. 14, 13. 20) Mt 15, 13. 21) Gn 2, 8-9. 22) Cf. Mt 15, 14. 23) Cf. supra, Feria Sextu Cinerum, not. 56, pag. 32. 24) De hac voce cf. Du Cange *Glossarium*, sub verbo: *Timo.*

bonus equus qui bono ephippio phalerisque instructus est, sed qui viribus valet generosusque est et freno obedit; non bonus miles qui bona habet arma, sed qui viribus, animo et militari disciplina plurimum valet; non bonus gladius qui bonam habet vaginam, sed qui optimo est temperamento; ita vera virtus non in externis moribus, sed in internis animi qualitatibus consistit. Itemque vitium non in externis, sed in internis actionibus animi consistere docetur: *Audite et intelligite: non quod intrat per os coinquinat hominem; sed quod procedit ab ore, hoc coinquinat hominem,* [24*] idest quae ex pravo corde procedunt: malae cogitationes, prava desideria, peiora verba, mendacia, periuria, blasphemiae, murmurationes, detractiones, pessima opera, fornicationes, adulteria, furta, latrocinia, homicidia. [25] Cum enim *omnis creatura Dei bona* [26] sit, non potest peccati malitia foedare, nisi animus ipse male affectus sit. **sic vitium in internis actibus.**

Sic docet Dominus discrimen quod est inter humanas divinasque leges et inter servatores eorum: quod in humanis mundanisque legibus externa tantum imago et umbra iustitiae reperitur et saepe vera iniustitia contra legem Dei, in divinis vero legibus summa aequitas summaque sanctitas; in humanis legibus nullum praemium: *In vanum colunt me docentes doctrinas et mandata hominum;* [27] in divinis autem praemium aeternum: *Ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus,* etc. [28] **Triplex etiam discrimen elucet inter humanas leges et divinas:**

IV. Triplex assignat summatim discrimen: quoad principia, media et fines. Quoad principia et origines; nam mundanarum legum auctores homines sunt: *Docentes doctrinas et mandata hominum,* divinarum autem legum auctor Deus ipse est, infinitae auctoritatis, sapientiae et bonitatis. Quoad fines; quoniam finis humanarum legum inanis est, civilis politia; divinarum vero, vita aeterna: *Ut sis longaevus super terram.* Quoad media tandem; quod humanae leges non docent veram iustitiam veramque sanctitatem, sed tantum externam quandam faciem larvamque iustitiae et saepe etiam ipsam iniustitiam: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram,* [29] quales sunt impiae, iniustissimae et iniquissimae leges, quas dicunt iura **quoad principium, quoad finem, quoad media.**

24*) Mt 15, 10-11. 25) Cf. ibid. vr. 19. 26) 1 Tim 4, 4. 27) Mt 15, 9; Mc 7, 7. 28) Ex 20, 21. 29) Mt 15, 6.

vel rationes status,[30] inventiones et machinae diaboli in ultimam perniciem et subversionem iustitiae, pietatis et religionis ac tandem ipsius reipublicae ac status; divinae autem leges integerrimam docent iustitiam universalem, ut fugiatur omne malum, etiam in cogitatione, ut fiat omne bonum, sed optimo animo, optima voluntate.

Verus Dei servus tum externam tum internam iustitiam curat,

Triplex hoc discrimen etiam in servatoribus harum legum constituitur, ut iam dictum est. Docet autem Dominus hodie quod verus divinarum legum servator custodit manus, linguam et cor ab omni malo pro sua virili; nec tantum hoc, verum etiam divina pietate ornat tum manus tum linguam tum etiam cor, ut Deum diligat ex toto corde; servat omnes Dei leges, naturalem, scriptam quoad decalogum, et evangelicam; naturalis enim tota iustitia est, scripta tota sanctitas, evangelica tota caritas erga Deum et proximum.

legem Dei humanis traditionibus anteponit;

mundi servus autem oppositum facit.

Sed praecipuum discrimen est inter Dei servos et mundi, inter Apostolos, Christi discipulos, et scribas ac Pharisaeos: quod hi quidem divinas leges parvipendunt, ut mundi leges ac traditiones custodiant, veri autem servi Dei e contra faciunt: mundanas leges flocci pendunt, ut divinas integerrime servent. Sicut autem omne tempus in diem noctemque divisum est, ita omne hominum genus in Dei servos et mundi, in servatores divinarum legum, vel humanarum. Quare etiam quilibet nostrum. Omnes homines Paulus appellat vel *lucis* et *diei filios*, vel *filios noctis* et *tenebrarum;* ita enim ad *Thessalonicenses* scribit: *Omnes... vos filii lucis estis et filii diei: non sumus noctis neque tenebrarum;* [31] et ad *Ephesios: Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino: ut filii lucis,* etc. [32]

30) S. Auctor evidenter alludit hic ad nequissimum systema quod primus videtur exposuisse Marsilius Patavinus, qui in opere *Defensor Pacis* docens Statum habere supremam et absolutam potestatem in mundo, supra ipsam quoque Ecclesiam, licitum illi faciebat omne libitum, dummodo aliqua specie boni publici cohonestari potuisset. Hunc secutus est Nicolaus Macchiavelli. Theoria haec, ait Lud. Pastor, quae potestati civili quandam omnipotentiam tribuens omnem libertatem individualem et ecclesiasticam destruit, ausu, novitate et violentia omnes impetus excedit quos Ecclesia ad illum diem sustinuerat. Executioni mandata ordinem tunc existentem funditus evertisset et tam Ecclesiam quam imperium ad extremum exitium propulisset; ita ut dici possit Marsilius praecursor fuisse Wicleffi, Huss, Lutheri et Calvini. *Storia dei Papi*, vol. 1, lib. 1, pag. 69. Cf. etiam Gius. Hergenröther *Storia Universale della Chiesa*, vol. 5, part. 3, cp. 2, pag. 32-33; Baldassare Labanca *Marsilio da Padova*; Giov. Botero *Della Ragion di Stato*, cum *Praefatione* C. Morandi. 31) 1 Thess 5, 5. 32) 5, 8.

FERIA QUINTA DOMINICAE TERTIAE QUADRAGESIMAE

Surgens Iesus de synagoga introivit in domum Simonis; socrus autem Simonis tenebatur magnis, etc. [1]

I. Relinquit hodie Christus synagogam et in domum Petri ingreditur, sicut sol mane in oriente relinquit hemisphaerium antipodorum et ad nostrum hoc illustrandum veniens, illos relinquit in tenebris et obscura nocte, nobis autem clarum diem affert et splendidam lucem. Relinquit Christus synagogam Iudaeorum et ingreditur in Ecclesiam Gentium, quae per domum Petri designatur; sicut Abraham divino iussu reliquit terram et cognationem suam et venit in terram Chanaan; [2] sicut Iacob, relicta Mesopotamia et domo Laban, venit in Palaestinam, in domum patris sui Isaac; [3] sicut Iosue, relicto deserto, ingressus fuit terram promissionis; [4] sicut David, relicta civitate Hebron, abiit et regnavit in Ierusalem, [5] et sicut arca Testamenti, relicto tabernaculo Moysi, intravit ad perpetuo habitandum in templum augustissimum Salomonis. [6] Haec enim figurae erant et imagines synagogae et Ecclesiae, sicut manifeste Paulus docuit in Agar et Sara. [7] Sic igitur hodie Christus, viva divinitatis arca, relinquit synagogam et ingreditur in Ecclesiam, quae specialiter *domus Simonis* dicitur, quia Petro dictum fuit: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni coelorum et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis;* [8] *domus Simonis,* quia ipse institutus [9] et suffectus fuit a Christo princeps Ecclesiae, sicut Moyses princeps synagogae: [10] *Pasce oves meas,... pasce agnos meos.* [11]

Quod Christus exivit de synagoga et domum Petri introivit, significat synagogam Iudaeorum relinqui et Ecclesiam institui,

quae per domum Petri figurabatur, quia Petrus princeps huius constitutus fuit.

1) Pericope huius diei Lc 4, 38-44. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Gn 12, 1 sqq. 3) Cf. ibid. 30, 1-31, 3 sqq. 4) Cf. Ios 1, 1-3, 1 sqq. 5) Cf. 2 Rg 5, 5. 6) Cf. 2 Par 5, 2-9. 7) Cf. Gal 4, 22-24. 8) Mt 16, 18-19. 9) Ms.: *Institus.* 10) Cf. Ex 3, 6-10. 11) Io 21, 15-17.

Multae figurae Ecclesiae habentur in S. Scriptura, sed specialiter per domum Petri significatur.

Habemus igitur in hodierno Evangelio domum Simonis tanquam hieroglyphicum et sacram imaginem Sanctae Ecclesiae. Ita enim nunc domus haec designat Ecclesiam, sicut olim paradisus terrestris, arca Noe, domus Abraham, ager Isaac tam fertilis, grex Iacob, uterus Rebeccae, sanctum desertum, tabernaculum Moysi, terra promissionis, civitas Ierusalem, templum Domini, domus Salomonis, regnum israeliticum, regnum David: *Dabit illi Dominus Deus regnum David patris eius et regnabit in domo Iacob in aeternum;* [12] sed specialiter hodie *domus Simonis*, per quam ostenditur quid sit Ecclesia et quam magna sit.

Ecclesia dicitur *domus Dei in vertice montium* aedificata, quia a Christo Sancto Sanctorum fundata;

II. In Sacris Litteris Ecclesia *domus Dei* dicitur. *Hic domus Dei est et porta coeli;* [13] unde Paulus *Timotheo: Ut scias quomodo oporteat te in Ecclesia conversari, quae est domus Dei, columna et firmamentum veritatis.* [14] Ecce hodie in domo hac Christus, qui verus est Deus, unigenitus Filius Dei, qui etiam primum est Ecclesiae fundamentum, ut Paulus ait: *Ut sapiens architectus fundamentum posui..., fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus;* [15] *Estis cives Sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu; in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino.* [16] Sic Ecclesia est domus Dei supra montem, *in vertice montium,* [17] quia Christus, fundator Ecclesiae, Sanctus Sanctorum est; non solum enim fundamentum Ecclesiae Christus, verum etiam fundator: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam,* ipse nanque est verus Salomon, de quo Deus dixit Davidi: *Suscitabo filium tuum post te, ipse aedificabit mihi domum... Ipse erit mihi in filium et ego ero illi in patrem;* [18] domus aedificata ex lapidibus vivis, ut Petrus ait: *In quo et vos coaedificamini lapides vivi.* [19]

dicitur *domus orationis*, in qua Christi fideles congregantur;

Sicut templum, Ecclesia, quae domus Dei est, *domus* etiam *orationis* dicitur: *Domus mea domus orationis est cunctis gentibus.* [20] Sic domus haec, nam: *Rogaverunt illum pro ea.* [21] Ecclesia fidelium Christi congregatio est: ecce in domo Simonis discipuli Christi una cum eo con-

12) Lc 1, 32. Vulg.: *Sedem David,* etc. 13) Gn 28, 17. 14) 1 Tim 3, 15. Vulg.: *Te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia,* etc. 15) 1 Cor 3, 10-11. 16) Eph 2, 19-21. 17) Is 2, 2. 18) 2 Rg 7, 12-14. Vulg.: *Suscitabo semen tuum... aedificabit domum nomini meo... Ego ero ei in patrem et ipse erit mihi in filium.* 19) 1 Petr 2, 5. 20) Is 56, 7; Lc 19, 46. 21) Lc 4, 38.

gregati.[22] Videbatur domus haec humilis casula; sed tota ad eam civitas concurrit, ut M a r c u s habet: *Erat omnis civitas congregata ad ianuam;* [23] ibi enim Christus curabat *omnes male habentes... et daemonia... eiciebat.* [24] Sic ait Christus: *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* [25] Hinc in hodierno Evangelio *regnum Dei* dicitur: *Aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei.* [26] Quis non videt totum fere mundum ad Ecclesiam Christi per fidem et Baptismi susceptionem venisse? Sic ipse Christus comparavit Ecclesiam grano sinapis quod, cum parvum valde sit, crescit in magnam plantam; [27] sic lapis ille Danielis, qui statuam contrivit, crevit in magnum montem; [28] sic semen Abraham crevit in magnum populum. [29] Ecclesia congregatio est servorum Christi. Sic socrus Simonis, a Christo sanitate donata, *surgens ministrabat illis.* [30]

dicitur *regnum Dei*, quia est congregatio servorum Christi ex universo mundo.

III. Elucent etiam in hac domo Simonis signa et notae verae Ecclesiae. Dubitant enim haeretici, a principe mundi huius obcaecati, de vera Ecclesia, [31] veluti si quis de mundo, de sole dubitaret quisnam sit mundus factus a Deo, quis sol creatus, quae luna, quod coelum; quasi essent aut esse possent plures mundi, cum tamen Deus nonnisi unum creaverit mundum. Dicunt se credere esse in mundo Ecclesiam, sed non domum Simonis, veluti si quis diceret credere se mundum esse creatum a Deo, sed non hunc, qui videtur, credere Deum esse creatorem mundi, sed nescire cuius mundi.

Sub figura domus Simonis indicantur etiam notae Ecclesiae.

Sed videamus notas Sanctae Ecclesiae. *Introivit in domum Simonis. In domum,* inquit, non in domos, quoniam u n a Ecclesia est: *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus et Pater omnium.* [32] Unum fuit tabernaculum; unum templum, unum Israelis regnum a Deo institutum, una synagoga, unum sacerdotium; sic una tantum est Ecclesia Christi, unum Christi corpus, una sponsa, sicut una Eva formata fuit, unus terrestris paradisus, una arca Noe: *Introivit in domum Simonis: Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam;* non ecclesias, *Ecclesiam; Et tibi dabo claves regni coelorum; regni,*

Ecclesia una est,

22) Cf. Mc 1, 29. 23) 1, 33. 24) Ibid. vrr. 32-34. 25) Lc 12, 32. 26) Ibid. 4, 43. 27) Cf. Mt 13, 31; Mc 4, 31; Lc 13, 19. 28) Cf. Dn 2, 31-35. 29) Cf. Gn 15, 5; 17, 5-21; 22, 16-18; 26, 3-4. 30) Lc 4, 39. Vulg.: *Illis.* 31) Cf. not. 98 praec. hom. pag. 290. 32) Eph 4, 5.

non *regnorum; Oportet me evangelizare regnum Dei;* non regna, sed *regnum Dei.*

Haec prima nota Ecclesiae est quod u n a sit, una domus, una familia, una respublica, unum regnum et imperium Christi, una Dei civitas sancta Ierusalem, unum Christi corpus plura habens membra simul unita et compaginata. Ex multis enim membris constat humanum corpus; ex multis lapidibus multisque partibus domus. Sic nanque tabernaculum Moysi tribus partibus constabat, [33] templum etiam Salomonis similiter; [34] sic Ecclesia ex multis fidelibus, quos Christus in tres classes distinxit: in duodecim Apostolos, septuaginta duos discipulos et reliquam multitudinem fidelium. [35] Sicut in civitate sunt principes et rectores, magistratus civitatis, sunt nobiles patritii de concilio civitatis et tandem populus et vulgus, unam tamen omnes civitatem, unum corpus constituunt, ita, [ait] P a u l u s: *Omnes unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* [36]

licet multis membris constituta;

Una est Ecclesia unitate fidei, unitate spiritus, unitate religionis cultusque et pietatis, unitate doctrinae et Sacramentorum; ac tandem una per unam continuam successionem perpetuam ab initio usque in finem, sicut una est vita hominis a nativitate usque ad mortem per diversas aetates, perpetua tamen dierum annorumque successione ac protelatione. Sic enim usque ad finem saeculi una semper et perpetuo mansura ex Christi promissione Ecclesia est: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam*; impugnabitur quidem, sed nunquam expugnabitur: *Ecce ego vobiscum sum... usque ad consummationem saeculi;* [37] *Sinite utraque crescere usque ad messem... Messis autem est consummatio saeculi;* [38] sic mansit Christus in domo Simonis hodie usque ad solis occasum. [39]

una est unitate fidei, quae eadem semper permanet;

Alterum vero signum et nota verae Ecclesiae est quod sit s a n c t a, sicut P e t r u s fidelibus ait: *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis;* [40] sicut etiam M o y s e s synagogam appellavit. [41] Sic P a u l u s dixit quod: *Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea... ut exhiberet eam sibi gloriosam Ecclesiam*

est sancta, quamvis in ea boni et mali inveniantur,

33) Cf. Ex 26, 1, 27, 1-19. 34) Cf. 3 Rg 6, 2-7, 1-35. 35) Cf. Mt 10, 1-5; Mc 3, 7-19; Lc 6, 13; 10, 17. 36) Rom 12, 5. 37) Mt 28, 20. 38) Ibid. 13, 30-39. Vulg.: *Consummatio saeculi est.* 39) Cf. Lc 4, 40. 40) 1 Petr 2, 9. 41) Cf. Ex 19, 6.

non habentem maculam aut rugam, sed ut sit sancta et immaculata. [42] In domo autem Simonis sancta congregatio discipulorum Christi est, ita tamen ut in ea reperiretur etiam socrus Simonis, quae *tenebatur magnis febribus;* nam sunt in Ecclesia boni et mali, sicut in arca Noe animalia munda et immunda. [43] Sed dicitur sancta quemadmodum homo dicitur rationalis, non quod quaelibet pars ipsius rationem habeat et intellectum, sed quia principalis pars hominis, idest anima, rationem et intellectum habet, et quia praeter hominem non reperitur in quovis alio animali ratio et intellectus; quamvis reperiatur simia, quae ratione quodammodo praedita esse videtur, non tamen est. Ita Ecclesia constat quidem carnalibus et spiritualibus hominibus, sicut homo anima et corpore, sicut mundus coelo et terra; ratione autem spiritualium hominum, quos Deus semper suscitat in Ecclesia, sicut posuit Seth pro Abel, [44] Iosue pro Moyse, [45] sicut loci Iudae Mathias suffectus fuit; [46] ratione, inquam, sanctorum Dei cultorum et verorum Christi fidelium Ecclesia sancta dicitur, et quia extra Ecclesiam vera sanctitas reperiri non potest, quia: *Sine fide impossibile est placere Deo,* [47] et: *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* [48] Extra Ecclesiam reperitur quidem moralis quaedam bonitas et vitae honestas ex naturali lege aut institutione moralis philosophiae; at non vera bonitas et sanctitas est, sed simia sanctitatis, quoniam ubi fides non est, sanctitas et iustitia vera esse non potest, nam: *Iustus ... ex fide vivit.* [49]

sed sancta est, quia extra eam vera sanctitas non existit;

Sancta igitur Ecclesia [dicitur] Christo similis, sicut homo dicitur *ad imaginem et similitudinem Dei* conditus, [50] non quidem secundum corpus, cum Deus spiritus sit, sed secundum animam. Sancta dicitur, quia Sacramenta habet sanctitatis et gratiae, maxime vero Poenitentiam, ἐξομολόγησιν, [51] qua Christus imperat febri et socrum Simonis curat, quae domus domestica erat, et item Baptismi sacramentum; nam: *Cum sol occidisset, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad Iesum; at ille singulis manus imponens curabat eos.* [51a] Quod factum esse *ad ianuam* domus testatur M a r c u s; [52]

sancta est, quia Sacramenta habet sanctitatis et gratiae;

42) Eph 5, 25-27. Vulg.: *Ut exhiberet ipse sibi,* etc. 43) Cf. Gn 7, 2. 8. 44) Cf. Ibid. 4, 25. 45) Cf. Ios 1, 1 sqq. 46) Cf. Act 1, 15-26. 47) Hebr 11, 6. 48) Ibid. vr. 1. Vulg.: *Est fides sperandarum substantia rerum* etc. 49) Rom 1, 17; Hab 2, 4. 50) Gn 1, 26; 5, 1; 9, 6. 51) Ms.: *Exomologesin.* 51a) Lc 4, 40. 52) 1, 33.

ianua autem domus huius Baptismus est, sacramentum fidei, *lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.* [53]

sancta est ratione doctrinae et legum quae sanctitatem docent;

Sancta est propter sanctum Dei cultum et religionem, propter sanctam doctrinam sanctasque leges, quia nonnisi quae ad puram sanctitatem praecipit et docet. Magna fuit sanctitas synagogae; sed multo maior sanctitas Ecclesiae, sicut multo maius multoque augustius et gloriosius fuit templum Salomonis tabernaculo Moysi. Hic vasa aquae lustratoriae ac purificatoriae ministrorum Dei erant multo maiora eratque vas maximum, quod pro magnitudine appellabatur *mare;* [54] altare sacrificiorum multo maius, nam altare tabernaculi quinque cubitorum erat, [55] altare vero templi cubitorum viginti; [56] nec una tantum mensa aut unum candelabrum in templo ut in tabernaculo, [57] sed decem aureae mensae et decem candelabra; [58] nec constructum fuit templum ex asseribus et pellibus animalium, [59] sed ex lapidibus pretiosis et auro, [60] quae quidem omnia designabant quod multo maior futura erat Ecclesia quam extiterit synagoga non solum numero et multitudine credentium, verum etiam sanctitate, gloria, auctoritate et potestate divina. Neque enim Aaroni aut Moysi datae fuerunt *claves regni coelorum* ut Petro, nec sacerdotibus synagogae potestas dimittendi peccata sicut sacerdotibus Ecclesiae Christi et Dei. [61]

sancta est ratione sanctitatis quae semper floruit in multis fidelibus.

Tandem, sancta est professione sanctitatis et religionis, ut patet in multis sacris ordinibus sanctisque religionibus et congregationibus servorum Dei in Ecclesia Christi, qui vitam sanctam, coelibem, prope angelicam profitentur. Sic Ecclesia Dei semper sanctis viris, sanctis pastoribus, doctoribus, sacerdotibus et viris religiosis sanctitate insignibus floruit a prima aetate Apostolorum. Ostendant sanctos suos haeretici, ostendant apostolicos viros, Dionysios, Polycarpos, Apollinares, Ignatios; ostendant suos martyres, suos doctores sanctitate et doctrina mirabili conspicuos, sanctos Episcopos, sanctissimarum religionum fundatores!

IV. Adhuc vero alias habet Ecclesia insignes notas. In Nicaeno concilio dicta est a Sanctissimis illis Patribus non solum una et sancta,

53) Tit 3, 5. 54) 3 Rg 7, 23; 1 Par 18, 8; 2 Par 4, 2. 6. 55) Cf. Ex 38, 1. 56) Cf. 2 Par 4, 1. 57) Cf. Ex 37, 10. 17. 58) Cf. 2 Par 4, 7-8. 59) Cf. Ex 36, 14-36; 39, 33-40. 60) Cf. 3 Rg 7, 1 sqq.; 2 Par 3, 1 sqq. 61) Cf. Io 20, 22-23.

verum etiam catholica et apostolica.[62] Catholica autem dicitur ab universitate fidelium: en *ad ianuam* domumque Simonis, ut Marcus ait, *universa civitas.* Apostolica autem dicitur a fide et doctrina Apostolorum, a fundatione et perpetua successione Pastorum et Episcoporum, qui ab Apostolis per impositionem manuum creati et instituti praepositi ecclesiarum, usque ad nostra tempora pervenerunt. Sic Ecclesia apostolica dicitur, quia ab Apostolis incoepit et unaquaeque ecclesia ad aliquem Apostolorum suam referre potest originem, maxime vero Romana ad Petrum, cuius successores fuerunt per omnium aetatum perpetuam successionem omnes Romani Pontifices. Tertullianus *De Praescriptionibus Haereticorum* causam ostendit cur ecclesiae civitatum apostolicae dicantur sic dicens: « Apostoli apud unanquanque civitatem ecclesias condiderunt »; ab his autem civitatibus seu ecclesiis ab Apostolis constitutis « traducem fidei et semina [doctrinae] ceterae exinde ecclesiae mutuatae sunt, et iugiter mutuantur ut ecclesiae fiant, ac per hoc et ipsae apostolicae deputabuntur ut soboles apostolicarum ecclesiarum; omne enim genus ad originem suam censeri debet ».[63] Deinde ad hoc ipsum subiungit: « Edant... origines ecclesiarum suarum; evolvant ordines Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentes, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, auctorem habuerit et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos deferunt ».[64] Sic Irenaeus contra haereticos: « Habemus enumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in ecclesiis et successores eorum usque ad nos ».[65] Nunc ostendant nobis haeretici successiones perpetuas suorum episcoporum, qui ab Apostolis originem ducant. « *Pro patribus tuis,* inquit Augustinus in *Psalmis, nati sunt tibi filii,* pro Apostolis Episcopi,[66] unde sequitur: *Constitues eos principes super omnem terram* ».[67] Sic Divus Cyprianus docet verba illa Christi: *Qui vos audit me audit,*[68] per Apostolos « ad omnes praepositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt », dicta esse.[69]

Ecclesia Christi catholica est ab universitate fidelium; apostolica ratione doctrinae ab Apostolis traditae et perpetuae successionis pastorum ab Apostolis institutorum, teste Tertulliano, Irenaeo, Augustino et Cypriano,

62) Cf. Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum,* n. 86. 63) Cp. 20, (P. L. 2, 32).
64) Ibid. cp. 32, col. 44-45. 65) *Adversus Haereses,* lib. 3, cp. 3, (P. G. 7, 848).
66) *Enarr. in Psalmos,* ps 44, (P. L. 36, 513). 67) Ps 44, 17. 68) Lc 10, 16.
69) Epist. 69, (P. L. 4, 403).

Et B a s i l i u s *Constitutionibus Monachorum:* «Quod Apostolis, inquit, dixit: *Qui vos audit me audit,* intelligendum est in commune leges sanxisse in posteros, qui aliorum futuri erant moderatores».[70] I r e n a e u s etiam libro 4 contra haereticos: «Eis, inquit, in Ecclesia presbyteris obaudire oportet, qui successionem habent ab Apostolis; reliquos vero qui absistunt a principali successione, suspectos habere quocunque loco colligantur».[71]

His notis Ecclesia distinguitur ab haereticorum conventiculis.

Sic igitur manifestae sunt notae Sanctae Ecclesiae, quibus ab haereticorum conciliabulis distinguitur tanquam a satanae synagogis, quae non Apostolos habent patriarchas, sed haeresiarchas, successores Core, Dathan et Abiron.[72] Sicut igitur fuit a Moyse usque ad Christum semper vera synagoga in populo Israel omnibus manifesta, sic Ecclesia Dei a Christo usque ad finem saeculi perpetua fidelium successione, maxime Episcoporum et pastorum; sicut in synagoga perpetua fuit successio pontificum et sacerdotum, qui Moysi et Aaroni successerunt. Sic veram habemus Ecclesiam Christi, veram domum Simonis.

Per curas in domo Petri a Christo factas figurantur beneficia Ecclesiae,

V. Fuit autem universae civitati Capharnaum domus haec Simonis ingens plane et maximum Dei beneficium, ex quo in eam Christus intravit et socrum Simonis a febribus curavit, sicut Angelus descendens in piscinam curabat hominem ab omni infirmitate[73] et sicut Angelus Domini descendens in fornacem Babylonis servavit ab incendio sanctos illos iuvenes;[74] magnum beneficium universae civitati, quoniam: *Omnes qui habebant infirmos... ducebant illos ad Iesum; at ille singulis manus imponens curabat eos.* Sic innumeros curavit infirmos et a daemonibus obsessos liberavit, ostendens in domo hac tanquam verus Deus infinitam potentiam suam contra morbos incurabiles et daemones, bonitatem suam erga infirmos et obsessos et sapientiam suam praedicans et evangelizans regnum Dei. Sic magnum Dei beneficium est universo mundo Ecclesia Christi tum ratione Sacramentorum, maxime autem Baptismi et Poenitentiae sacramentalis, tum ratione sacrae doctrinae et praedicationis Evangelii, tum ratione intercessionis Sanctorum: *Rogaverunt illum pro ea,* tum quia ipse Christus, verus

in qua Christus potentiam et bonitatem suam per Sacramenta ostendit,

70) Cp 23, (P. G. 31, 1403). 71) *Adversus Haereses*, cp. 26, ibid. 7, 1053-1054.
72) Cf. Ex 16, 1-35. 73) Cf. Io 5, 4. 74) Cf. Dn 3, 49-50.

Deus Optimus Maximus, pro salute mundi perpetuo in Ecclesia manet: *Ecce ego vobiscum sum... usque ad consummationem saeculi.*

O qualia haec sunt divinae bonitatis quam magna beneficia! Magnum beneficium est, magnum utique et ineffabile, remissio peccatorum et salus animarum; extra Ecclesiam vero non est salus neque peccatorum remissio, sicut nec vera fides aut Dei cognitio. Quam magnum autem bonum sit a vitiis et peccatis salvari, dicant qui experti sunt; quam infelix sit vita eorum, qui in peccatis et cupiditatibus immoderatis vivunt, quam vero laeta eorum, qui cum socru Simonis ab his pestilentibus febribus per Christum sunt liberati.

quae animas a sordibus peccatorum purgant et sanctificant,

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Febres appellantur immoderatae cupiditates ardentiaque desideria temporalium et carnalium rerum. Febris enim avaritia est, febris ambitio est, febris luxuria est.[75] Oriuntur autem magnae rerum cupiditates ex magna aestimatione rerum, quia mundana magni fiunt, magni aestimantur. Sed magna haec aestimatio oritur ex ignorantia divinorum. Sicut enim, cum sol ante faciem habemus, non videmus umbram corporis, quoniam a tergo nobis est; at vero, [cum] solem a tergo habemus, tunc prae oculis umbram cernimus, vel si solem habemus a dextris umbram habemus a sinistris et, e contra, si solem a sinistris, umbram a dextris; ita accidit nobis cum Deo, qui sol est infinitae lucis, infinitae bonitatis, et temporalibus rebus, quae nonnisi umbrae bonorum sunt, non vera et existentia bona. Sic, absente Christo, mulier haec *tenebatur magnis febribus;* ubi autem Christus advenit et iuxta eam stetit, ubi Christum praesentem agnovit, tunc liberata a febribus fuit, nam: *Stans iuxta illam imperavit febri, et dimisit eam;* sanitatem perfectam consecuta est, ut ab effectibus liquet, nam: *Continuo surgens ministrabat illis.*

morbos omnes spirituales sanando.

VI. *Surgens Iesus de synagoga intravit in domum Simonis.* Christus *sol* est *iustitiae;*[76] synagoga autem et domus Simonis duo sunt mundi hemisphaeria. Cum sol in hoc nostrum hemisphaerium ingreditur, diem secum affert omnemque lucis et claritatis copiam. Ita Christus a synagoga transtulit in Ecclesiam, domum Simonis, omnia beneficia;

Omnia haec beneficia in synagoga quoque inveniebantur,

75) S. Ambrosius *in Lucam*, cp. 4, (P. L. 15, 1631). 76) Mal 4, 2.

sed a Christo in Ecclesiam translata fuerunt,

tanquam divinus sol expulit ex hac domo tenebras omnis languoris et infirmitatis omnesque tartareas potestates, nam : *Exibant daemonia a multis,*[77] et intulit lucem gratiae et benedictionis divinae. Erat in synagoga divinum sacerdotium et regnum : transtulit Christus in Ecclesiam ; erat in synagoga Dei cognitio, cultus, religio, divina lex, lux Divinarum Scripturarum : transtulit Christus in Ecclesiam ; erat fides, gratia et spes salutis vitaeque aeternae : transtulit Christus in Ecclesiam. Sic bonis omnibus dives instar solis, *surgens Iesus de synagoga intravit in domum Simonis.*

ita ut inexcusabiles simus si, tot mediis praestitis, ad sanctitatem non pervenimus.

Sed mirabile dictu est ut, praesente sole in nostro hemisphaerio, adhuc sit nox et tenebrae ; praesente Christo in domo Petri, adhuc mulier *magnis febribus* teneatur, et mulier familiaris et domesticae domus vivens sub tecto, sub umbra Petri, sub tecto Petri, de substantia Petri ; mirabile, inquam, dictu ut in viris etiam ecclesiasticis, qui divino cultui sunt dedicati, qui iugiter divinis rebus operam dant, vitia saecularia reperiantur, carnis et mundi cupiditates ; in clericatu, quem decet magna sanctitas, pietas, religio et summa honestas morumque elegantia. Sanitas enim sanctitatem significat. Anima autem sancta a Christo sanctificata *continuo surgens ministrabat illis;* magno cum spiritus fervore, magna cum animi alacritate Deo servit *in spiritu et veritate,*[78] *in sanctitate et iustitia coram ipso omnibus diebus.*[79]

ALIA HOMILIA

Surgens Iesus de synagoga introivit in domum Simonis; socrus autem Simonis tenebatur, etc.[1]

Sanctam Ecclesiam figurabant domus Simonis et Abrahae,

I. Honorat Christus ingressu ac praesentia sua multisque miraculis pauperem domum et humilem casam Simonis Petri, sicut olim Deus honoravit domum Abrahami patriarchae, quam etiam miraculo illustravit fecundationis Sarae, quae nonagenaria erat et semper sterilis fuerat ;[2] sicut honoravit tabernaculum Moysi in die dedicationis,

77) Lc 4, 41. 78) Io 4, 23. 79) Lc 1, 75.

1) Lc 4, 38. 2) Cf. Gn 18, 1-15 ; 21, 1-3.

sicut in *Exodo* legimus in calce libri: *Postquam omnia perfecta sunt, implevit gloria Domini tabernaculum testimonii;* [3] sicut honoravit templum Salomonis, cum dedicatum fuit Divinae Maiestati, sicut in *Paralipomenon* legimus: *Maiestas Domini implevit domum; nec poterant sacerdotes ingredi templum Domini, eo quod implesset maiestas Domini templum Domini.* [4] Idem nanque mysterium est domus Simonis et domus Abrahami, tabernaculi Moysi et templi Salomonis, nam per omnia haec Sancta Dei Ecclesia designatur.

tabernaculum Moysi et templum Salomonis.

O qualis honor! Rex coeli et terrae, Dominus universae creaturae, *Rex regum et Dominus dominantium,* [5] humile tectum ingreditur: *Introivit in domum Simonis,* cuius divinam magnitudinem etiam daemones hodie in hac domo agnoscunt et praedicant: *Exibant... daemonia a multis clamantia et dicentia: Quia tu es Filius Dei; et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.* [6] In hac domo ostendit se Christus auctorem naturae et fontem gratiae: *Stans super illam imperavit febri, et dimisit illam... Cum sol autem occidisset, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad Iesum; at ille singulis manus imponens curabat eos.* [7]

Hanc domum Dominus ingreditur, ubi se ostendit auctorem naturae et fontem gratiae.

II. Totum seipsum dedit hodie Christus domui huic Simonis. De templo Salomonis legimus quod reposuit in eo Deus cor suum: *Elegi,* ait Deus, *et sanctificavi mihi locum istum, ut sit nomen meum ibi usque in sempiternum, et permaneant oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus.* [8] Christus autem est cor Dei; nam per cor aliquando s a p i e n t i a designatur. Hinc enim sapiens vir h o m o c o r d a t u s dicitur; [9] insipiens vero, h o m o v e c o r s, e x c o r s, s i n e c o r d e; [10] sic O s e a s ait quod *fornicatio... vinum et ebrietas auferunt cor;* [11] et item: *Factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor,* [12] idest intellectum, sapientiam. Christus autem Dei virtus et sapientia est: [13] *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei. [14] Quod si cor a m o r e m significat, unde: *Fili mi, praebe mihi cor tuum,* [15] et: *Ubi... est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum,* [16] Christus dilectis-

In hac domo Cor suum Christus posuit, quod est virtus, sapientia et amor Dei.

3) 40, 41-42. 4) 2 Par 7, 1-2. 5) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 6) Lc 4, 41. 7) Ibid. vrr. 39-40. 8) 2 Par 7, 16. 9) Cf. Iob 34, 2. 10. 10) Cf. Forcellini *Lexicon Tot. Latin.*, sub voce: *Vecors.* 11) 4, 11. 12) Ibid. 7, 11. 13) Cf. 1 Cor 1, 24. 30. 14) Col 2, 3. 15) Prv 23, 26. Vulg.: *Praebe, fili mi, cor tuum mihi.* 16) Mt 6, 21.

simus est Filius Dei : *Eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii dilectionis suae,* [17] idest Filii dilectissimi : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* [18]

et thesaurus infinitus omnium bonorum.

Dedit Christus totum seipsum Ecclesiae suae, sicut sol oriens totum seipsum dat huic nostro mundo : *Ubicunque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum;* [19] *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* [20] Est autem Christus thesaurus omnium bonorum Dei, sicut Moysi dixit: *Ostendam tibi omne bonum,* [21] hebraice : *Transire faciam ante te omne bonum.* Transivit autem ante Moysen Deus, sed in humana similitudine, cuius ipse Moyses faciem et anteriores partes videre non potuit, sed tantum posteriora, [22] in signum quod magnitudo Christi in hoc mundo perfecte cognosci non potest. Homo nanque a facie cognoscitur, non a tergo; et si a tergo tantum cognoscatur, imperfecta admodum erit illa cognitio.

maxime in divinissimo Eucharistiae sacramento.

Quale igitur donum Christus Ecclesiae suae dedit, cum ei totum seipsum dedit, maxime in divinissimo et supersanctissimo Eucharistiae sacramento ! *Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret,* [23] et *Christus* sic *dilexit Ecclesiam,* [24] domum Simonis, ut ei totum seipsum daret, *in quo sunt omnes thesauri* potentiae, *sapientiae* et bonitatis divinae. Sic enim Christus hodie in domo Simonis divinam ostendit potentiam per miracula, sapientiam per praedicationem Evangelii regni Dei, et bonitatem per beneficia sanitatum collata. O beatam domum in qua habitat Christus ! *Habitare Christum per fidem in cordibus nostris,* ait Paulus. [25]

Est Christus in Ecclesia veluti medicus sanans omnem infirmitatem spiritualem.

III. Est Christus in domo Simonis sicut divinum propitiatorium, imo Deus ipse in templo, ubi medicum se profitebatur. Sic enim ad Salomonem ait : *Elegi mihi locum istum in domum sacrificii. Si clausero coelum, et pluvia non fluxerit, et mandavero et praecepero locustae ut devoret terram, et misero pestilentiam in populum meum; conversus autem populus meus, super quos invocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit et exquisierit faciem meam et egerit poenitentiam a viis suis pes-*

17) Col 1, 13. 18) Mt 17, 5. 19) Ibid. 18, 20. Vulg.: *Ubi enim sunt,* etc. 20) Ibid. 28, 20. 21) Ex 33, 10. Vulg.: *Ostendam omne bonum tibi.* 22) Cf. ibid. vrr. 20-22 ; 34, 5-8. 23) Io 3, 16. 24) Eph 5, 25. 25) Ibid. 3, 17.

simis, et ego exaudiam de coelo et propitius ero peccatis eorum et sanabo terram eorum; [26] en opus medici : *Sanabo terram eorum,* hebraice : וְאֶרְפָּא אֶת־אַרְצָם׃ [27] *medebor terrae eorum,* auferam omne malum.

Christus sola praesentia infirmos curabat.

Sicut medici noxios humores, causas morborum, tollunt ab infirmis corporibus, ita Christus in domo Simonis exaudit preces fidelium, nam : *Rogaverunt illum pro ea,* [28] et tollit omne malum : *Imperavit febri, et dimisit eam... Singulis manus imponens curabat eos; Languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit,* ait Isaias. [29] Interpretatur autem Matthaeus hanc ipsam hodierni Evangelii historiam referens: *Infirmitates nostras accepit et aegrotationes nostras portavit,* [30] idest abstulit, sicut Iob ait : *Cur non tollis peccatum meum et quare non aufers iniquitatem meam?* [31] Sicut etiam *peccata tollere* dicitur : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* [32]

ad significandum quam utilis sit praelatorum praesentia in Ecclesia.

Sed quam mirabilis medicus Christus! *Imperavit febri, et dimisit illam. Stans super illam,* veluti sua umbra illam sanavit, sicut postea Petrus virtute Christi imbutus, umbra corporis sui sanabat aegrotos a quacunque detinebantur infirmitate. [33] Quam utilis est umbra praelatorum in Ecclesia, praesentia et residentia ipsorum perpetua! Absente Petro, aegrotabat mulier in domo ipsius ; absente Moyse, populus idololatriae peccatum commisit, licet ipse cum Deo conversaretur, licet Aaronem reliquerit in cura populi. [34] Reversus Moyses idolum destruit, delinquentes punivit, populum ad officium revocavit ac postmodum continuit. [35] Sic, reverso Petro in domum, sanata est mulier, et *continuo surgens ministrabat illis;* multi infirmi curati sunt.

Christus sanans socrum Petri ab Apostolis rogatus ostendit infinitam virtutem suam;

IV. *Socrus autem* Petri *tenebatur magnis febribus,* idest cupiditatibus. Ad hoc autem intravit Christus in domum Simonis, ut socrum eius curaret, sicut Isaias intravit ad Ezechiam infirmum, ut eum mirabili ac divino salutis beneficio donaret. [36] Christus autem verus est Isaias, divinus salvator. In domo autem Simonis hodie contra infirmitatem mulieris duo reperiuntur efficacissima remedia : alterum quidem est praesentia Salvatoris, alterum vero intercessio Aposto-

26) 2 Par 7, 12-14. Vulg. : *Elegi locum istum mihi,* etc. 27) Ms.: *Veerpa eth arzam.* 28) Lc 4, 38. 29) 53, 4. 30) 8, 17. 31) 7, 21. 32) Io 1, 29. Vulg. : *Peccatum mundi.* 33) Cf. Act 5, 15-16. 34) Cf. Ex 32, 1-6. 35) Cf. ibid. vrr. 20-28. 36) Cf. 4 Rg 20, 1-11 ; Is 38, 1 sqq.

lorum, nam: *Rogaverunt illum pro ea;* motus autem Christus eorum precibus, *stans super illam imperavit febri, et dimisit illam.* Efficacissimum ac potentissimum remedium Christus, quoniam Deus est, consubstantialis Dei Filius, infinitae virtutis et potestatis, potentior ad depellendum omne malum, quam sol ad tenebras fugandas.

potentiam quoque intercessionis Sanctorum;

Alterum similiter efficax admodum est: *Rogaverunt illum pro ea.* Quam potentes sunt precibus et orationibus suis apud Deum Sancti! Plurimum valuit Ioseph apud Pharaonem pro fratribus, [37] Esther apud Assuerum pro Iudaeis; [38] sic Sancti apud Deum pro bonis plurimum valent. Oravit Isaac pro uxore Rebecca, [39] Moyses pro populo in monte ne puniretur ob peccatum idololatriae; [40] orabat sacerdos magnus pro universo populo in die expiationis; [41] oravit Samuel pro populo contra Philisthaeos; [42] oravit David ut cessaret pestis; [43] oravit Salomon pro dedicatione templi; [44] oravit Elias pro pluvia, cum non pluisset *annis tribus et mensibus sex;* [45] in Evangelio oravit et intercessit centurio pro servo, [46] chananaea pro filia, [47] regulus pro filio, [48] archisynagogus pro filia defuncta, [49] Magdalena et Martha pro Lazaro; [50] in *Apocalypsi seniores* habent in manibus *phialas . . . plenas odoramentorum, quae sunt orationes Sanctorum;* [51] *Angelus* habebat in manu *aureum thuribulum et data sunt ei incensa multa,* [52] idest orationes Sanctorum; audivit Ioannes *animas interfectorum propter Verbum Dei . . . dicentes: Vindica, Domine, sanguinem Sanctorum tuorum;* [53] epulo in inferno, natura ipsa tantum urgente, oravit pro fratribus suis; [54] et Beati in coelo non poterunt orare pro nobis? Quid ergo dicunt haeretici qui negant intercessionem Sanctorum? [55] *Rogaverunt illum pro ea* et fuit efficax intercessio.

iusti enim in terra viventes apud Deum intercesserunt et exauditi fuerunt,

eo magis intercedere possunt et exaudiri Sancti in coelo.

37) Cf. Gn 42, 1-47, 1 sqq. 38) Cf. Est 5, 1-7, 1 sqq. 39) Cf. Gn 25, 21. 40) Cf Ex 32, 11-14. 41) Cf. Lv 16, 1 sqq. 42) Cf. 1 Rg 7, 7-14. 43) Cf. 2 Rg 24, 17 sqq. 44) Cf. 3 Rg 8, 22 sqq. 45) Lc 4, 25. 46) Cf. Mt 8, 5-13. 47) Cf. ibid. 15, 22-28. 48) Cf. Io 4, 46 sqq. 49) Cf. Mt 9, 18-25; Mc 5, 23 sqq.; Lc 8, 41 sqq. 50) Cf. Io 11, 1 sqq. 51) 5, 8. 52) Ibid 8, 3. 53) Ibid. 6, 9-10. Vulg.: *Usquequo, Domine,... non vindicas sanguinem nostrum?* 54) Cf. Lc 16, 27-31. 55) Cf. S. Laurentius a Br. *Opera Omnia*, vol. 2, *Lutheranismi Hypotyposis*, part. 1, pag. 159. 229-230. 446-447. 478; part. 2, pag. 270. 307. 312-314. 353.

FERIA SEXTA DOMINICAE TERTIAE QUADRAGESIMAE

Venit Iesus in civitatem... Sichar, iuxta praedium quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat autem, etc. [1]

I. Ostenditur in hodierno Evangelio singulare mysterium conversionis mulieris samaritidis ad Christum, quae postea in causa fuit ut tota fere civitas converteretur ad Christum et, Christo agnito, dicerent: Nos *audivimus et scimus quoniam hic est vere Salvator mundi.* [2] Moyses in sua cosmogonia ostendit prius creationem magni mundi, et postea creationem hominis, qui parvus est mundus; [3] utraque tamen creatio a Deo uno et eodem fuit. [4] In hodierno autem Evangelio ostenditur conversio particularis samaritanae mulieris et conversio universalis civitatis Sichar, utraque a Domino; sed prius conversio particularis, postea universalis, sicut Christus prius convertit Paulum ad se, [5] et postea per ipsum universum fere mundum; sicut Deus prius vocavit ad se Moysen, et postea per ipsum universum populum Hebraeorum.

Felix plane mulier samaritana quae ad Christum conversa, causa fuit conversionis concivium suorum.

Accidit plane huic mulieri sicut Moysi. Abiit Moyses in desertum, nihil aliud cogitans, nisi ut ibi oves pasceret, et ibi in rubo Deum invenit, a quo vocatus et divinis charismatibus locupletatus fuit. [6] Venit mulier extra civitatem ad fontem Iacob eo tantum animo ut aquas hauriret, et hic Deum hominem factum invenit. Magnum thesaurum in agro illo invenit Moyses, quia Deum invenit, quo maius excogitari non potest; non minorem thesaurum in praedio hoc iuxta fontem samaritis invenit; nam Christus non minor est Patre: *Qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo.* [7] Invenit autem eum samaritis, quoniam *semetipsum exinanivit*

Sicut Moyses oves pascens Deum meruit invenire, ipsa aquam haustura Christum invenit.

1) Pericope huius diei Io 4, 5-42. Cf. Missale Rom. 2) Ibid. vr. 42. Vulg.: *Quia hic est,* etc. 3) Cf. supra, Feria Sexta Dom. Secundae Quadr., not. 7, pag. 223.
4) Cf. Gn 1, 1 sqq. 5) Cf. Act 9, 1 sqq. 6) Cf. Ex 3, 1 sqq. 7) Phil 2, 6.

thesaurum omnium bonorum, licet egenum se ostenderet.

formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo. [8] *Exinanivit semetipsum*; vere *exinanivit*, nam etiam mulier haec ipsum contempsit: *Quomodo tu, iudaeus cum sis, bibere a me poscis, quae sum mulier samaritana?* [9] Thesaurus erat, quia: *In eo complacuit omnem plenitudinem inhabitare,* [10] sed absconditus et ignotus erat: *Vere tu es Deus absconditus;* [11] ditissimus erat et pauper videbatur, imo ipse pauperem egenumque se ostendebat, [12] unde a muliere aquam petiit dicens: *Da mihi bibere,* [13] sicut Eliezer cum Rebecca egit potum aquae petens ut illam magnis muneribus afficeret, imo magnis divitiis cumularet. [14] Sic Paulus ad *Corinthios* ait: *Scitis... gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis;* [15] ita ut, sicut passio Christi in causa fuit perpetuae felicitatis nostrae, humilitas Christi exaltationis nostrae, mors Christi vitae nostrae, ita paupertas Christi divitiarum nostrarum. Petiit aquam materialem atque terrenam, profecto ut spiritalem daret atque coelestem.

Mirabilis admodum fuit conversio huius mulieris,

II. Et quidem mirabilis admodum ostenditur samaritidis huius conversio ab auctore qui convertit, a persona quae conversa est, a modo conversionis, a scopo, qui est gratia iustificationis et sanctificationis, et tandem a fine, qui est salus aeterna: *Quia salus ex Iudaeis est;* [16] *Fons aquae salientis in vitam aeternam.* [17] Ab auctore, quia magnus heros: Nos *audivimus et scimus quia hic est vere Salvator mundi;* non sicut Ioseph, qui mundum a fame tantum servavit,[18] sed *vere Salvator mundi,* collator et auctor perfectae felicitatis et salutis aeternae: *Scio quia Messias venit; cum ergo venerit ille, annuntiabit nobis omnia;* [19] sed: *Ego sum,* inquit, *qui loquor tecum;* [20] *Venite et videte hominem, qui dixit mihi omnia quaecunque feci; nunquid ipse est Christus?* [21] *Domine, ut video propheta es tu.* [22] Sic in hodierno Evangelio multis ostenditur magnitudo divina auctoris huius mirabilis conversionis; nam et *propheta* dicitur, et homo sciens omnia, et *Salvator mundi* verus et

a) ab auctore, qui est Christus Filius Dei,

8) Ibid. vr. 7. 9) Io 4, 9. 10) Col 1, 19. Vulg.: *In ipso complacuit*, etc. 11) Is 45, 15. 12) Ms.: *Et egenum* bis ponitur. 13) Io 4, 7. 14) Cf. Gn 24, 10 sqq. 15) 2 Cor 8, 9. 16) Io 4, 22. 17) Ibid. vr. 14. 18) Cf. Gn 42, 1-43, 1 sqq. 19) Io 4, 25. 20) Ibid. vr. 26. 21) Ibid. vr. 29. 22) Ibid. vr. 19. Vulg.: *Video quia propheta es tu.*

verus *Messias*, unigenitus Filius Dei, per quem *omnia . . . facta sunt*, [23] ideo maior patriarcha Iacob.

Singulariter autem ostenditur hodie Christus auctor et largitor vitae aeternae et fons divinae gratiae. Hinc sedit supra fontem Iacob, [24] qui in Sacris Litteris Spiritum Sanctum designat, tertiam in Trinitate Personam, qui totus amor est; Iacob enim inter summos Patriarchas tertius est et totus amor in Scripturis ostenditur. Christus vero fontem se dicit aquarum multo meliorum quam essent materiales aquae putei et fontis illius; et hoc usus est modo Christus ad attrahendam mulierem ad fidem et gratiam suam, ostendendo aquarum suarum, bonorum suorum, divitiarum suarum divinam perfectionem et bonitatem maxima cum humanitate. O quam vere praedicat A p o s t o l u s quod: *Apparuit . . . gratia Dei Salvatoris nostri*, [25] quod: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei!* [26] Quis non videt hodie Christum benignissimum, humanissimum, gratiosissimum cum muliere hac samaritide?

qui hodie auctorem se ostendit vitae aeternae et fontem gratiae Spiritus S.;

Satanas mulierem ad peccatum allexit ostendens vetiti fructus pulcritudinem, suavitatem et virtutem deificam falso praedicans; [27] Christus allicit mulierem hanc ad gratiam manifestans divinam ipsius virtutem vere deificam, sicut Eliezer muneribus et ostensione divitiarum allexit Rebeccam ad assensum et consensum, ut vellet Isaaco filio domini sui desponsari. [28] Ait igitur Christus: *Si scires donum Dei!* [29] Peccatum ab ignorantia exordium sumpsit, nam Eva seductam se dixit: *Serpens seduxit me;* [30] et sic P a u l u s seductam illam praedicat. [31] Conversio a cognitione primum ortum habet; hinc de Magdalena legimus: *Ut cognovit* [32] quod Iesus accubuit. Hinc ait: *Si scires donum Dei et quis est qui dicit tibi: da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam.* [33] Sic Christus manifestat samaritidi gratiae suae divinum thesaurum: *Si scires donum Dei!*

b) a persona conversa et a modo conversionis;

Gratiam Spiritus Sancti, quam homo per conversionem ad Deum acquirit, appellat hic Christus *donum Dei*, sed ineffabile; propterea sic loquitur: *Si scires donum Dei*, si scires gratiam Dei, quae tibi

c) a scopo, qui est gratia iustificationis.

23) Ibid. 1, 3. 24) Cf. ibid. 4, 6. 25) Tit 2, 11. 26) Ibid. 3, 4. 27) Cf. Gn 3, 1-6. 28) Cf. ibid. 24, 47-53. 29) Io 4, 10. 30) Gn 3, 13. Vulg.: *Decepit me.* 31) Cf. 2 Cor 11, 3. 32) Lc 7, 37. 33) Io 4, 10.

donum Dei vere ineffabile, magna et pretiosa dona in se continens

nunc offertur veluti per occasionem, sorte, fortuna. Hanc Iacobus apostolus *datum optimum et donum perfectum* appellavit: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.*[34] Hanc Petrus *magna* et *pretiosa dona* dixit: *Per quem,* inquit, *maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae.* [35] O mirabilem grandiloquentiam! *Maxima et pretiosa... donavit.* Dona dicit, quoniam, ut ipsemet ait, multiformis est gratia Dei: *Unusquisque, prout accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei.* [36] Ipsa nanque aureum candelabrum est cum septem luminibus, [37] manna cum omnibus saporibus, [38] hominem facit multiformi virtute praeditum, sicut sacra animalia Dei apud Ezechielem. [39] Hac de causa Isaias gratiam appellavit *ornamenta sponsi et sponsae: Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis et indumento iustitiae circumdedit me quasi sponsum decoratum corona et sicut sponsam ornatam monilibus suis.* [40] Sic in *Apocalypsi* Ecclesia dicitur tanquam *sponsa parata viro suo;* [41] et apud Ezechielem multa recenset Deus ornamenta synagogae, quando ex Aegypto eductam sibi desponsavit ac veluti reginam constituit, [42] sicut rex Assuerus Estheram. [43]

et multis virtutibus hominem ditans;

Sic igitur Petrus gratiam *multiformem* dicit; Paulus gratiam aliquando *thesaurum* appellat: *Habemus... thesaurum... in vasis fictilibus,* [44] sicut et Christus: *Simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro;* [45] aliquando *gloriam*[46] *Dei,* sicut Moyses *imaginem et similitudinem Dei:* [47] *Omnes peccaverunt et egent gloria Dei;* [48] aliquando *vitam aeternam: Stipendia peccati mors, gratia autem Dei vita aeterna;* [49] quoniam haec unica causa est aeternae felicitatis et gloriae, via salutis, scala coeli, porta paradisi, clavis omnium thesaurorum Dei. O *donum Dei* vere ineffabile! *Si scires donum Dei... dedisset tibi aquam vivam,* aquam vitae, aquam vivificantem, sanantem infirmos et vivificantem mortuos; sicut de aquis egredientibus

ideo appellatur etiam gratia multiformis, thesaurus, gloria Dei, vita aeterna, aqua vivificans;

34) 1, 17. 35) 2 Petr 1, 4. 36) 1 Petr 4, 10. Vulg.: *Sicut accepit,* etc. 37) Cf. Ex 25, 37; 37, 23; Lv 8, 2. 38) Cf. Ex 16, 31; Nm 11, 8; Sap 16, 20. 39) Cf. 1, 5 sqq. 40) 61, 10. 41) Cf. 21, 2. 42) Cf. 16, 1-14. 43) Cf. Est 2, 17. 44) 2 Cor 4, 7. 45) Mt 13, 44. 46) Ms.: *Gloria.* 47) Gn 1, 26; 5, 1; 9, 6. 48) Rom 3, 23. 49) Ibid. 6, 23.

de templo ait E z e c h i e l quod sanaturae et vivificaturae erant aquas maris Mortui, [50] scilicet lacus asphaltidis potentissimi. [51]

Nec solum aquam hanc vivam et vivificatricem dicit Christus, sed etiam *incorruptibilem.* Hoc enim est quod ait assignans discrimen inter aquam naturalem et aquam gratiae spiritualem : *Qui biberit ex aqua hac* materiali, *sitiet iterum,* [52] quoniam aqua haec corruptibilis et consumptibilis est ; potata enim a calore naturali concoquitur, digeritur, consumitur, convertitur partim in humorem nutrimentalem corporis, partim in excrementa, in urinam, in exhalationes ; hinc, consumpto humore aquae, iterum sitimus ob ariditatem internam ex calore. At vero : *Qui . . . biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum,* [53] poculis nunquam indigebit, quoniam aqua haec semper manet in homine, instar fontis vivae aquae iugiter scaturientis.

a Christo dicitur etiam incorruptibilis et inconsumptibilis, sitim omnino extinguens.

Quare non loquitur Dominus de siti desiderii et sanctae cuiusdam concupiscentiae, de qua ait : *Qui comedunt me adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient,* [54] eo quod gratia Dei et spiritualis consolatio divinaque dulcedo nunquam inducit nauseam et fastidium, ut mel iis qui multum nimis ex eo comedunt, et sicut manna corporale Hebraeis in deserto iam in nauseam venerat. [55] Coeleste et spiritale manna non sic, sed instar musici concentus et harmoniae suavissimae est, quam ii, qui plurimum delectantur musicis, avidissime auscultant et nunquam finiri vellent. Non de hac siti loquitur Dominus, sed de siti indigentiae, quae oritur ex defectu humoris. Humor autem hic divinae gratiae nunquam suapte natura deficit ; suapte natura donum est perfectum et immortale, sicut lux solis in stellis firmamenti. In luna aliquando deficit lumen solis, non tamen ex lumine ipsius defectu, quasi lucerna extinguatur deficiente oleo, sed per externam causam. In eclypsi tunc lumen solis deficit in luna, cum ipsa se abscondit a sole in umbra terrae ; si nunquam se abscondat, perpetuo splendet, quoniam lumen solis in coelo immortale et perpetuum est. Per peccatum homo abscondit se a Deo, qui *sol iustitiae* [56] est ; hinc legimus Adamum et Evam absconditos a facie Domini propter peccatum. [57]

Christus non loquitur hic de aqua divinae dulcedinis, quae semper delectat et nunquam nauseam inducit,

sed de aqua divinae gratiae, quae nunquam deficit ;

50) Cf. 47, 1 sqq. 51) Cf. Plinius *Hist. Nat.*, lib. 2, cp. 103, pag. 18 : lib. 5, cp. 16, pag. 45; lib. 7, cp. 15, pag. 69. 52) Io 4, 13. Vulg.: *Qui bibit*, etc. 53) Ibid. 54) Eccli 24, 29. 55) Cf. Nm 21, 5. 56) Mal 4, 2. 57) Cf. Gn 3, 6-8.

hac de causa appellat eam donum copiosum a Deo descendens et ad Deum revertens, cum sit semen vitae aeternae.

Et sicut lumen solis in luna non solum eam perpetuo illustrat, verum etiam ipsam luminis fontem facit, sic ait: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* [58] Quibus verbis designat Dominus copiosum munus gratiae. Nam aqua, cum copiosa valde est, sursum ascendit; sic nanque fontes multa aquarum copia abundantes, aquas in altum veluti iaculantur, uti videmus in fontibus artefactis, ductas [59] per canales et conductus, per tubos et fistulas quam in altum aquas cum impetu emittant, profecto magna aquarum copia id efficiente. Sic ait: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae* sursum *salientis in vitam aeternam*, quia, ut naturales dicunt, aqua tantum potest ascendere sursum quantum ex alto descendit deorsum.[60] Aqua haec de coelo descendit a Deo qui ait: *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini;* [61] sic potest sursum in coelum ad Deum ascendere; *in vitam aeternam* ascendit, quoniam gratia veluti semen est vitae aeternae.

et ideo iustus vocatur arbor habens semen gratiae et fructus producens vitae aeternae;

Nam, ubi legimus in *Psalmo: Lux orta est iusto, et rectis corde laetitia*, hebraice est: *Lux seminata est iusto.* [62] Et sic Paulus ait quod: *Qui seminat in carne*, utique peccando, *de carne et metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam.* [63] Deus autem in arboribus, quas ad fructus producendos creavit, semina posuit apta et efficacia vivaciaque ad fructus illos edendos; sic cum creaverit hominem tanquam rationalem arborem, de qua ait: *Erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo,* [64] fructum utique beatitudinis et vitae aeternae, posuit in eo semen gratiae aptum, potens, vivax et efficax ad fructum hunc producendum; sic: *Fiet... fons aquae salientis in vitam aeternam*, imo in regnum aeternum.

d) a fine, qui est salus aeterna, quia gratia confert ius gloriae paradisi.

Nam propterea Christus gratiam Dei *regnum coelorum* appellavit dicens: *Simile est regnum coelorum thesauro abscondito.* Ius primogeniturae apud principes tanti valet quanti ipsa hereditas; gratia autem adoptio est filiorum Dei, ius hereditatis aeternae; tanti valet quanti ipsum regnum coelorum et universa gloria paradisi. Propterea Christus pluris fecit gratiam Dei quam *omnia regna mundi et gloriam*

58) Io 4, 14. 59) Ms.: *Ducta.* 60) Cf. Io. Bodinus *Universae Naturae Theatrum*, lib. 1, pag. 192-193; Io. B. Du Hamel *De Meteoris et Fossilibus*, lib. 1, cp. 2, pag. 13 16; A. Vallisneri *Intorno l' origine delle Fontane*, pag. 14. 61) Ez 36, 25. 62) 96 (hebr. 97), 11. 63) Gal 6, 8. 64) Ps 1, 3.

eorum, [65] quae sibi satanas promisit, si adorare eum voluisset; cum indignatione eum Christus expulit, [66] ac si filio regis, totius regni heredi, quis diceret daturum se ei villam pulcherrimam et amoenissimam, multis cum deliciis, si ei ius hereditatis et regni renuntiaret. Stultus fuit Esau, qui vilissimo pretio vendidit fratri ius primogeniturae. [67]

Gratia praeferenda est omnibus terrenis bonis, quia omnibus infinite excellit,

III. Gratia et amicitia principum magni fit apud homines, quoniam principes multa magnaque praestare possunt, multas divitias, honores, dignitates. Sed quanto Deus maior est quovis homine, tanto Dei gratia praeferenda est gratiae et amicitiae cuiusvis potentissimi et optimi principis. Munera et dona solent magni fieri, vel quia revera magna sunt, sicut divitiae quas Pharao dedit Abrahamo, [68] vel quia a magno principe donantur, sicut Ezechias magni fecit munera sibi per legatos missa ab imperatore Chaldaeorum, [69] vel quia caro constant, sicut aqua de cisterna Bethlehem, quam fortissimi milites Davidi obtulerunt, magni eam fecit David, licet nihilo forte melior esset ceteris aquis; eam tamen Deo litavit, quoniam maximo cum vitae periculo milites illi aquam illam hauserunt per medias acies inimicorum incedentes. [70]

et datur a Deo per Spiritum S. intuitu meritorum passionis Christi.

Donum hoc maximum est quocunque modo: tum quia magna res est, ius hereditatis aeternae, tum quia semper cum Spiritu Sancto datur: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis;* [71] tum quia datur a Deo Optimo Maximo, qui *Rex regum* est *et Dominus dominantium;* [72] et tandem, quia Christo caro admodum constitit; morte nanque et acerbissima passione sua Christus eam nobis meruit: en Christus hodie *fatigatus ex itinere*, [73] sedet lassus, sitit, esurit, multa patitur, utique propter nos; sic lassus expectabat samaritidem, ut donum hoc ei daret, sicut apud Isaiam legimus: *Expectat Dominus ut misereatur vestri, et... exaltabitur parcens vobis, quia Deus iudicii Dominus.* [74] O, igitur, ineffabile *donum Dei!*

Sicut samaritis ad Christum

IV. Cum autem cognovisset samaritis divini huius doni magnitudinem, desiderare coepit, unde ait: *Domine, da mihi hanc aquam ut non sitiam iterum, neque veniam huc haurire;* [75] cognita infinita

65) Mt 4, 8. 66) Cf. ibid. vr. 10. 67) Cf. Gn 25, 29-34. 68) Cf. ibid. 12, 16. 69) Cf. 4 Rg 20, 12-13. 70) Cf. 2 Rg 23, 15-17. 71) Rom 5, 5. 72) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 73) Io 4, 6. 74) 30, 18. 75) Io 4, 15.

accedendo gratiam obtinuit, sic ad Deum accedendum est, ut gratia eius impetretur.

Christi benignitate et humanitate, gratiam ab eo et divinum hoc beneficium petit. Multi gratiam et amicitiam Dei minime desiderant, quoniam a Deo admodum distant plus quam terra a coelo, occidens ab oriente; magna autem distantia adimit desiderium.[75*] Non enim simplex sacerdos ambit summum pontificatum, quia valde distat; ambit Cardinalis, quia proximus illi est; non homo de plebe ambit in republica principatum vel regnum aut imperium, quod per electionem datur, sed princeps inter maiores; non adamabit mercator nec expetet in uxorem filiam regis, sed aliquam sibi parem aut non longe distantem. Existimamus nos Deum a nobis quam maxime distare, ideo gratiam et amicitiam minime expetimus. Ubi chananitis ad Christum accessit, gratiam obtinuit;[76] sic hodie samaritis, prope Christum posita et Christi benignitate et humanitate agnita, *donum Dei* et coelestem gratiam petit.

Benignissime Christus tractat hanc mulierem,

V. Sed: *Vade,* inquit, *voca virum tuum.*[77] O mirabilem artem Salvatoris! o divinam humanitatem! Quam dulciter, quam suaviter disponit et tractat negotium conversionis et salutis huius animae! Non exasperat eam, non terret minis, non dure arguit peccata ipsius; sed suaviter ducit eam in cognitionem et confessionem peccatorum suorum et eam postea cultum Dei divinamque religionem et pietatem docet. Nam, sicut Divina Lex duo habet praeceptorum genera ad cohibenda mala et iniungenda bona, et sicut legalis iustitiae duae sunt partes: *Declina a malo et fac bonum;*[78] ita et gratia duo includit: mundat animam a vitiis peccatisque, et divinis virtutibus coelestibusque charismatibus eam ornat, sicut sol diem inducens in nostrum hemisphaerium propellit tenebras noctis et aerem sua luce et claritate exornat; ita in templo Domini aqua erat ad abluendum corpus et oleum ad inungendum.[79] Sic agens Deus de prima iustificatione synagogae ait quod lavit eam et oleo unxit eam.[80] Regius Vates, petens divinam gratiam sibi restitui, quam per peccatum amiserat, duo petit: *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis... Redde mihi laetitiam salutaris tui et spi-*

ut eam a peccatis emundet et ad Deum convertat;

75*) Proverbium ex Propertio deductum:
« Quantum oculis, animo tam procul ibit amor ».
Elegiae, lib. 3, eleg. 21, vr. 10. 76) Cf. Mt 15, 22-28. 77) Io 4, 16. 78) Ps 36, 27.
79) Cf. Ex 29, 7; 30, 24-31; 40, 7-30. 80) Cf. Ez 16, 9.

ritu principali confirma me... et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me. [81] Sic per Isaiam: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite benefacere.* [82] Sic Paulus: *Haec quidem fuistis; sed abluti estis, sed iustificati estis, sed sanctificati estis;* [83] et: *Ut abnegantes impietatem et saecularia desideria sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo;* [84] et: *Ut mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* [85] Duo haec igitur Christus operatur hodie in samaritana muliere: resipiscere a peccato, et pietati divinoque cultui operam dare, sicut *veri adoratores adorant Patrem in spiritu et veritate;* [86] nam: *Spiritus est Deus et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* [87]

gratia enim prius animam purgat a vitiis et postea virtutibus ornat;

Tandem, ostenditur mirabilis effectus divinae huius conversionis. Nam: *Reliquit... hydriam suam mulier et venit in civitatem et dixit illis hominibus: Venite et videte hominem, qui dixit mihi omnia quaecunque feci; nunquid ipse est Christus?* [88] Sic *multi Samaritanorum crediderunt in Christum propter verbum mulieris;* [89] multi venerunt ad eum et introduxerunt eum in civitatem. [90] Quam fecunda haec mulier Christo hodie per fidem desponsata, quam cito ei multos peperit in spiritu filios! Sic particularem conversionem subsecuta est universalis conversio civitatis Samaritanorum.

mulier autem ad Christum conversa causa fuit conversionis concivium.

VI. In hodierno Evangelio tria sunt sacra colloquia: primum quidem Christi cum samaritana, septem interlocutionibus comprehensum; alterum vero, Christi cum discipulis, duobus interlocutionibus de cibo; cum samaritana actum fuit de potu, cum Apostolis de cibo agitur: *Rabbi manduca... Ego* alium *cibum habeo manducare, quem vos nescitis;* [91] tertium colloquium est cum Samaritanis de salute mundi: *Multo plures crediderunt in eum propter sermonem eius; et mulieri dicebant: quia non iam propter tuam loquelam credimus; ipsi enim audivimus et scimus quoniam hic est vere Salvator mundi.* [92] Tres igitur sunt in eo sacri dialogi, imo quattuor, nam est etiam colloquium mulieris cum Samaritanis: *Venite et videte hominem, qui dixit mihi omnia.*

In hodierno Evangelio quattuor colloquia referuntur: Christi cum muliere, cum discipulis, cum Samaritanis et mulieris cum concivibus.

81) Ps 50, 12-14. 82) 1, 16-17. 83) 1 Cor 6, 11. Vulg.: *Sed sanctificati estis, sed iustificati estis.* Cf. supra, Feria Tertia Dom. Primae Quadr., not. 89, pag. 83. 84) Tit 2, 12. 85) Ibid. vr. 14. 86) Io 4, 23. Vulg.: *Adorabunt Patrem*, etc. 87) Ibid. vr. 24. 88) Ibid. vrr. 28-29. Vulg.: *Et venit in civitatem et dicit illis*, etc. 89) Ibid. vr. 39. 90) Cf. ibid. vr. 40. 91) Ibid. vrr. 31-32. 92) Ibid. vrr. 41-42. Vulg.: *Quia hic est vere*, etc.

In primo dialogo gratia Dei quam maxime commendatur, quae a Christo *aqua viva* appellatur saliens in vitam aeternam; aqua est, sed omni thesauro pretiosior, sicut apud Beatum Iob legimus de sapientia, quod pretiosior sit cunctis opibus, auro, argento, gemmis pretiosissimis;[93] ac tandem quod *timor Dei*, idest vera in Deum pietas, *ipsa* sit *sapientia.*[94] Sic *thesaurum* dixit Paulus: *Habemus... thesaurum... in vasis fictilibus;* qui eam aliquando *gloriam Dei* appellavit: *Omnes peccaverunt et egent gloria Dei;* aliquando *vitam aeternam: Gratia autem Dei vita aeterna.* Nihil carius homini vita ipsa; gratia autem a Paulo aliquando dicta est *spiritus vitae: Lex,* inquit, *spiritus vitae in Christo... liberavit me a lege peccati et mortis;*[95] ubi *legem peccati et mortis* fomitem peccati appellat.

In primo autem gratia Dei quam maxime commendatur;

Ostenditur in hodierno Evangelio mirabilis conversio samaritanae mulieris non solum ab auctore, quia a Christo conversa est, non solum a modo, quia benignissime et humanissime se gessit cum ea Christus, nec solum quoad finem salutis et vitae aeternae; sed etiam quoad effectum mirabilem, nam per eam Christus totam fere civitatem Samaritanorum convertit. Sicut enim sol per lunam illuminat noctem, ita Christus hodie per hanc mulierem reduxit ad lumen veritatis et et fidei Samariam; non per discipulos, non per Apostolos, non per Prophetas, sed per mulierem convertit civitatem hanc. Sic enim *infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.*[96] O vere divinum miraculum!

virtute huius gratiae etiam creatura infirma instrumentum Dei fit ad multorum conversionem.

ALIA HOMILIA

Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Iesus: Da mihi bibere... Dicit... ei mulier, etc.[1]

I. Felix sors et beata fortuna mulieris huius hodie, quae Christum invenit infinitum thesaurum omnium bonorum Dei, similis Sauli qui, cum asinas quaereret, regnum invenit;[2] similis Moysi qui, cum in deserto pascua quaereret suo gregi, Deum invenit, a quo constitutus

In hac fortunatissima muliere, quae Christum invenit,

93) Cf. 28, 1-27. 94) Ibid. vr. 28. 95) Rom 8, 2. 96) 1 Cor 1, 27.

1) Io 4, 7-9. 2) Cf. 1 Rg 9, 1-10, 1 sqq.

fuit summus propheta et princeps populi Dei ; [3] similis Iacob qui Deum in Bethel invenit.[4] Ita haec mulier hodie Deum humanatum invenit, verum Messiam, unicum mundi Salvatorem: Nos *audivimus et scimus quoniam hic est vere Salvator mundi.* [5] Fortunatissima mulier, millies fortunatior Rebecca, Rachele, Sephora, Esther aut quavis alia.

Elucet in hodierno Evangelio in hac anima electa mysterium divinae praedestinationis quoad principium, quoad finem et quoad media. Principium et causa divinae praedestinationis non est nisi beneplacitum divinae voluntatis : *Ita, Pater, quoniam sic* bene *placitum fuit ante te;* [6] *Non* est *currentis neque volentis, sed miserentis est Dei.* [7] De hoc principio loquitur hodie Christus dicens : *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius,* [8] idest ut operer salutem animarum ; nam Deus *vult omnes homines salvos fieri.* [9] Finis vero divinae praedestinationis est salus et vita aeterna : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* [10] De hoc ait : *Salus ex Iudaeis est ;* [11] *Hic est vere Salvator mundi ; Fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* [12] Media vero quaedam sunt ex parte Dei, quaedam vero ex parte nostra. Ex parte Dei sunt Sacramenta, quorum, maxime vero Baptismi, symbolum ac veluti hieroglyphicum est in hodierno Evangelio fons Iacob. Ex parte vero nostra, cultus et religio vera, de qua ait : *Venit tempus . . . quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate . . . Spiritus est Deus et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* [13]

elucet mysterium divinae praedestinationis quoad principium, quod est beneplacitum Dei,

quoad finem, qui est vita aeterna, et quoad media, tum ex parte Dei tum ex parte nostra.

II. Quoniam vero pondus salutis nostrae vel maxime consistit in mediis, ideo in hodierno Evangelio de mediis consequendae salutis quam maxime agitur : de mediis ex parte Dei prius, postea vero de mediis ex parte nostra.

Ex parte Dei primo proponitur Christus *mediator Dei et hominum,* [14] qui in Sacris Litteris non solum ut verus Deus, auctor et finis est divinae praedestinationis sicut et creationis et omnium quae

Ex parte Dei, dedit a) Christum

3) Cf. Ex 3, 1 sqq. 4) Cf. Gn 28, 10 sqq. 5) Io 4, 42. Vulg. : *Quia hic est vere,* etc. 6) Mt 11, 26. Vulg.: *Sic fuit placitum,* etc. 7) Rom 9, 16. Vulg.: *Non volentis neque currentis,* etc. 8) Io 4, 34. 9) 1 Tim 2, 4. Vulg. : *Omnes homines vult,* etc. 10) Mt 25, 34. 11) Io 4, 22. 12) Ibid. vr. 14. 13) Ibid. vrr. 23-24. Vulg.: *Venit hora . . . quando,* etc. 14) 1 Tim 2, 5.

apud ipsum mediatorem nostrum, cuius vita et merita media sunt nostrae salutis;

sunt in mundo, in Ecclesia, in paradiso, sed etiam exemplar et medium ac veluti instrumentum ostenditur. Exemplar quidem, ut Paulus ait: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui;*[15] instrumentum vero, ut idem scribit ad *Ephesios: Praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum.*[16] Sic actiones et merita vitae et passionis Salvatoris media et instrumenta fuerunt salutis nostrae: Corpus Christi, Anima Christi, Sanctissimum Cor Christi, lingua ipsius benedicta, omnes sensus et potentiae animae, omnes virtutes et dona Spiritus Sancti, etiam ipsius miracula.

b) Sacramenta et principaliter Baptismum;

Deinde vero sunt Sacramenta, singulariter vero omnium maxime necessarium et primum Baptismi sacramentum, quod per fontem Iacob designatur et a Paulo dicitur *lavacrum regenerationis Spiritus Sancti.*[17] Sicut enim Patri tribuitur creatio et Filio redemptio, ita Spiritui Sancto tribuitur sanctificatio et iustificatio; quemadmodum etiam Patri tribuitur potentia, Filio sapientia et Spiritui Sancto bonitas. Iacob autem, tertius patriarcha inter summos Patriarchas, figura et imago est Spiritus Sancti, qui tertia est in Divina Trinitate Persona. Sacramentum autem Baptismi efficax medium est salutis nostrae : *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit;*[18] *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.*[19]

c) gratiam iustificationis.

Tandem, ex parte Dei medium est gratia iustificationis et sanctificationis de qua ait : *Si scires donum Dei et quis est qui dicit tibi: da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam. Qui . . . biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.*[20]

Ex parte nostra a) fides requiritur, sed cum operibus,

III. Ex parte autem nostra requiruntur similiter media ad salutem consequendam. Primo quidem, fides : *Mulier, crede mihi;*[21] item, opera : *Da mihi bibere;* cognitio Christi atque donorum Dei : *Si scires donum Dei et quis est qui dicit tibi: da mihi bibere;* oratio sancta : *Tu forsitan petisses ab eo . . . Domine, da mihi hanc aquam ut non sitiam iterum;*[22] cognitio, confessio et detestatio peccati : *Vade, voca virum tuum;*[23] tandem, cultus verae pietatis et religionis :

15) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis Filii sui.* 16) 1, 5. 17) Tit 3, 5. 18) Mc 16, 16. 19) Tit 3, 5. 20) Io 4, 10-14. 21) Ibid. vr. 21. 22) Ibid. vr. 15. 23) Ibid. vr. 16.

Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Fides, inquam, primo necessaria est, nam est *substantia sperandarum rerum;* [24] *Sine fide... impossibile est placere Deo;* [25] sed una cum operibus, nam: *Fides sine operibus mortua est.* [26]

b) cognitio Christi;

Necessaria cognitio Christi, alioquin ignorans ignorabitur; [27] hinc per gradus quosdam haec mulier deducitur hodie in cognitionem perfectam Salvatoris, educitur *de tenebris... in admirabile lumen* [28] Christi. Primo, agnoscit Christum hominem iudaeum et contemnit: *Quomodo tu, iudaeus cum sis, bibere a me poscis, quae sum mulier samaritana?* [29] Deinde, prophetam: *Domine,* ut *video... propheta es tu;* [30] tertio, Messiam: *Scio quia Messias venit... cum ergo venerit, ille annuntiabit... omnia... Ego sum qui loquor tecum.* [31] Hac cognitione mulier facta continuo est ex samaritana christiana, ex peccatrice praedicatrix: *Reliquit... hydriam suam mulier et venit in civitatem et nuntiavit illis hominibus: Venite et videte hominem qui dixit mihi omnia quaecunque feci; nunquid ipse est Christus?* [32] Sic tandem Christus in ipsa civitate Samariae perfecte cognoscitur: *Ipsi enim audivimus et scimus quoniam hic est vere Salvator mundi.*

In hodierno autem Evangelio Christus homo infirmus, pauper et humilis,

Et quidem mirabilis est cognitio Christi in hodierno Evangelio ex paradoxis constans. Nam hic agnoscimus infirmitatem Christi et virtutem Christi: *Fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem:* [33] ecce infirmitas Christi; *Hic est vere Salvator mundi: Portans omnia verbo virtutis suae:* [34] ecce virtus et potentia Christi. Videmus paupertatem Christi: *Da mihi bibere; Egenus propter nos factus est;* [35] et divitias Christi: *Si scires donum Dei et quis est qui dicit tibi: da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam.* Videmus humilitatem Christi: *Quomodo tu, iudaeus cum sis, bibere a me poscis?* [36] et maiestatem Christi: *Scio quia Messias venit... Ego sum,* [37] quoniam videmus humanitatem Christi et divinitatem Christi; nam ut homo *venit... in civitatem Samariae,... fatigatus* est *ex itinere, sedebat sic supra fontem,* [38] potum aquae petit; ut Deus promittit aquam vivam salientem in vitam aeternam, revelat secreta

clarissime cognoscitur Deus maiestatis et mundi Salvator;

24) Hebr 11, 1. Vulg.: *Sperandarum substantia rerum.* 25) Ibid. vr. 6. 26) Iac 2, 26.
27) Cf. 1 Cor 14, 38. 28) 1 Petr 2, 9. 29) Io 4, 9. 30) Ibid. vr. 19.
31) Ibid. vrr. 25-26. 32) Ibid. vrr. 28-29. Vulg.: *Et venit in civitatem et dicit illis,* etc.
33) Ibid. vr. 6. 34) Hebr 1, 3. 35) 2 Cor 8, 9. Vulg.: *Propter vos egenus,* etc.
36) Io 4, 9. 37) Ibid. vrr. 35-36. 38) Ibid. vrr. 5-6.

cordis, appellatur *Salvator mundi*. Sed initium quidem hodierni Evangelii plenum est humilitate, infirmitate et paupertate Christi; finis autem, maiestate, gloria et divinitate Christi. Talia nanque sunt opera Dei; sic fuit in ipsa mundi creatione, sic in processu synagogae, sic in processu Ecclesiae, iuxta parabolam Christi de grano sinapis.[39]

c) tandem sincera erga Deum pietas.

Tandem, ex parte nostra requiritur cultus verae religionis et pietatis: ut Deum colamus et adoremus *in spiritu* caritatis et in *veritate* fidei, quia: *Spiritus est Deus et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare*, non in falsitate superstitionis ut Samaritani: *Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudaeis est;*[40] non in carnalitate sacrificiorum ut Iudaei, sed *in spiritu et veritate.*

Hodiernum Evangelium est veluti quaedam Spiritus S. tragicomoedia.

IV. Hodiernum Evangelium est veluti quaedam Spiritus Sancti tragicomoedia quinque actibus distincta: in primo praesentatur Christus viator, peregrinus cum Apostolis: in secundo, cum samaritana colloquens suntque in dialogo septem interlocutiones; in tertio, mulier praedicans Samaritanis; in quarto, convivium ab Apostolis paratum, ubi duae sunt interlocutiones de spirituali cibo ac etiam de spirituali messe; in quinto, veniunt Samaritani ad Christum et ducunt eum in civitatem, praedicat Christus et tota fere civitas convertitur, comparent omnes personae in scena et sic magna cum laetitia finitur: Nos *audivimus et scimus quoniam hic est vere Salvator mundi.*

In qua ostenditur quanta Christus pro salute nostra egerit et passus sit.

Praesentatur autem in divina hac tragicomoedia mysterium salutis nostrae: *Quoniam salus ex Iudaeis est... Hic est vere Salvator mundi.* Ostenditur quae et quanta egerit et passus etiam sit unigenitus Filius Dei, verus Deus, pro salute mundi. Ostenditur mysterium salutis nostrae quoad suum principium, finem et media; praedestinationem, sanctificationem et glorificationem. Haec enim tria in hoc Evangelio demonstrantur.

39) Cf. Mt 13, 31-32; Mc 4, 31-32; Lc 13, 19. 40) Io 4, 22.

DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMAE

Abiit Iesus trans mare Galilaeae... et sequebatur illum multitudo magna, quia videbant signa quae faciebat. [1]

Ostenditur in hoc Evangelio providentia Christi erga fideles suos.

I. Hodiernum Evangelium, fratres, manifesta est demonstratio divinae providentiae, quam Christus Dominus noster habet sibique sumpsit de multitudine fidelium suorum in Sancta Ecclesia, quae hodie per desertum trans mare designatur, sicut et olim per sacrum desertum, transmisso mari Rubro in quo, ut Paulus ait, sub Moyse omnes baptizati fuerunt, [2] nam Baptismus porta est Sanctae Ecclesiae. In hoc deserto pavit Christus fideles turbas pane mirabiliter comparato, sicut in deserto illo pavit Moyses populum manna de coelo. [3] Elucent in hoc Evangelio opera misericordiae Dei erga nos. Nam in altero simili miraculo, cum Dominus septem panibus satiavit quattuor millia hominum, ait: *Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me nec habent quod manducent, et, si dimisero eos ieiunos ..., deficient in via.* [4]

In panibus et piscibus figurantur huius providentiae opera tum corporalia tum spiritualia.

Semel et iterum pavit Christus homines: primo quidem quinque panibus, [5] postea vero septem, [6] et in utroque miraculo pisces adhibuit ad ostendenda opera misericordiae Dei erga nos tum corporalia tum spiritualia. Primo, pavit homines quinque panibus, qui imperfectus est numerus: corporalia omnia imperfecta sunt; postea, septem panibus: septenarius perfectus est numerus; sic opera spiritualia: hinc septem Sacramenta Ecclesiae, hinc septem virtutes, hinc septem dona Spiritus Sancti. Constat homo anima et corpore; Deus autem prius corpus formavit, postea animam creavit et infudit. [7] Hinc Paulus

1) Pericope huius diei Io 6, 1-15. Cf. Missale Rom. Vulg.: *Sequebatur eum*, etc.
2) Cf. 1 Cor 10, 2. 3) Cf. Ex 16, 4-15. 4) Mc 8, 2-3. 5) Cf. Mt 14, 17-21; Mc 6, 38-44. 6) Cf. Mt 15, 34-38; Mc 8, 5-9. 7) Cf. Gn 2, 7.

ait *prius* esse *quod animale* est, *deinde quod spirituale.* [8] Ad sustentandum utrunque hominem, et interiorem et exteriorem, perfecta Dei providentia est, et prius pascit quod prius creavit. Homo nanque prius vivit animali vita, postea spirituali; prius ut animal, postea ut Angelus, cum pervenit ad rationis usum magnumque lumen intellectus.

Cum homo anima et corpore constet, multa providit Deus ad utriusque conservationem.

Multa [9] providit Deus ad corporis sustentationem, hinc non uno pane satiavit turbas, sed quinque; multo plura providit ad spiritualem vitam conservandam, hinc septem panes inventi sunt in secundo miraculo. Propterea legimus *panem verbi Dei: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei;* [10] *Cibavit illum pane vitae et intellectus;* [11] hinc *panem virtutis: Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam;* [12] hinc *panem poenitentiae: Cibabis nos pane lacrimarum;* [13] hinc *panem* [14] *meritorum: Dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet;* [15] *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es et bene tibi erit;* [16] hinc *panem divinae voluntatis: Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius;* [17] hinc *panem divinae gratiae: Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie;* [18] hinc *panem orationis* et coelestis meditationis divinaeque contemplationis: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei:* [19] sic divino volumine cibatus ab Angelo fuit Ezechiel, [20] similiter et Ioannes in *Apocalypsi;* [21] et tandem *panem sacramentalem,* eucharisticum: *Ego sum panis vivus qui de coelo descendi... Qui manducat hunc panem vivet in aeternum.* [22] Sic igitur in Ecclesia multa sunt opera misericordiae Dei tum corporalia tum spiritualia.

Multa opera misericordiae Deus operatus est in V. Testamento, corporalia

II. Operatus fuit Deus semper opera misericordiae in mundo, operatus in Ecclesia Christus. Cibavit Eliam pane per corvum; [23] potum dedit Samsoni educta aqua ex mandibula asini; [24] cibavit populum manna, [24*] potavit eum aqua de petra; [25] induit Adamum et Evam parentes nostros, cum nudi essent, tunicis pelliceis; [26] liberavit Hebraeos a captivitate Aegypti, [27] Iudaeos a captivitate Babylonis; [28]

8) 1 Cor 15, 46. 9) Ms.: *Multi.* 10) Mt 4, 4. Ex Dt 8, 3. 11) Eccli 15, 3. 12) Mt 5, 6. 13) Ps 79, 6. 14) Ms.: *Panis*, sic et in sequentibus proximis locis. 15) Is 3, 10. 16) Ps 127, 2. 17) Io 4, 34. 18) Mt 6, 11. 19) Lc 14, 15. 20) Cf. 2, 8; 3, 1. 21) Cf. 10, 9-10. 22) Io 6, 51-59. 23) Cf. 3 Rg 17, 4-6. 24) Cf. Idc 15, 19. 24*) Cf. Ex 16, 12 sqq. 25) Cf. Nm 20, 8-11; Dt 8, 15-16. 26) Cf. Gn 3, 21. 27) Cf. Ex 14, 1 sqq. 28) Cf. 2 Par 36, 22 sqq.; 1 Esr 1, 1-2, 1 sqq.

visitavit Danielem in lacu leonum,[29] Ionam in ventre piscis,[30] Ieremiam in carcere regis Sedeciae;[31] visitavit infirmum Ezechiam,[32] sepelivit ipse Aaronem,[33] ipse Moysen in monte,[34] et populum suum in terra promissionis, post longam peregrinationem per desertum, hospitio recepit.[35]

Sic etiam spiritualia praestitit opera misericordiae, cum legem dedit; cum Prophetas Ioseph, Moysen, Salomonem, Ieremiam, Danielem ipse docuit; cum Adamum et Evam post peccatum corripuit; cum universo populo consilia salutaria dedit; cum peccatores convertit, et ad viam veritatis et salutis populum suum perduxit ab errore idololatriae ad veram religionem et pietatem; consolatus eos fuit in tribulationibus; patienter tulit illorum defectus et vitia, dimisit eius peccata, audivit orationes eorum et vota.[36] et spiritualia;

Sic et Christus praestitit omnia opera misericordiae: pavit esurientes in deserto, potavit sitientes in Chana Galilaeae,[37] et in ultima coena cibavit discipulos suos cibo Corporis sui, potavit eos potu Sanguinis sui,[38] sicut dixerat: *Caro mea vere est cibus et Sanguis meus vere est potus;*[39] collegit hospitio per noctem Andream et socium, cum adhuc esset discipulus Ioannis Baptistae;[40] visitavit infirmos, socrum Simonis,[41] languidum in piscina[42] eosque curavit; multos a daemonibus obsessos et satanae vere captivos liberavit;[43] Apostolos supra montem Thabor lucida nube operuit atque Moysen et Eliam maiestate induit;[44] mortuos non sepelivit, sed suscitavit.[45] Praedicando autem Evangelium docuit ignorantes, maxime Apostolos; corripuit delinquentes, scribas et Pharisaeos; dedit salutaria consilia, post evangelica praecepta; consolatus fuit afflictos, Ioannem in carcere,[46] viduam naimitem,[47] Martham et Magdalenam,[48] discipulos moerentes et tristes in ultima coena;[49] tulit patienter iniurias hominum, Ita et Christus in Ecclesia plurima beneficia praestitit, corporalia et spiritualia;

29) Cf. Dn 6, 22; 14, 33-38. 30) Cf. Ion 2, 1. 31) Cf. Ier 32, 2-33, 1 sqq.
32) Cf. Is 38, 1 sqq. 33) Cf. Nm 20, 25-28; 33, 38; Dt 10, 6. 34) Cf. Dt 32, 49-50.
35) Ms.: *In terra promissionis* repetitur. 36) Cf. Ps 105, 1-106, 1 sqq. 37) Cf. Io 2, 2-10.
38) Cf. Mt 26, 26-29; Mc 14, 22-24; Lc 22, 17-20; 1 Cor 11, 23-25. 39) Io 6, 56.
40) Cf. ibid. 1, 37-40. 41) Cf. Mt 8, 14-15; Mc 1, 31; Lc 4, 38-39. 42) Cf. Io 5, 2-9.
43) Cf. Mt 4, 24; 8, 16-32; 9, 33; 12, 22; 15, 28; 17, 17; Mc 1, 26. 34. 39; 5, 13; 7, 29-30; 9, 24-26; 16, 9; Lc 4, 35. 41; 6, 18; 7, 21; 8, 2. 32-33; 9, 43; 11, 14; Act 10, 38.
44) Cf. Mt 17, 1-3; Mc 9, 1-3; Lc 9, 28-31. 45) Cf. Mt 9, 25; 11, 5; Mc 5, 42; Lc 7, 14-15. 22; 8, 54-55; Io 11, 43-44. 46) Cf. Mt 11, 5-6; Lc 7, 22-23. 47) Cf. Lc 7, 13-15. 48) Cf. Io 11, 1-44. 49) Cf. ibid. 14, 1 sqq.

remisit offensas; oravit pro crucifixoribus suis: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* [50]

erant etiam opera misericordiae miracula quae ipse per se vel per Apostolos patravit.

Innumera miracula operatus fuit, sed omnia fuerunt opera misericordiae, sicut Ioanni respondit: *Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* [51] Nec tantum per seipsum, verum etiam per Apostolos suos exercere voluit Dominus opera misericordiae. Hinc: *Dedit eis virtutem et potestatem* [52] ut daemonia eicerent, ut infirmos curarent, ut in salutem hominum divina miracula patrarent. Ideo hodie, cum acceptos manibus panes benedixisset et virtute divina magno miraculo multiplicasset, dedit discipulis suis ut apponerent, [53] ut dispensarent, ut egentibus distribuerent. Sicut Deus hominem *ad imaginem et similitudinem* [54] suam condidit, sic Christus voluit discipulos suos esse sibi consimiles in visceribus pietatis.

Deus infinitus est misericordia et bonitate;

III. Ostenditur hodie Christus magnus eleemosynarius, quoniam Filius Dei est et *imago Dei invisibilis,* [55] *figura* et *χαρακτήρ substantiae* [56] Dei qui, ut Paulus ait, *Pater misericordiarum* est *et Deus totius consolationis.* [57] Magnus eleemosynarius Deus, quia *misericordia Domini plena est terra;* [58] quidquid terra, quidquid mari generatur, omnia naturae universalis opera, omnia metalla, fodinae auri et argenti in visceribus terrae, omnes lapides cuiuscunque generis, omnes plantae et fruges terrae, omnes arbores cum fructibus suis, omnia animalia terrae, maris, aeris, terra ipsa, aquae, aera, coelum, sol, luna, stellae, opera sunt misericordiae Dei: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius... qui facit mirabilia magna solus... qui fecit coelos in intellectu... qui fundavit terram super aquas... qui fecit luminaria magna... solem in potestatem diei... lunam et stellas in potestatem noctis, quoniam in aeternum misericordia eius.* [59] Omnia membra corporis, omnis potentia animae, omnes dies et momenta vitae, opera sunt misericordiae Dei, *quoniam in aeternum misericordia eius,* quoniam Deus totus misericordia est: *Suavis Dominus*

omnes enim creaturae opera sunt misericordiae et bonitatis divinae;

50) Lc 23, 34. Vulg.: *Dimitte illis, non enim sciunt,* etc. 51) Mt 11, 5; Lc 7, 22. 52) Lc 9, 1. Vulg.: *Dedit illis,* etc. 53) Cf. Io 6, 11-12. 54) Gn 1, 26. 55) Col 1, 15. 56) Hebr 1, 3. Ms.: *Character.* 57) 2 Cor 1, 3. 58) Ps 32, 5. 59) Ps 135, 1-9. Vulg.: *Qui firmavit terram,* etc.

universis et miserationes eius super omnia opera eius; [60] *Deus... qui dives est in misericordia,* inquit Paulus, *propter nimiam caritatem suam;* [61] *An divitias bonitatis eius... contemnis?* [62] Infinitus thesaurus misericordiae et bonitatis est: *Quoniam... usque ad coelum misericordia tua;* [63] *Secundum altitudinem coeli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se... Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.* [64]

Talis Deus est, talis et Christus qui verus Deus est, Patri consubstantialis, coaeternus et coaequalis, unus Deus. Tales requirit et nos: *Estote... misericordes, sicut et Pater vester coelestis misericors est.* [65] Hinc Paulus: *Induite vos... sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae.* [66]

talis est et Christus, qui tales nos etiam requirit.

IV. Et quidem multis ostendit Dominus quod opera misericordiae necessaria sunt ad salutem: *Misericordiam volo et non sacrificium.* [67] Hoc ostendit in damnatione divitis epulonis, [68] hoc in maledictione ficulneae quam reperit sine fructu, [69] hoc in damnatione illius, qui acceptam pecuniam reposuit in sudario, [70] otiosam retinuit, non occupatam, hoc manifestissime in damnatione reproborum in die iudicii: *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius; esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi bibere.* [71] Propterea Dominus saepe consilium eleemosynae inculcavit, quod Daniel Nabuchodonosor dederat: *Peccata tua eleemosynis redime et iniquitates tuas misericordiis pauperum.* [72] Sic Dominus: *Facite eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis;* [73] *Vendite quae possidetis et date eleemosynam: facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in coelo.* [74] Parabolam villici sic conclusit: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.* [75] Iuveni illi diviti dixit: *Vade, vende* omnia *quae habes et da pauperibus, et habebis thesaurum* magnum *in coelo.* [76]

Opera misericordiae necessaria sunt ad salutem;

praecipue vero eleemosyna commendatur a Christo.

60) Ps 144, 9. 61) Eph 2, 4. 62) Rom 2, 4. 63) Ps 56, 11. Vulg.: *Usque ad coelos*, etc. 64) Ps 102, 11-13. 65) Lc 6, 36. 66) Col 3, 12. 67) Mt 9, 13. Ex Osee 6, 6. 68) Cf. Lc 19, 19-26. 69) Cf. Mt 21, 19. 70) Cf. Lc 19, 20-26. 71) Mt 25, 41-42. Vulg.: *Discedite a me, maledicti,... non dedistis mihi potum.*
72) 4, 24. 73) Lc 11, 41. Vulg.: *Date eleemosynam*, etc. 74) Ibid. 12, 33. Vulg.: *In coelis.* 75) Ibid. 16, 9. 76) Mt 19, 21. *Omnia* legitur in aliquibus codicibus mss., quos frequenter S. Auctor sequitur. Cf. Eb. Nestle *Novum Test.*, h. l.

Deus divitias hominibus largitur, non ut dominis, sed ut administratoribus suae providentiae;

De eleemosyna Christus dixit: *Thesaurizate vobis thesauros in coelo.* [77] Sic Paulus ad *Timotheum: Divitibus huius saeculi praecipe... thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant... vitam.*[78] Sicut enim Dominus hodie panes dedit Apostolis,[79] non ut sibi retinerent, sed ut egentibus turbis dispensarent, non fecit eos dominos, sed dispensatores et ministros; sic plane Deus divina sua providentia ad hoc divitibus multis largitus est divitias. Non dedit Deus soli, lunae et stellis magnam lucis copiam ut sibi retinerent, sed ut mundo erogarent diemque et noctem illuminarent. Sic Dominus ait: *Fidelis servus et prudens quem constituit Dominus... super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram.* [80] Divites Christus *oeconomos Dei* appellavit; oeconomi autem non sunt domini facultatum, quas possidere videntur, sed administratores; non pro suo libito, sed pro domini voluntate necesse est ut substantias fidei suae creditas administrent, nam omnis administrationis reddituri sunt rationem, sicut ait dominus villico: *Redde rationem villicationis tuae.* [81] Vae iis qui inventi fuerint dispensatores iniqui, dissipatores, dilapidatores, decoctores! Inique admodum egissent hodie Apostoli, si acceptos a Domino panes non distribuissent esurientibus pauperibus; ostendissent se spiritum Christi nec viscera misericordiae et pietatis Christi minime possidere: *Qui habuerit substantiam huius saeculi et viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in illo?* [82] Qui autem caritate destitutus est, *qui non diligit* fratrem suum, *manet in morte,... odit fratrem suum, homicida est.* [83]

ideo a Christo dicuntur oeconomi, qui pro domini tantum voluntate administrare debent facultates sibi creditas.

Multa et magna praemia promittuntur eleemosynae, quia est veluti semen omnium bonorum,

V. Ostenditur etiam in hodierno Evangelio fructus eleemosynae, quod divitias non minuat, sed adaugeat. Cum enim Apostoli panes pauperibus distribuissent, collegerunt hodie *duodecim cophinos fragmentorum,* [84] et in altero etiam miraculo *septem sportas.* [85] Eleemosyna facta propter Deum ex caritate est sicut semen iactum in bonam terram, quod aliquando etiam centuplum reddit, sicut de Isaac legimus quod collegit centuplum, [86] et Dominus ostendit in parabola

77) Ibid. 6, 20. 78) 1 Tim 6, 17-19. 79) Ms.: *Apostolos.* 80) Mt 24, 45; Lc 12, 42. 81) Lc 16, 2. 82) 1 Io 3, 17. Vulg.: *Manet in eo.* 83) Ibid. vrr. 14-15. 84) Io 6, 13. 85) Mt 15, 37; Mc 8, 8. 86) Cf. Gn 26, 12.

seminatoris.[87] Non perditur triticum dum seminatur, sed terrae creditur, datur ad usuram magno cum fenore, iterum recipitur multiplicatum. Sic eleemosyna. De ea nanque Paulus ad *Corinthios* ait: *Qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet... Potens est enim Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.*[88] Sic Salomon ait: *Honora Dominum de tua substantia et de primitiis frugum tuarum da pauperibus, et replebuntur horrea tua frumento, et vino torcularia... redundabunt.*[89] Idemque ait quod *feneratur Domino qui miseretur pauperi.*[90] O quale fenus! Centuplum accipietis![91] Regius Vates de fructu eleemosynae ait: *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in saeculum saeculi, cornu eius exaltabitur in gloria.*[92] Isaias item hac de re multa [habet]: *Frange,* inquit, *esurienti panem tuum et egenos vagosque induc in domum tuam; cum videris nudum, operi eum et carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur, et anteibit faciem tuam iustitia tua, et gloria Domini colliget te; tunc invocabis, et Dominus exaudiet; clamabis, et dicet: ecce adsum;... cum effuderis esurienti animam tuam et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua et tenebrae tuae erunt sicut meridies; et requiem tibi dabit Dominus semper et implebit splendoribus animam tuam et ossa tua liberabit; et eris quasi hortus irriguus et sicut fons aquarum, cuius non deficient aquae.*[93] Bone Deus, quanta hic uni pietati promittuntur praemia! Lumen, sanitas, gloria, iustitia, exauditae orationes, lux in medio tenebrarum et lux quidem meridiana, requies perpetua, multitudo splendorum, salus ossium ac tandem magna prosperitas et felicitas instar paradisi deliciarum,[94] magna bonorum copia instar fontis inexhausti et inexiccabilis. Maiora praemia excogitari non possunt. Per *lucem* divina consolatio intelligitur: *Emitte lucem tuam;*[95] divinus favor: *Exortum est in tenebris lumen rectis*[96] corde; *Lux orta est iusto... rectis corde laetitia;*[97] per *sanitatem,* remedium efficax contra omnem adversitatem: *Orietur vobis*

ut passim declaratur a D. Paulo, a R. Vate, a Salomone

et ab Isaia;

eleemosynae enim promittitur divina consolatio et remedium contra adversitatem,

87) Cf. Mt 13, 8; Lc 8, 5-8. 88) 2 Cor 9, 6-8. Vulg.: *Potens est autem Deus*, etc. 89) Prv 3, 9-10. Vulg.: *Implebuntur horrea tua saturitate, et vino*, etc. Sic legitur in pluribus codicibus mss. Sed in purgatis editionibus Vulgatae verba: *Da pauperibus*, emendata fuerunt: *Da ei*. Cf. Io. De La Haye *Biblia Maxima Versionum*, t. 7, pag. 22. 90) Ibid. 19, 17. Vulg.: *Pauperis*. 91) Cf. Mt 19, 29; Mc 10, 29-30. 92) Ps 111, 9. 93) 58, 7-11. 94) Cf. Gn 2, 8-15. 95) Ps 42, 3. 96) Ps 111, 4. 97) Ps 96, 11.

bona fama probitatis et divina protectio, exauditio orationis et magna prosperitas,

timentibus nomen meum sol iustitiae et sanitas in pennis eius; [98] per *iustitiam*, bona fama et sanctitatis ac probitatis opinio, nomen, laus; per *gloriam colligentem*, divina protectio, sicut de Moyse legimus; cum enim vellent eum lapidare Hebraei, confugit ipse in tabernaculum Domini descenditque gloria Domini et protexit eum; [99] sic: *Scapulis suis obumbrabit tibi et sub pennis eius sperabis;* [100] per *invocationem auditam*, exaudita oratio, unde, e contra, Salomon ait: *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, ipse clamabit et non exaudietur;* [101] per *lucem* item *in tenebris exortam*, magna prosperitas et consolatio, sicut legimus quod *Iudaeis ... nova lux oriri visa est, gaudium, honor et tripudium,* [102] cum se liberatos viderunt a persecutione Aman; per *splendorum plenitudinem*, plenitudo utique divinarum gratiarum et spiritualium consolationum; per *liberationem ossium*, praeservatio ac ereptio ab omnibus periculis; et tandem per *hortum irriguum*, omnis prosperitas. Sic Regius Vates: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conservabit eum ... et beatum faciet eum in terra et non tradet eum in animam inimicorum eius.* [103] Hoc igitur significat in hodierno Evangelio multiplicatio panum pauperibus distributorum, hic fructus est eleemosynae et pietatis. Omnes autem fere hos fructus Salomon compendio redegit dicens in *Proverbiis: Qui sequitur iustitiam et misericordiam, inveniet vitam, iustitiam et gloriam.* [104] Ubi advertendum quod aliquando in Sacris Litteris per *iustitiam* intelligenda venit eleemosyna: *Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in saeculum saeculi;* nam ab Hebraeis eleemosyna dicitur צְדָקָה, [105] quo nomine iustitia appellatur. Sic apud Danielem: *Peccata tua eleemosynis redime,* [106] hebraice est צְדָקָה; sic Dominus in Evangelio: *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus ... Te ergo faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito.* [107] Sic intelligitur

plenitudo gratiarum, praeservatio a periculis et copia coelestium benedictionum;

quae omnia significantur hodie per multiplicationem panum,

et indicantur etiam a S. Scriptura, ubi iustitia pro eleemosyna sumitur.

98) Mal 4, 2. 99) Cf. Nm 14, 10. 100) Ps 90, 4. 101) Prv 21, 13.
102) Est 8, 16. 103) Ps 40, 2-3. Vulg.: *Conservet... faciat... non tradat*, etc.
104) 21, 21. 105) Ms.: *Zedakah*, et infra. 106) 4, 24. 107) Mt 6, 1-4. Vulg.: *Te autem faciente*, etc.

quod saepe legimus *facere iudicium et iustitiam*, [108] nam per *iustitiam* pietatis opera intelliguntur; sic etiam Salomon ait: *Thesaurus desiderabilis et oleum in tabernaculo iusti*, [109] idest hominis pii, et propterea subiungit: *Qui sequitur iustitiam*, idest eleemosynam, *et misericordiam*, hoc est qui diligenti studio vacat operibus pietatis et misericordiae, *inveniet vitam, iustitiam et gloriam*, apud Deum et homines vivet perpetuo cum nomine sanctitatis et magno cum honore et laude.

Videnda sunt in hoc miraculo mysteria quae illud praecedunt,

VI. *Abiit Iesus trans mare Galilaeae... et sequebatur illum multitudo magna, quia videbant signa*, etc. En Moyses qui ducit oves suas tanquam bonus pastor *ad interiora deserti*, [110] ad optima pascua. En Christus hodie honoratissimo convivio, ut princeps optimus instar Assueri, [111] excepit suos. Hodie humile quidem videtur convivium ex panibus hordeaceis et paucis pisciculis, [112] sed tamen divinum est. Et uti in regalibus conviviis quaedam dantur ante pastum, quaedam in pastu et quaedam post pastum; ita plane in hoc divino convivio. Sunt mysteria quaedam praecedentia miraculum, quaedam in ipso miraculo, quaedam post miraculum.

idest iter et oratio Christi, praedicatio et operatio miraculorum;

Ante miraculum: iter Christi, solitudo Christi, oratio Christi; post orationem praedicatio et operatio miraculorum, omnes enim infirmos curavit hodie Christus, priusquam miraculum patraret; [113] et praeter haec: *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quae faciebat.*

quae comitantur, duodecim mysteria huius providentiae ostendunt;

In ipso pastu apponuntur, ut solet in regalibus conviviis, duodecim genera epularum: considerantur duodecim mysteria divinae providentiae, cum miraculum hoc manifesto sit opus providentiae divinae. Sensata mathematica demonstratio. Ostenditur primo, agens provisor, qui operatur miraculum: Christus unigenitus Filius Dei, vivus et verus Deus. Secundo vero, principia, ut ita dicam, et elementa providentiae: potentia, sapientia et bonitas Dei infinita; potest enim, scit et vult, ut summa potentia, summa sapientia, summa bonitas, providere omne bonum; opus est divini intellectus, quia providentia pars est prudentiae, et opus divinae voluntatis, nam Deus *operatur omnia secundum consilium voluntatis suae*, [114] est agens li-

108) Cf. 2 Rg 8, 15; 3 Rg 10, 9; 1 Par 18, 14; 2 Par 9, 8; Ez 18, 5. 19. 21. 27; 45, 9.
109) Prv 21, 20. Vulg.: *In habitaculo iusti.* 110) Cf. Ex 3, 1. 111) Cf. Est 1, 3-8.
112) Cf. Io 6, 9. 113) Cf. Mt 14, 14; Lc 9, 11. 114) Eph 1, 11.

berum, non operatur ex necessitate, sed ex voluntate. Tertio, exemplaria vel imagines divinae huius providentiae, uti sunt: Moyses pascens oves, Abraham paterfamilias habens duos filios, et Christus ipse, qui veluti dux et imperator exercitus ducit sanctas turbas in desertum locum. Sic Deus curam nostri gerit ut pastor ovium, ut pater suae familiae, ut dux et imperator sui exercitus. Quarto, obiectum providentiae: vidit *quia multitudo maxima venit ad eum.* [115] Quinto, instrumenta: quia utitur secundis causis tum agentibus tum etiam materialibus, sicut hodie Christus Apostolis et quinque panibus. Sexto, effectus: quia providit universae multitudini panem et pisces ad sufficientiam et superabundantiam. Septimo, modus: quia *accepit, benedixit et fregit.* [116] Octavo, ordo et opus supra omnem naturae ordinem: quia iussit discumbere *super viride foenum... centenos et quinquagenos* [117] et invisibiliter panes piscesque multiplicavit. Nono, tempus: quia prope pascha. [118] Decimo, locus: in solitudine, in deserto, [119] ubi nihil erat. Ex terra producit Deus multa pulcra, odorifera, suavia, vitam et sensum habentia, cum tamen [120] ipsa terra expers sit omnis sensus et vitae, omnis pulcritudinis, odoris et suavitatis. Undecimo, scopus: ut esurientem multitudinem cibaret et saturaret; sic enim *impleti et saturati sunt,* [121] cum pro libito manducassent. Duodecimo tandem, finis providentiae: Dei gloria, Christi laus: *Quoniam hic est vere propheta, qui venturus est in mundum... Venturi erant ut facerent eum regem;* sed *cum vidissent quod fecerat Christus signum.* [122] Ad hoc enim Christus divina operabatur miracula, pro gloria Dei, ut glorificaretur Filius Dei per ea, [123] sicut et Deus ad hoc semper operatus fuit miracula. Hi omnes cibi sunt huius convivii plane suavissimi, manna suaviores, epulae splendidissimae, quibus Angeli omnes et beati spiritus in paradiso vesci potuissent; sunt enim dapes profecto coelestes.

Post pastum, tandem, dantur bellaria dulcissima ac pretiosissima. Superfuerunt enim *duodecim cophini,* [124] qui quidem designant duodecim articulos fidei, sacratissima mysteria christianae religionis et

et quae sequuntur

115) Io 6, 5. 116) Mt 14, 19; Mc 6, 41; Lc 9, 16; Io 6, 11. 117) Mc 6, 39-40. 118) Cf. Io 6, 4. 119) Cf. Mt 14, 15; Mc 6, 35; Lc 9, 12. 120) Ms.: *Tamen* bis ponitur. 121) Mt 14, 20; Io 6, 12. 122) Io 6, 14-15. Vulg.: *Quod Iesus fecerat signum.* 123) Cf. ibid. 11, 4. 124) Lc 9, 17; Io 6, 13.

pietatis. Post miraculum etiam hoc Dominus, sumpta ex eo occasione, loqui coepit ad turbas de coelesti manna, de sanctissimo et divinissimo Eucharistiae sacramento.[125] mysteria religionis christianae designant,

ALIA HOMILIA

Abiit Iesus trans mare Galilaeae... et sequebatur eum multitudo..., quia videbant signa quae faciebat, etc.[1]

I. Clara et evidens ab ipsis effectibus demonstratio plane mathematica divinae erga nos bonitatis ex paterna hac providentia, sicut etiam ex providentia Dei erga populum in deserto et hominem in paradiso. Et quidem duo Testamenta nihil aliud esse videntur nisi veluti duo Seraphim apud Isaiam canentes divinum trisagium,[2] non enim nisi divinam bonitatem praedicant. Nam Deus extra seipsum auctor est triplicis bonitatis: naturae, gratiae et gloriae, in mundo, in Ecclesia, in paradiso.

Ostenditur infinita Dei bonitas in triplici regno, naturae, gratiae et gloriae.

Sed tamen est bonitas Dei incomprehensibilis tum hominibus tum Angelis. Hinc, cum apparuit Deus Eliae in monte Horeb, operuit pallio faciem suam;[3] similiter, cum apparuit Moysi in rubo ardenti, operuit faciem suam Moyses;[4] Seraphim etiam coram Deo positi operiebant facies suas alis, quasi ferre non valentes potentissimos radios divinae lucis.[5] Hinc enim Paulus ait quod *lucem habitat inaccessibilem;*[6] sicut nec oculi nostri ferre possunt lucem solis huius. Splendebat Deus instar solis; hinc enim aiebant Seraphim: *Plena est omnis terra gloria eius.*[7]

Bonitas Dei incomprehensibilis est,

Et quidem multis modis nititur Divina Scriptura declarare nobis divinam bonitatem, ut corda nostra ad divinum amorem pertrahat et accendat, cum bonitas cibus sit et esca amoris. Nunc sacris utitur imaginibus et hieroglyphicis; divinam nanque bonitatem designat fons ille, ex quo fluvius qui egrediebatur de paradiso,[8] nam Deus vena et fons est *aquarum viventium;*[9] item ignis ardens lucensque,

ideo ad eam declarandam multis imaginibus utitur S. Scriptura;

125) Cf. Io 6, 27-50.

1) Io 6, 1-2. 2) Cf. 6, 3. 3) Cf. 3 Rg 19, 13. 4) Cf. Ex 3, 2-6. 5) Cf. Is 6, 2. 6) 1 Tim 6, 16. Vulg.: *Inhabitat,* etc. 7) Is 6, 3. 8) Cf. Gn 2, 6. 10. 9) Ier 17, 13.

sed non comburens ;[10] aureum propitiatorium in sancta sanctorum;[11] vas plenum manna,[12] imo manna ipsa de coelo descendens ; cum enim coelum locus Dei sit, cum coelum manna plenum dicitur, plane ostenditur quod Deus ipse suavissima manna sit. Terra etiam promissionis lacte et melle fluens,[13] idest bonorum omnium copia abundans, veluti hieroglyphicum est divinae bonitatis. Aliquando sacris etiam titulis et illustribus metaphoris, cum Deum appellet *ignem*,[14] *lucem*,[15] *solem*,[16] *coelum*,[16*] *fontem aquae vivae*.[17]

sed praecipue cognoscitur ab effectibus,

Sed praecipue ab effectibus. Regius Vates ad Deum loquens ait : *Bonus es tu et in bonitate tua doce me:*[17*] טוֹב־אַתָּה וּמֵטִיב :[18] *Bonus es tu et benefactor*. Hinc saepe in suis *Psalmis* invitat omnes creaturas ad laudandam divinam bonitatem : *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius:*[19] כִּי לְעוֹלָם חַסְדּוֹ :[20] *Quoniam ipsi mundo benignitas eius*, sicut alibi ait : *Confiteantur Domino misericordiae eius et mirabilia eius filiis hominum;*[21] a benignitate, inquit, mundo exhibita cognoscitur divina bonitas. Sed quaenam haec benignitas ? *Qui facit*, inquit, *mirabilia magna solus, quoniam in aeternum misericordia eius*, mundo, idest filiis hominum benignitas eius ; *qui fecit coelos in intellectu*, idest summo cum iudicio et intelligentia, *quoniam in aeternum misericordia eius; qui firmavit terram super aquas*, idest iuxta aquas ; *qui fecit luminaria magna,... solem in potestatem diei,... lunam et stellas in potestatem noctis, quoniam in aeternum misericordia eius.*[22] Omnia, inquit, opera Dei in coelo et in terra effectus sunt divinae bonitatis.

idest in operibus creationis universi,

Sic alibi ait: *Misericordia Domini plena est terra*,[23] idest quaecunque in terra generantur ad hominum utilitatem et voluptatem, effectus sunt benignitatis divinae. Alibi ait : *Magna est usque ad coelos misericordia tua;*[24] et : *Secundum altitudinem coeli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se... Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.*[25]

10) Cf. Ex 24, 17. 11) Cf. ibid. 25, 17 ; 37, 6. 12) Cf. ibid. 16, 33 ; Hebr 9, 4. 13) Cf. Ex 3, 8; 13, 5 ; 33, 3 ; Nm 13, 28 ; Dt 6, 3 ; 11, 9. 14) Cf. Ex 24, 17 ; Dt 4, 24 ; Ez 1, 26-28 ; Hebr 12, 29. 15) Cf. Sap 7, 25-26 ; 1 Tim 6, 16 ; 1 Io 1, 5-7 ; Apc 21, 23 ; 22, 5. 16) Cf. Ps 18, 6 ; Eccli 42, 16 ; Is 60, 19-20 ; Apc 1, 16. 16*) Cf. Dn 4, 23 ; 1 Mach 3, 19 ; Lc 15, 18. 17) Ier 2, 13. 17*) Ps 118 (hebr. 119), 68. 18) Ms.: *Tob attah umethib.* 19) Ps 135 (hebr. 136), 1. 20) Ms. : *Chi leolam chasdo.* 21) Ps 106, 8. 21. 31. 22) Ps 135, 4-9. 23) Ps 32, 5. 24) Ps 107, 5. Vulg.: *Super coelos*, etc. 25) Ps 102, 11-13.

Omnia opera divinae providentiae in mundo, opera sunt divinae bonitatis. Ita docet Regius Vates in illo eodem *Psalmo,* ubi docuit opera creationis opera esse divinae benignitatis. Hinc refert omnia opera divinae providentiae erga populum suum in Aegypto, in deserto, in terra promissionis, et per singula canit: *Quoniam in aeternum misericordia eius.* Tandem vero concludit: *Qui dat escam omni carni, quoniam in aeternum misericordia eius.*[26] En generalis et universalis providentia. Quare sciens impares esse homines ad agendas Deo gratias pro tantis beneficiis, convertitur ad coelites dicens: *Confitemini Deo coeli, quoniam in aeternum misericordia eius.*[27]

sicut et in gubernatione populi hebraici.

Quoniam vero tum creatio tum conservatio mundi opera sunt Trinitatis Divinae, ideo praemisit Regius Vates: *Confitemini Domino... Confitemini Deo deorum... Confitemini Domino dominorum,*[28] quoniam Deus Unus et Trinus est. Dicitur autem Pater *Deus deorum* et *Dominus dominorum,* quoniam per duas Hypostases, Filium et Spiritum Sanctum, universa moderatur et regit. Quoniam etiam opus vel maxime divinae providentiae, basis et fundamentum videtur esse totius religionis, ideo tandem ait: *Confitemini Deo coeli.*[29] Basis, inquam, religionis est providentia; hinc enim Deus prius eduxit populum de Aegypto et securo loco in deserto constituit,[30] atque cibum potumque providit,[31] ac tunc legem dedit, et divinum sanctuarium pro cultu sacrae religionis fieri mandavit.[32]

Creatio et conservatio mundi, opera sunt totius Trinitatis Divinae.

II. Multa sunt quae hominem ad virtutem potenter impellunt et urgent, sed quinque praecipua sunt, praeter ipsam naturalem virtutis honestatem, pulcritudinem et divinum splendorem. Primum quidem, imperium divinae maiestatis, Deus enim praecipit secundum virtutem vivere; secundum vero, beneficium creationis, sufficit enim homini, ut patrem revereatur honoretque, scire se ab illo genitum; tertium est praemium virtutis, gloria paradisi, vita aeterna in coelis promissa virtutem colentibus; quartum est supplicium aeternaque inferni poena, quae parata a Deo est improbis vitiorum sectatoribus; quintum tandem, quod omnium maxime urget, cognitio est divinae provi-

Multa sunt quae hominem urgent ad virtutem: mandatum Dei, beneficium creationis, spes praemii, timor poenae, et cognitio divinae providentiae.

26) 135, 10-25. 27) Ibid. vr. 26. 28) Ibid. vrr. 1-3. 29) Ibid. vr. 26.
30) Cf. Ex 14, 1 sqq. 31) Cf. ibid. 20, 1 sqq. 32) Cf. ibid. 25, 1-27, 1 sqq.

dentiae, quoniam Deus in praesenti etiam saeculo virtutum cultoribus verisque Dei adoratoribus omnia providet necessaria, utilia, etiam delectabilia et suavia, sicut patet hodie; nam non tantum panem, sed pisces providit.[33] Hoc autem viso miraculo, non tantum magnis laudibus Christum honorarunt dicentes: *Quoniam hic est vere propheta, qui venturus est in mundum,*[34] sed etiam in regem sibi eligere voluerunt.[35]

necnon exemplum vitae Christi et Sanctorum;

Quinque autem his duo alia et quidem efficacia adiunguntur motiva: exemplum vitae cum Sanctorum omnium, tum maxime ipsius Christi, unigeniti Filii Dei. Principis enim exemplum quem non movet? Postremum vero, voces omnium sanctorum Prophetarum, Apostolorum, Doctorum omnium, ipsorum etiam philosophorum et multorum poetarum, principum etiam in suis legibus una cum auctoritate magistratuum; haec, inquam, omnia hominem ad virtutis cultum movent.

sed maxime fides et cognitio singularis providentiae erga fideles, per propitiatorium figuratae

Sed maxime omnium fides et cognitio firma certaque singularis providentiae Dei erga pios. Hoc enim designat propitiatorium operiens arcam, in qua Legis tabulae asservabantur;[36] designabat autem propitiatorium quidem supra cherubim divinam maiestatem, arca vero Sanctam Ecclesiam, in qua vera fides et religio, Sacramenta et divina auctoritas. Operiebat propitiatorium illud arcam, sicut avis nidum et pullos suos; nam et nubes Dei operiebat iugiter et veluti incubabat divinum tabernaculum,[37] quia ad hoc divina cura incumbit, ut provideat Ecclesiae suae necessaria pro salute corporis et animae rectoresque et pastores ad regimen utriusque substantiae, ita ut ad hoc Deus adhibeat potentiam, sapientiam et bonitatem suam et ministerio etiam utatur sanctorum Angelorum. Ita in ipso sanctorum sancto erat veluti imago quaedam divini huius mysterii.

et etiam per altare incensi in divino sanctuario.

In divino etiam sanctuario altare incensi, quod erat insigne religionis divinae, positum fuit medium inter mensam panum propositionis, quae posita fuit ad septentrionalem plagam, et candelabrum aureum positum ad plagam australem,[38] ut sciamus quod fulcitur divina religio cognitione providentiae et beneficiorum Dei. Unde

33) Cf. Mt 14, 17; Mc 6, 38; Lc 9, 13; Io 6, 9. 34) Io 6, 14. Vulg.: *Quia hic est*, etc. 35) Cf. ibid. vr. 15. 36) Cf. Ex 25, 10-22; 35, 11; 37, 1-9. 37) Cf. ibid. 40, 32 sqq. 38) Cf. ibid. 35, 13-15; 40, 20-25; 3 Rg 7, 48-49.

Regius Vates: *Benedic, anima mea, Domino et noli oblivisci omnes miserationes eius, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia et miserationibus, qui replet in bonis desiderium tuum.* [39]

O beatos qui divinum hoc mysterium vere agnoscunt! Multis autem sunt similes his Galilaeis qui, saturati a Christo, voluerunt eum regem sibi constituere, sed postea terga verterunt Christo, [40] sicut Hebraei in deserto reverti voluerunt in Aegyptum ad serviendum Pharaoni. [41] Multi sunt qui, veluti facto periculo servitutis Dei et mundi, a servitute Dei ad mundi redeunt servitutem veluti meliorem, sicut Naaman syrus meliores existimabat aquas fluviorum Syriae aquis Iordanis. [42] Ah infelices! Mundus igitur melior Deo? Similes Hebraeis qui *pro nihilo habuerunt terram desiderabilem* [43] et, suggerente satana, non afflictionum, sed tantum voluptatum Aegypti recordabantur.

Stulti et ingrati sunt qui, tot beneficiis cumulati, Deo terga vertunt, ut mundo serviant.

39) Ps 102, 2-5. Vulg.: *Noli oblivisci omnes retributiones eius*, etc. 40) Cf. Io 6, 67. 41) Cf. Ex 16, 3; 17, 3; Nm 11, 5; 14, 1-3. 42) Cf. 4 Rg 5, 12. 43) Ps 105, 2.

FERIA SECUNDA DOMINICAE QUARTAE QUADRAGESIMAE

Prope erat pascha Iudaeorum, et ascendit Iesus Ierosolymam et invenit in templo vendentes. [1]

Eicit Christus peccatores de templo ob violatam religionem,

I. Eicit Dominus hodie peccatores a templo, sicut Abraham Dei iussu eiecit Agar ancillam et filium eius e domo sua, [2] sicut Iosue eiecit Chananaeos de terra promissionis, [3] imo sicut Deus peccatores angelos de coelo [4] et homines post peccatum [de paradiso eiecit], [5] sicut sol oriens tenebras e nostro hemisphaerio propellit. Mirabilis autem huius facinoris Dominus duplicem causam assignat: alteram quidem manifestam: *Auferte ista hinc et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis;* [6] ne templum Dei convertatis in templum Baal, sicut alia vice dixit: *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum.* [7] Displicet Deo supra modum neglecta et violata religio. Altera vero causa quam assignat, mystica est:

quia templum illud domus Dei erat, et designabat etiam corpus Christi tum naturale tum mysticum.

Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud; [8] quod quidem mysterium Evangelista aperuit inquiens: *Hoc autem dicebat de templo corporis sui;* [9] hoc est, quia templum illud veluti hieroglyphicum erat, sacra imago et figura corporis Christi tum naturalis tum mystici. Nam Ecclesia *corpus Christi* dicta est a Paulo; [10] templum autem illud tum Christi corpus, *in quo* inhabitabat et *inhabitat omnis plenitudo divinitatis,* [11] designabat, tum etiam Ecclesiam, de qua Paulus: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos;* [12] *Vos... estis templum Dei vivi.* [13]

1) Pericope huius diei Io 2, 13-25. Cf. Missale Rom. 2) Gn 21, 10. 3) Cf. Ios 6, 1 sqq.; 8, 1-12, 1 sqq. 4) Cf. Is 14, 12-20; 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6; Apc 12, 7-9. 5) Cf. Gn 3, 24. 6) Io 2, 16. 7) Mt 21, 13; Mc 11, 17; Lc 19, 46. 8) Io 2, 19. 9) Ibid. vr. 21. Vulg.: *Ille autem,* etc. 10) Eph 1, 23. 11) Col 2, 9. 12) 1 Cor 3, 17. 13) 2 Cor 6, 16.

II. Latet autem hic, ut mihi videtur, non contemnendum mysterium. Nam, sicut mundus iste magnus est veluti magna quaedam imago Dei, ut homo parvus mundus parva Dei imago – imò est veluti mappa quaedam Dei, sicut orbis descriptio a peritissimo et diligentissimo cosmographo descripta, quae m a p p a - m u n d i dicitur, ostendit omnes partes mundi, omnia maria, lacus, stagna, flumina, montes, regiones, regna, provincias, civitates sub utroque polo, ad orientem, ad occidentem, ad aquilonem et austrum ; sic mundus iste magnus veluti descriptio quaedam Divinitatis est, quae quidem est mundus ter maximus : nihil est in mundo quod non repraesentet virtutem aliquam in Deo, vel potentiam, vel sapientiam, vel bonitatem, aut iustitiam, misericordiam, caritatem, magnitudinem, gloriam, maiestatem, aeternitatem, immensitatem, mentem, voluntatem, vitam, actiones et alia quae de Deo in Scripturis Sanctis et sacra theologia traduntur atque docentur ; – ita etiam Sancta Ecclesia est veluti magna quaedam imago et mappa Christi, uti quilibet christianus purus et sanctus parva Christi imago et figura. Quidquid in Ecclesia potestatis, auctoritatis, virtutis, sanctitatis, quidquid honoris, dignitatis, amplitudinis reperitur, indicat et repraesentat quae in Christo plenissime continentur. Patriarchae, Prophetae, pontifices, sacerdotes, levitae, electi israelitae, Apostoli, martyres, confessores, Episcopi, virgines, sanctique omnes et electi Dei Christum repraesentant. Omnes enim fideles unum Christi corpus efficiunt ; sed hi quidem caput, hi oculos, illi aures, alii brachia et manus, alii cor et pectus, alii tibias et pedes Christi repraesentant.[14]

Sicut mundus imago quaedam Dei est et unaquaeque creatura aliquam Dei virtutem repraesentat,

ita Ecclesia imago est Christi qua corpus mysticum, cuius singuli fideles aliquod Christi membrum repraesentant.

III. Sic templum illud Divinam Christi Personam figurabat. Tribus partibus templum illud distinctum erat, sicut mundus hic terra, coelo et supercoelesti paradiso continetur; sicut corpus hominis ventre, pectore, et capite ; sicut anima hominis tribus potentiis : vegetativa, sensitiva et rationali ; sic in templo illo erant tres partes : atrium, sanctum, et sanctum sanctorum,[15] quae in Christo tres substantias designabant : corpus, animam et divinitatem ; et in ipsa etiam Christi humanitate triplicem statum : naturae, gratiae et gloriae, quoniam in Christo omnis perfectio naturae humanae, omnis perfectio gratiae

Templum Ierusalem Christum figurabat tribus substantiis constantem: corpore, anima et divinitate.

14) Cf. 1 Cor 6, 15; 12, 12 sqq. 15) Cf. 3 Rg 6, 8 sqq. ; 2 Par 3, 1 sqq.; Hebr 9, 1-7.

et virtutis donorumque Spiritus Sancti, omnis perfectio gloriae et beatitudinis coelestis reperitur.

Ostenditur analogia inter templum illud et humanitatem Christi,

De templo illo in Sacris Litteris multa traduntur: quod illius exemplar et descriptio de coelo venit ad ipsum David;[16] quod in monte Moria aedificatum fuit a sapientissimo et ditissimo rege Salomone;[17] quod ex nobilissima materia ex auro et lapidibus pretiosis;[18] quod forma elegantissima quadrangulari in tres partes distinctum[19] sicut et tabernaculum Moysi;[20] quod in Dei habitaculum et domum orationis pro salute populi;[21] quod Deus in ipso dedicationis die descendit ad sanctificandum illud et inhabitandum in eo, igne etiam misso de coelo super altare holocaustorum;[22] quod totum auro intrinsecus ornatum fuit multisque figuris aureis cherubim, palmarum et florum;[23] quod in eo iugiter sacerdotes et levitae divina mysteria exercebant, offerebant sacrificia, canebant divinas laudes, declarabant et praedicabant legem Dei[24] aliaque permulta. Sed praecipue septem haec: exemplar, auctor, materia nobilis, forma elegantissima, ornatus mirabilis, scopus divini cultus in sacrificiis et orationibus pro salute populi, et tandem finis divinae inhabitationis pro gloria maiestatis eius.

quoad exemplar, auctorem et materiam;

Sic de sacra humanitate Christi multa in Sacris Litteris legimus. Exemplar multarum figurarum in Veteri Testamento, sicut Paulus ait quod Adam fuit figura Christi;[25] quod *petra... erat Christus*,[26] quoniam *in figura omnia contingebant illis;*[27] quod Melchisedech Christum praefiguravit.[28] Legimus fundatorem: *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi;*[29] templum est non ab hominibus, sed a Deo fundatum, utique super montem Moria, in utero beatissimae Virginis Mariae, ex nobilissima materia. *Factus est ei ex semine David secundum carnem*,[30] ortum duxit ex nobilissima gente, ex sanctissimis Patriarchis, ex regibus et pontificibus.[31] Forma item elegantissima: *Speciosus forma prae filiis hominum;*[32] ornatus divinus gratiae et gloriae: *Verbum caro factum est... plenum gratiae*

quoad formam et ornatum,

16) Cf. 1 Par 28, 11. 17) Cf. 2 Par 3, 1. 18) Cf. 3 Rg 5, 17; 6, 7-7, 1-12; 1 Par 29, 2. 19) Cf. 3 Rg 6, 16-20; 2 Par 3, 4 sqq. 20) Cf. Ex 26, 1-27, 1 sqq. 21) Cf. 3 Rg 8, 13 sqq.; 1 Par 29, 1; 2 Par 6, 1 sqq.; 7, 12 sqq. 22) Cf. 2 Par 7, 1-3. 23) Cf. 3 Rg 7, 21 sqq.; 2 Par 3, 9 sqq. 24) Cf. 2 Par 7, 4-9. 25) Cf. 1 Cor 15, 45. 47. 26) Ibid. 10, 4. 27) Ibid. vr. 11. Vulg. *Omnia in figura*, etc. 28) Cf. Hebr 5, 6. 10; 6, 20; 7, 17. 29) Lc 1, 35. 30) Rom 1, 30. 31) Cf. Mt 1, 1-17; Lc 3, 21 sqq. 32) Ps 44, 3.

et veritatis, . . . et vidimus gloriam eius, [33] sicut in transfiguratione *resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* [34] Scopus fundationis huius templi fuit salus mundi : *Vocabis nomen eius Iesum ; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* [35] Tandem finis, pro gloria Dei, unde in nativitate eius Angelorum chorus cecinit dicens : *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis;* [36] sic : *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* [37] Sic igitur ait : Hoc *autem dicebat de templo corporis sui,* idest sacrae humanitatis ipsius. O quale templum Christus !

scopum et finem.

In sua *Apocalypsi* I o a n n e s ait quod in coelesti Ierusalem paradisi non vidit templum, quoniam *Dominus . . . Deus . . . templum illius est et Agnus;* [38] Christus, Deus et homo, templum est paradisi. Fuit templum illud figura sacrae humanitatis Christi quoad incarnationem, quia domus Dei ; quoad gratiam, quia templum sanctum ; quoad gloriam, quia templum gloriosum totum intus auro fulgebat ; quoad passionem, quia dirutum fuit : *Solvite templum hoc;* quoad resurrectionem, quia iterum reparatum : *In tribus diebus excitabo illud ;* figura quoad exaltationem Christi, nam aedificatum fuit templum supra montem Sion, editiori parte civitatis Ierusalem ; [39] Christus autem *assumptus est in coelum et sedet a dextris Dei* [40] super omnes choros Angelorum. Hinc de eo verum est vaticinium I s a i a e : *Erit praeparatus mons domus Domini in vertice montium:* [41] dignitas Christi super omnem creatam dignitatem ; gloria Christi super omnem gloriam.

Eadem analogia iterum exponitur.

De templo Salomonis dicitur quod aedificatum fuit ex lapidibus quadris adeo perfectis, ut malleus, securis et omne ferramentum non sint audita in templo. [42] Datae fuerunt Christo ab initio virtutes omnes perfectissimae, ita ut nulla alia perfectione maiori opus habuerint. Non opus habuit malleo, ut P a u l u s , cui dixit : *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* [43] Super omnia autem voluit Deus templum illud esse sanctissimum, mundissimum, omnino inviolatum, ita ut intra illud nulla penitus immunditia aut foeditas admit-

et praecipue quoad sanctitatem illius templi et humanitatis Christi.

33) Io 1, 14. 34) Mt 17, 2. 35) Ibid. 1, 21. 36) Lc 2, 14. Vulg.: *In altissimis,* etc.
37) Col 1, 19. 38) 21, 22. 39) Cf. 2 Par 3, 1 ; Ps 47, 3 ; 73, 2 ; 75, 3 ; 131, 13.
40) Mc 16, 19. 41) 2, 2. 42) Cf. 3 Rg 6, 7. 43) 2 Cor 12, 9.

teretur.[44] Hinc Christus hodie ex ardenti zelo divini honoris eiecit de templo omnes, qui saecularibus negotiis illud profanabant: *Auferte ista hinc et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis;* quoniam sacra humanitas Christi, cuius templum illud imago et figura erat, omnino pura, munda et immaculata erat; Christus homo omnino sanctus, imo sanctissimus, vere Sanctus Sanctorum, *sol iustitiae:*[45] *Peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore eius.*[46] Sic vere sanctissimum Dei templum extitit corpus Christi.

Nos oportet similes Christo esse sanctitate, quia de mystico eius corpore sumus,

IV. Nos autem, fratres, ad hoc conditi sumus, ut Deo et Christo similes simus. *Creavit* Dominus *Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei,* idest Christi,[47] *creavit illum;*[48] *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui.*[49] Christus Dei templum est sanctum et mundum; talem requirit Ecclesiam sanctam, puram, immaculatam: *Non habentem maculam aut rugam,*[50] talem requirit unumquenque nostrum: *Elegit nos* in Christo, ait Paulus, *ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate.*[51] Sic hodie Ecclesiam suam ab immunditiis purgavit in figura. Nam templum illud typus et figura erat Ecclesiae, quae mysticum Christi corpus est: *Vos... estis templum Dei vivi; Templum... Dei sanctum est, quod estis vos.* Odit Deus in templo suo, in Ecclesia sua omnem immunditiam. Sic Paulus ait: *Omnis autem fornicatio aut immunditia aut avaritia, quod est idolorum servitus, nec nominetur in vobis.*[52]

et veri Nazaraei.

A Nazaraeis Deus summam sanctitatem requirebat, quoniam in templo Domini morabantur; vitam exigebat summe puram et mundam ac omnino immaculatam; vinum eis interdixit et acetum et omne quod inebriare potest, esum etiam uvarum et rerum omnium quae ex vitibus oriuntur.[53] Nos sumus veri Nazaraei. Prohibet nobis Christus Dominus noster vinum iniquitatis ex vite carnalis concupiscentiae: *De vinea Sodomorum vinea eorum et de suburbanis Gomorrhae; uva eorum uva fellis et botrus amarissimus; fel dacronum*

44) Cf. Lv 15, 31; 16, 16.19; 21, 12-23; 22, 9; Nm 19, 13-14. 20; 2 Par 23, 19; 29, 5-18; 36, 14. 45) Mal 2, 4. 46) 1 Petr 2, 22. 47) Cf. S. Laurentius a Br. *Opera Omnia*, vol. 3, *Explanatio in Genesim*, pag. 198. 48) Gn 1, 27. 49) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis Filii sui.* 50) Eph 5, 27. 51) Ibid. 1, 4. 52) Ibid. 5, 3-5. Vulg.: *Fornicatio autem et omnis immunditia*, etc. 53) Cf. Nm 6, 1 sqq.

vinum eorum, et venenum aspidum insanabile. [54] Ex rebus omnibus, quae ex vite hac enascuntur, abstinere et temperare nos iubet. Hinc ait : *Omnis immunditia . . . nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos;* [55] nam, ait : *Non . . . vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem,* [56] ut *in sanctitate et iustitia coram ipso serviamus ei omnibus diebus* [57] vitae nostrae. Qualem ab Ecclesia sua sanctitatem Christus requirit, qui manifeste ait quod de omni verbo otioso reddituri sumus rationem in die iudicii, [58] qui manifeste ait : *Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum !* [59] Vitae sanctitatem intrinsecam atque extrinsecam [60] a nobis requirit, ut sancti simus mente et corpore, alioquin indigni erimus facie Dei, domo Dei : *Quis habitabit in tabernaculo tuo ? . . . Qui ingreditur sine macula;* [61] *Quis stabit in loco sancto eius ? Innocens manibus et mundo corde.* [62]

Maxime commendatur haec sanctitas tum in Veteri tum in Nova Lege.

Nihil est, fratres, quod Deus a nobis magis requirat quam ut templum Domini sanctum simus. Hinc in Levitico pluries legimus : *Ego . . . Dominus Deus vester: sancti estote, quia ego sanctus sum;* [63] et iterum : *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester;* [64] et iterum : *Sanctificamini et sancti estote, quia ego sum Dominus Deus vester.* [65] Adhuc autem : *Eritis mihi sancti, quia sanctus ego sum Dominus Deus vester et separavi vos a ceteris populis, ut essetis mei.* [66] Divus Petrus : *In omni conversatione sancti sitis, quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.* [67] Sic Paulus ad *Thessalonicenses: Haec est . . . voluntas Dei, sanctificatio vestra . . . , ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione et honore;* [68] et Deum ita rogat dicens : *Ipse . . . Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester et anima et corpus sine querela in adventu Domini nostri Iesu Christi servetur.* [69] Et ad *Corinthios: Has igitur habentes promissiones, carissimi, emundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* [70] Sic praedicabat quod *non . . . vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.*

54) Dt 32, 32-33. Vulg. : *Botri amarissimi*, etc. 55) Eph 5, 3. 56) 1 Thess 4, 7. Vulg.: *Non enim vocavit*, etc. 57) Lc 1, 74-75. Vulg. : *Serviamus illi in sanctitate*, etc. 58) Cf. Mt 12, 36. 59) Ibid. 5, 20. 60) Ms. : *Intrinsecam* repetitur loco : *Extrinsecam*. 61) Ps 14, 1-2. 62) Ps 23, 3-4. 63) 11, 44. 64) Ibid. 19, 2. 65) Ibid. 20, 7. 66) Ibid. vr. 66. 67) 1 Petr 1, 15-16. 68) 1 Thess 4, 3-4. 69) Ibid. 5, 23. 70) 2 Cor 7, 1. Vulg. : *Has ergo . . . mundemus*, etc.

Nam sine hac spiritus et animae sanctificatione nemini patere potest regnum coelorum; nam: *Si quis... emundaverit se,* inquit Paulus, *ab istis,* utique vitiis et peccatis, *erit vas in honorem, sanctificatum, utile Domino, ad omne opus bonum paratum.* [71] Ideo mundavit Deus Ecclesiam suam *per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti..., ut iustificati gratia ipsius heredes simus secundum spem vitae aeternae;* [72] nam qui iustificatus gratia non fuerit, non erit heres. Cum enim lotus fuit Christus in Iordane, aperti sunt coeli, quia nonnisi mundis, qui *templum sunt Spiritus Sancti,* [73] patet ianua regni coelestis. Hinc per Isaiam ait: *Lavamini, mundi estote.* [74]

quia nonnisi mundis, idest sanctis, patet ianua regni coelestis.

V. Sed a quibus immunditiis purgat hodie templum Domini Christus? Ezechias emundavit templum ab immunditiis idololatriae; [75] idem praestitit sanctissimus rex Iosias; [76] Christus autem ab avaritia, quae *idolorum est servitus: Invenit,* inquit, *in templo vendentes oves et boves et columbas et nummularios sedentes. Et, cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oves quoque et boves et nummulariorum effudit aes et mensas subvertit,* dicens: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* [77] Avaritiam insectatur hodie Christus et de templo eam eicit, quoniam haec est adoratio vituli aurei in deserto, [78] vitulorum aureorum in regno Israel, [79] statuae aureae in Babylone. [80] Hanc Deus summe odit, quoniam vere *est idolorum servitus,* ita ut homo pluris quam Deum pecuniam faciat. Iacob patriarcha iturus ad adorandum Deum in Bethel, prius emundavit filios suos ab idolis, quae, terra alte effossa, profundo loco sepelivit. [81]

Immunditia avaritiae fugienda est, quam Deus maxime odit, quia vera idololatria est,

Odit avaritiam Deus, quoniam ipsa vere est, ut Apostolus ait, *radix... omnium malorum, quam,* inquit, *quidam appetentes erraverunt a fide et inseruerunt se doloribus multis.* [82] Odit avaritiam, quoniam: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum et in desideria... inutilia et nociva, quae mergunt hominem in*

et *radix omnium malorum,* quae religionem funditus evertit

71) 2 Tim 2, 21. 72) Tit 3, 5-7. 73) 1 Cor 6, 19. 74) 1, 16. 75) Cf. 4 Rg 18, 4; 2 Par 29, 3-5. 16-19. 76) Cf. 4 Rg 23, 4-14; 2 Par 34, 3-4. 77) Lc 2, 14-16. Vulg.: *Vendentes boves et oves,* etc. 78) Cf. Ex 32, 2-6; Dt 9, 16. 79) Cf. 3 Rg 12, 28-32; 4 Rg 10, 29; 17, 16; 2 Par 11, 15; 13, 8; Tob 1, 5; Os 13, 2. 80) Cf. Dn 3, 1 sqq. 81) Cf. Gn 35, 1-4. 82) 1 Tim 6, 10.

interitum et perditionem.[83] Odit avaritiam, quoniam ipsa divinam religionem contemnit, violat, funditus evertit et animas in aeternum perdit. Primus reproborum Cain propter avaritiam periit; haec filios Heli sacerdotis perdidit[84] et filios Samuelis,[85] quoniam post avaritiam abierunt; propter hanc periit Achan cum familia sua, quoniam vestem coccineam, ducentos siclos et auream regulam tulit de anathemate Iericho;[86] haec perdidit Iudam, quem ex apostolo Christi ministrum satanae et proditorem Christi effecit;[87] haec ignis alienus est, quo duo filii Aaron consumpti fuerunt;[88] haec in inferno aeternum ardebit: *Ite, maledicti, in ignem aeternum... Esurivi enim et non dedistis mihi manducare;*[89] *Ignis in domo impii thesaurus iniquitatis.*[90]

et animas in aeternum perdit,

Ad hanc vel maxime destruendam venit Christus in mundum, contra eam doctrina et exemplis vitae instructus, sicut descendit Moyses de cacumine montis, ubi cum Deo conversabatur, ad destruendum aureum vitulum, quem in pulverem redegit et in aquas proiecit.[91] Odit avaritiam Dominus; hinc, postquam populus idololatriae peccatum commisit aureum vitulum adorans, tulit Moyses tabernaculum Domini de medio populi et posuit extra castra longe a populo,[92] quoniam qui avaritiae inserviunt indigni sunt gratiae Dei, Deum ipsum amittunt. Arca Dei nullo modo manere voluit cum Dagone, deo Philisthaeorum, uno in templo, uno in altari;[93] nec gratia Spiritus Sancti manere potest in corde avaritiae dedito. Nam haec idolum Philisthaeorum est, pulverulentorum hominum, qui terrena sapiunt.

Ad eam vel maxime destruendam Christus venit in mundum,

Aurum et argentum avaritiae odit Dominus; hinc apud D a n i e l e m descendit lapis de monte et statuam ex auro et argento factam contrivit atque in pulverem redegit.[94] Lapis autem ille Christus erat, ut idemmet D a n i e l interpretatus fuit.[95] Sic venit Dominus ad perdendam avaritiam, maxime in Ecclesia sua, ut non esset *mercator... in domo Domini.*[96] D i v u s P a u l u s mundanas divitias arbitrabatur vilissimas terrae feces et stercora,[97] quoniam aurum et argentum, quae mundus tanti facit, si avaritiae serviant,

ideo hanc summopere odit Christus in Ecclesia sua

83) Ibid. vr. 9. 84) Cf. 1 Rg 2, 12-17. 85) Cf. ibid. 8, 1-3. 86) Cf. Ios 7, 18 sqq. 87) Cf. Mt 26, 14-15; Mc 14, 10-11; Io 12, 6. 88) Cf. Lv 10, 12. 89) Mt 25, 41-42. Vulg.: *Discedite a me, maledicti,* etc. 90) Mich 6, 10. Vulg.: *Thesauri iniquitatis.* 91) Cf. Ex 32, 7-20. 92) Cf. ibid. 33, 7. 93) Cf. 1 Rg 5, 2-8. 94) Cf. 2, 31-35. 95) Cf. ibid. vrr. 44-45. 96) Zach 14, 21. 97) Cf. Phil 3, 8.

in oculis Domini foedissimae immunditiae sunt. Avaritia satanae alchimia est, quae argentum et aurum in oculis Domini convertit in lutum, in stercus. Ideo hodie Christus ab his immunditiis templum purificavit.

et in singulis fidelibus, quia gratia Dei in corde avaritiae dedito manere non potest.

Quoniam vero etiam cor nostrum templum Dei vivi est et Spiritus Sancti, [98] docet Dominus quid in primis agendum nobis sit, ut ab omnibus immunditiis cor et conscientiam nostram emundemus; peccata nanque et vitia, cogitationes pravae et desideria mala immunditiae sunt in oculis Domini. Maxime vero ab avaritia alienos nos vult, quoniam, inquit: *Nemo potest duobus dominis servire... Non potestis Deo servire et mammonae,* [99] thesaurizare simul in coelo et in terra; quoniam haec ex filiis Dei facit filios satanae, ex templo Spiritus Sancti *speluncam latronum.* [100] O pessimam alchimiam! Sicut mors est, quae pulcherrimum corpus convertit in horribile cadaver; sicut umbra terrae clarum diem convertit in obscuram noctem; sicut peccatum satanae, quod ex pulcherrimo Angelo fecit turpissimum daemonem; sicut peccatum Adami, quod mundum, qui paradisus deliciarum erat, convertit in campum spinarum: *Spinas et tribulos germinabit tibi,* [101] spinas utique, quae suffocant sementem patrisfamilias. [102]

Templum repraesentabat sanctitatem Dei, Christi et Ecclesiae;

VI. *Auferte ista hinc et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Divini huius facinoris in hodierno Evangelio plures assignantur causae, sed tres praecipuae tribus sententiis. Prima est: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis;* secunda est: *Zelus domus tuae comedit me;* [103] tertia: *Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud,* hoc autem dixit *de templo corporis sui.* [104] Templum illud repraesentabat sanctitatem Dei, sanctitatem Ecclesiae sponsae Dei, et sanctitatem Christi Filii Dei. Praestitit hoc facinus Christus hodie tanquam verus Filius Dei, ideo ait: *Nolite facere domum Patris mei.* Ad filium spectat honorem patris tueri et inhonorationem vindicare; quare, quod facio, divina utique auctoritate facio tanquam verus et naturalis Filius Dei; et quoniam, cum domus Patris mei

ideo eiciens inde negotiatores

98) Cf. 1 Cor 3, 16-17; 2 Cor 6, 16. 99) Mt 6, 24; Lc 16, 13. 100) Mt 21, 13; Mc 11, 17; Lc 19, 46. 101) Gn 3, 18. 102) Cf. Mt 13, 7. 22; Mc 4, 7. 18-19; Lc 8, 7. 14. 103) Io 2, 17. Ex Ps 68, 10. 104) Ibid. vrr. 19-21.

Christus vindicavit honorem Patris sui suaeque sponsae et suiipsius,

sit, mea etiam est, nam filius unicus heres est legitimus omnium bonorum patris : *Domum* autem Dei *decet sanctitudo in longitudine dierum,* [105] idest semper. Deinde vero, domus Dei utique Sancta Ecclesia est, sponsa ipsius Dei per fidem : *Desponsabo te mihi in fide.* [106] Non licet autem inhonorare sponsam Dei, sponsam sui principis et regis. Erat etiam templum illud figura et imago ipsius Christi ; opus est autem ut imago similis sit ei cuius est imago. Turpe est autem sui principis imaginem aut statuam inhonorare, signum rebellium est ; rebelles autem graviter puniendi sunt, sicut egit Moyses cum Hebraeis idololatris in deserto. [107]

simul manifestans auctoritatem suam, caritatemque erga Ecclesiam, et propriam sanctitatem;

Movit Christum ad facinus hoc agendum zelus honoris divini, honoris Ecclesiae et honoris proprii, quoniam templum illud imago erat Dei, Ecclesiae et Christi. Aliquando in Sacris Litteris etiam Deus dictus est *templum;* ita Ioannes ait de coelesti Ierusalem : *Templum non vidi in ea; Dominus enim Deus ... templum illius est.* [108] Sic templum erat veluti imago Dei. In prima ratione ostenditur dignitas, divina auctoritas et potestas Christi, quoniam verus et naturalis Filius Dei. In secunda, supernaturalis caritas in Christi humanitate, sicut in Moyse, in Elia ; ardens autem caritas zelus appellatur, veluti ignis hominem consumens et in Deum transformans, ita ut humanitatis omnia pericula contemnat. In tertia tandem ostenditur purissima Christi sanctitas ; nam propter divinam sanctitatem Christus *templum Domini* appellatur, siquidem templum, *sanctuarium,* [109] *domus sanctitatis* [110] et *sanctitas* [111] etiam dicebatur.

synagogam enim deprehendit pecuniam magis quam Deum diligentem.

Ostendit hodie Dominus zelum Dei. Sicut Phinees, qui adulterum una cum adultera zelo Dei armatus suo ense confodit ; [112] ita Christus hodie synagogam in adulterio deprehendit, pecuniam diligentem magis quam Deum ; hinc Iudaeos dixit *generationem malam et adulteram ;* [113] propterea *omnes eiecit de templo ... et nummulariorum effudit aes* [114] – hoc enim erat adulter, – sicut Salomon vindicavit iniurias Davidi patri illatas a Semei [115] et a Ioab, [116] quoniam

105) Ps 92, 5. Sic legitur in *Biblia Lovaniensi* quae usui S. Auctori erat. Cf. ea quae diximus in *Praefatione*. Vulg.: *Longitudinem*. 106) Os 2, 20. 107) Cf. Ex 32, 26 sqq. 108) Apc 21, 22. 109) Cf. Ex 15, 17 ; 1 Par 22, 10 ; 28, 10 ; 2 Par 29, 7. 21 ; Ps 73, 7 ; Thr 2, 20 ; Ez 22, 8. 26. 110) Cf. 1 Par 28, 10 ; 2 Par 36, 17 ; Bar 2, 16. 111) Cf. Ex 30, 10 ; Ps 19 (hebr. 20), 3 ; Ez 48, 10 ; Dn 9, 24 ; 14, 30. 112) Cf. Nm 25, 6-8. 113) Cf. Mt 12, 39 ; 16, 4. 114) Io 2, 15. 115) Cf. 3 Rg 2, 8 sqq. 116) Cf. ibid. vrr. 5-6. 28-35.

filii est vindicare patris iniurias. Ita agit hodie Christus; propterea ait: *Nolite facere domum Patris mei*, etc.

Triplici ex causa Iudaeos ex domo Dei Christus hodie eicit: quia negotiatores, idest cupidos pecuniarum amatores, quia zelum domus Dei non habebant, quia ipsi ex templo Dei ob avaritiam facti erant *synagoga satanae*, [117] templum idolorum, cum avaritia sit *idolorum servitus*. Sic quisquis pecuniam diligit magis quam Deum, qui zelum Dei et salutis suae non habet, qui caritate et spiritu Dei destitutus est, indignus est domo Dei, gratia Dei, gloria Dei.

Christus, qui ad expugnandum mundum inermis venit, contra avaritiam flagellis armari voluit.

VII. *Cum fecisset quasi flagellum.* [118] David contra fortem Goliam inermis descendit in arenam, [119] contra avarum autem Nabal armatus abiit. [120] Venit Christus in mundum ad subiugandum sibi romanum imperium, quod potentissimum erat, et ad hoc venit inermis; venit ad expugnandam et eiciendam avaritiam a domo Dei, et armis et flagellis opus fuit. Et tamen adhuc regnat avaritia in templo Dei, in populo Dei, in Ecclesia fidelium!

ut ostenderet avaritiam causam esse perditionis,

Omnes vendentes et ementes *eiecit de templo*, [121], avaritiae et pecuniarum causa; haec enim divitibus saepe in causa perditionis sunt, sicut capilli Absalom. [122] Funes sunt divitiae de coelo demissae quibus nos Deus in coelum trahat; sed homines avari ex his funibus laqueos sibi faciunt ut, sicut Achitophel [123] et Iudas, [124] seipsos suspendant et male pereant.

et etiam insinuaret non sacrificiis carnalibus sed novo cultu Deum esse colendum.

Omnes eiecit de templo... eo quod ipse nosset omnes, et... non erat ei opus ut quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat quid esset in homine; [125] quare eiecit eos a facie Domini ut vere indignos domo Dei, simulque insinuans quod iam tempus advenerat *quando veri adoratores* adoraturi erant *Patrem in spiritu et veritate*, [126] non iam amplius carnalibus illis sacrificiis ovium, boum et columbarum; sed novo cultu, nova religione, novaeque legis novo sacerdotio novisque sacrificiis colendus adorandusque erat Deus *in spiritu et veritate* cum *spiritus* sit *Deus* [127] et spirituales adoratores quaerat.

117) Apc 2, 9; 3, 9. 118) Io 2, 15. 119) Cf. 1 Rg 17, 40. 120) Cf. ibid. 25, 13. 121) Io 2, 15. 122) Cf. 2 Rg 18, 9. 123) Cf. ibid. 17, 23. 124) Cf. Mt 27, 5; Act 1, 18. 125) Io 2, 25. Vulg.: *Opus ei non erat*, etc. 126) Ibid. 4, 23. 127) Ibid. vr. 24.

ALIA HOMILIA

Cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oves quoque et boves et nummulariorum, etc. [1]

Avari per Chananaeos figurantur; hi enim descendebant a Chanaan, qui patrem contempsit, avari autem amore divitiarum Deum contemnunt;

I. Eicit hodie Dominus impios mercatores [2] de templo, cultores Baal, [3] amatores pecuniarum magis quam Dei, sicut Abraham Dei iussu de domo sua ancillam Agar et filium eius Ismaelem eiecit, [4] quoniam, ut Paulus ait, persequebatur Isaacum, filium promissionis. [5] Eicit avaros mercatores de domo Domini, sicut Iosue eiecit Chananaeos idololatras de terra promissionis, [6] nam Chanaan mercator interpretatur: *Sindonem fecit sibi et vendidit et cingulum tradidit chananaeo*, [7] idest mercatori. Sic apud Prophetam illum: *Chanaan, in manu eius statera dolosa*, [8] idest mercator. Sic igitur Chananaei eiciuntur a terra promissionis iuxta maledictionem Noe: *Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis.* [9] Maledictus ille fuit, quia Noe patrem contempsit. [10] Ita mercator omnis, qui pecuniae causa Deum contemnit, qui pecuniam magis diligit quam Deum, maledictus est, indignus facie Dei, praesentia Dei, domo Dei.

ideo valde difficile est divitem posse salvari, quia divitiae causa sunt avaritiae, quae est venenum caritatis.

Est autem admodum difficile ut mercator Deum, quem non videt, magis diligat quam pecuniam, quam videt. Hinc ait Christus *Nolite thesaurizare vobis... in terra,... sed thesaurizate vobis thesauros in coelo... Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* [11] Deinde subiunxit: *Nemo potest duobus dominis servire... Non potestis Deo servire et pecuniae.* [12] Ita ait quod impossibile est divites intrare in regnum coelorum, [13] quoniam difficile admodum est ut homo dives Deum magis diligat quam divitias, cum tamen homo nobilis et ingenuus longe praeferat honorem divitiis. Ait autem Dominus: *Qui diligit* aliquid *plus quam me, non est me dignus.* [14] Requirit Dominus super omnia creata diligi. Hoc enim est quod ait:

1) Io 2, 15. 2) Ms.: *Mercatore.* 3) Cf. 3 Rg 16, 31-32; 19, 18 sqq.; 4) Cf. Gn 21, 9. 5) Cf. Gal 4, 29-30. 6) Cf. Ios 6, 1-12, 1 sqq. 7) Prv 31, 24. 8) Os 12, 7. 9) Gn 9, 25. 10) Cf. ibid. vr. 22. 11) Mt 6, 19-21. Vulg.: *Thesaurizate autem*, etc. 12) Ibid. vr. 24; Lc 16, 13. Vulg.: *Et mammonae.* 13) Cf. Mt 19, 23-24; Mc 10, 23-25; Lc 18, 24-25. 14) Mt 10, 37. Vulg.: *Qui amat*, etc.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex omnibus viribus tuis.[15] Avaritia autem et cupiditas, de qua Paulus ait quod est *radix... omnium malorum,*[16] venenum est caritatis. Qui autem caritate praeditus non est, indignus est domo Dei. Hinc in die iudicii dicturus est Dominus iis quos a sinistris suis statuet: *Ite, maledicti, in ignem aeternum... Esurivi enim et non dedistis mihi manducare, sitivi et non dedistis mihi bibere.*[17]

Hoc significavit Dominus, eiciens mercatores de templo.

Hac de causa eicit hodie Dominus mercatores de templo, quia, cum templum esset domus orationis, cultus et pietatis erga Deum, ipsi, Deum contemnentes, in templo saecularia negotia gerebant; quare profecto vera erga Deum caritate destitutos ipsos opere se ostendebant: *Auferte ista hinc et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Altera etiam vice, in die palmarum, eiecit Dominus mercatores de templo dicens: *Scriptum est quia domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum;*[18] ubi mercatores furti et latrocinii visus est accusasse.

Non omnino condemnanda mercatura est, quia professio honesta, utilis et necessaria,

II. Nec tamen significare voluit Dominus illicitam omnino esse mercaturam et negotiationem; est enim honesta professio, reipublicae valde utilis et necessaria. Refert Divus Lucas quod, praedicante Ioanne Baptista, accesserunt ad eum publicani, idest mercatores, et dixerunt ei: *Magister, quid faciemus?* Quibus respondit Ioannes: *Nihil* aliud *quam quod constitutum est vobis faciatis.*[19] Non dixit ut relinquerent negotiationem, sed ut iuste eam exercerent, sicut etiam militibus dixit. Nam etiam milites petierunt a Ioanne quid agendum esset illis ut salvarentur. Quibus Ioannes: *Neminem concutiatis aut calumniam faciatis et contenti estote stipendiis vestris.*[20] Non dixit ut relinquerent militiam, sed ut iuste eam exercerent, quoniam militia utilis est et necessaria reipublicae. Sed nil minus mercatura.

quamvis maximis periculis obnoxia;

Est igitur bona et honesta professio, sed tamen multis periculis obnoxia; navigatio est per mare, ubi sunt mille pericula tum manifesta tum occulta; multi enim scopuli et syrtes latent sub aqua,

15) Lc 10, 27. 16) 1 Tim 6, 10. 17) Mt 25, 41-42 Vulg.: *Discedite a me, maledicti... non dedistis mihi potum.* 18) Mt 21, 13; Mc 11, 17; Lc 19, 46. 19) 3, 12-13. 20) Ibid. vr. 14. Vulg.: *Neque calumniam,* etc.

ita ut navis admodum facile naufragium patiatur; quare summa circumspectione opus est. Hoc enim Dominus in parabola seminatoris manifeste docuit, dum ait semen a spinis suffocatum non retulisse fructum. Spinas autem interpretatus est curas et sollicitudines divitiarum.[21] Quare, licet negotiatio iusta honestaque sit et iuste fiat, multis tamen magnisque periculis obnoxia est, nam: *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea.*[22]

reprobatur vero si iniuste vel illicite exerceatur.

Ostendit autem Dominus quod negotiatio duplici titulo illicita atque iniusta esse potest: vel quia iniuste et inique, cum fraude, dolo, iniuria, avaritia et pravo animo exercetur; vel quia loco et tempore illicitis atque prohibitis, ita ut negotiatio possit esse illicita ratione circumstantiarum, loci, temporis et personarum. Nam religiosis viris et sacerdotibus personisque ecclesiasticis interdicta est negotiatio[23] sicut et militia[24]: *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus;*[25] *Non erit mercator in domo Domini.*[26] Odit summopere Deus avaritiam, maxime vero in domo sua, in Sancta Ecclesia.

Omnes templum Dei sumus, quod maximo zelo mundum servare debemus, peccatum et occasionem peccati vitando.

III. Ostendit autem Dominus hodie quomodo oporteat nos Dei zelo armatos templum Dei etiam in nobis ipsis purgare, considerans unusquisque quod templum Dei sit, imago Dei, imago Christi; quod ad veram purgationem requiritur ut non tantum peccata a nobis propellamus, verum etiam occasiones peccati. Hinc Dominus eiecit de templo et mercatores et oves bovesque et omnia quae vendebant; nam si haec reliquisset, illi facile reversi fuissent in templum horum occasione. Sic praecepit Deus Abrahamo: *Eice ancillam et filium eius;*[27] nam si filius domi remansisset, facile reversa fuisset mater occasione filii. Sic voluit ut Hebraei egrederentur ex Aegypto cum omnibus bonis suis,[28] ita ut nihil reliquerint bonorum suorum ibi, ne illorum occasione iterum reverterentur in Aegyptum. Ita igitur

21) Cf. Mt 13, 3-23; Mc 3, 20; Lc 8, 5-15. 22) Eccli 13, 1. Vulg.: *Qui tetigerit*, etc. 23) C. 26, D. LXXXVI; c. 1, 2, 9, 10, D. LXXXVIII; c. 1, 3, 8, C. XIV, q. 4; c. 1, 3, C. XXI, q. 3; c. 15, X, *de electione et electi potestate*, I, 6; c. 15, 16, X, *de vita et honestate clericorum*, III, 1; c. 1, 6, X, *ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant*, III, 50; c. 1, X, *de usuris*, V, 19; c. 1, *de vita et honestate clericorum*, III, 1, in Clem.; Conc. Trident., sess. XXII, *de ref.*, c. 1. 24) C. 5, 6, C. XXIII, q. 8; c. 9, X, *nec clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant*, III, 50; c. 5, X, *de poenis*, V, 37; c. 25, X, *de sententia excommunicationis*, V, 39. 25) 2 Tim 2, 4. 26) Zach 14, 21. 27) Gn 21, 10. 28) Cf. Ex 12, 31-38.

omnis peccati occasio removenda pro viribus est; sed ad hoc zelo opus est, ardenti desiderio honoris divini et salutis nostrae.

Avaritiam odit Dominus, quoniam venenum est caritatis et thesaurus omnis impietatis. Est avaritia sicut lapis asbestinus, de quo naturales dicunt quod ferrugineus lapis est et semel accensus nunquam extinguitur.[29] Sic enim avaritia *ignis* ille est in *Proverbiis* Salomonis, qui *nunquam dicit: sufficit.*[30]

et praesertim avaritiam.

29) Cf. supra, Feria Sexta Cinerum, not. 32, pag. 43. 30) 30, 16.

FERIA TERTIA DOMINICAE QUARTAE QUADRAGESIMAE

Iam die festo mediante, ascendit Iesus in templum et docebat. Et mirabantur Iudaei dicentes. [1]

I. Sicut regina Saba vehementer et supra quam dici potest mirata fuit sapientiam Salomonis plane coelestem et divinam, [2] ita hodie synagoga mirata fuit doctrinam Christi: *Mirabantur Iudaei...: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* [3] Quoniam doctrina Christi vere mirabilis fuit et talis ostenditur in hodierno Evangelio. Mirabilis ab orgine, a subiecto, ab obiecto et tandem ab effectu, praeter quam quod vere a magnitudine etiam supra modum mirabilis fuit, de qua Paulus: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae*[4] Dei; de qua Petrus: *Domine, tu omnia nosti; tu scis quia amo te;* [5] de qua omnis Apostolorum chorus: *Nunc scimus quia scis omnia... In hoc credimus quia a Deo existi.* [6] Aliquando etiam a comparatione ostenditur sapientia Christi mirabilis, sicut in *Apocalypsi* nullus vel hominum vel Angelorum aperire et videre potuit librum secretorum et mysteriorum providentiae et sapientiae Dei, nisi solus Christus; [7] quo ostenditur maior sapientia Christi quam omnium hominum et Angelorum, sicut maior cognitio hominis quam omnium animalium, maior lux solis quam omnium stellarum, maius pretium auri quam omnium metallorum.

Sapientia Christi mirabilis est,

II. Sed in hodierno Evangelio mirabilis ostenditur doctrina Christi, ut diximus, ab origine. Nam ait: *Mea doctrina non est mea,* meo studio et labore comparata, *sed eius, qui misit me. Si quis voluerit voluntatem eius facere,* qui misit me, hic *cognoscet de doctrina*

a) ab origine, quia divinitus infusa;

1) Pericope huius diei Io 7, 14-31. Cf. Missale Rom. 2) Cf. 3 Rg 10, 1-13; 2 Par 9, 1-12. 3) Io 7, 15. 4) Col 2, 3. 5) Io 21, 17. 6) Ibid. 16, 30. 7) Cf. 5, 3-9.

mea utrum ex Deo sit. [8] Doctrina, inquit, est mihi divinitus infusa, sicut doctrina Adami, Iosephi, Moysi, Salomonis, Danielis, Prophetarum, imo ipsorum etiam Angelorum. Sic Isaias de Christo ait: *Requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis.*[9] Scientiam aliqui habent a propria industria, ingenio et labore, alii a doctoribus et magistris comparatam; alii fuere qui artes et scientiam invenerunt, isti qui ab illis didicerunt; alii etiam a daemonibus, ut homines malis artibus induti, ut magi Pharaonis; [10] alii ab Angelis bonis, ut Moyses ab Angelis multa didicit; [11] tandem alii a Deo, ut Prophetae omnes. Sic Christus ait: *Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me,* sicut fuit sapientia Salomonis. [12]

b) a subiecto, quia Christus Filius Dei est;

Deinde, a subiecto et persona. En mirantur Iudaei Christi personam hodie: *Nonne hic est quem quaerunt interficere? . . . Ecce palam loquitur,* idest praedicat docetque in templo, *et nihil ei dicunt. Nunquid vere cognoverunt principes quia hic est Christus?* [13] Christus autem ab Isaia *mirabilis* dicitur: *Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis.* [14]

c) ab obiecto, quod Deus est, prima entium causa;

Tertio, ab obiecto, ex quo vel maxime dependet scientia, nobilitas dignitasque, unde divina philosophia et sacra theologia dicitur domina et regina scientiarum. [15] Obiectum nanque ipsius Deus est, primum ens, prima entium omnium causa, principium unde coelum et natura dependent. Obiectum autem doctrinae Christi Deus est sicut ait: *Est verus qui misit me, quem vos nescitis, ego scio eum;* [16] *et si dixero quia nescio eum, ero similis vobis mendax; sed scio eum,* [17] *quia ab ipso sum et ipse me misit.* [18] *Scio,* ait, *eum,* quia nemo novit Patrem *nisi Filius et cui voluerit Filius revelare.* [19] *Scio eum,* quia *Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* [20] *Scio eum,* cognosco perfecte naturam, virtutes, proprietates, actiones et opera ipsius; novi mentem, consilia et arcana cordis; scio quid possit, quid velit, quid cogitet, quid sciat, quid

8) Io 7, 16-17. 9) 11, 2. 10) Cf. Ex 7, 11. 22; 8, 7. 11) Cf. Act 7, 30-38. 53. 12) Cf. 3 Rg 3, 5-12. 13) Io 7, 25-26. 14) 9, 6. 15) Cf. S. Io. Damascenus *Dialectica*, cp. 2-3, (P. G. 94, 534); Paulus Mannuccius *Apophthegmata*, lib. 3, apoph. 51, pag. 195-196. 16) Io 7, 28-29. 17) Ibid. 8, 55. Vulg.: *Si dixero quia non scio eum,* etc. 18) Ibid. 7, 29. 19) Mt 11, 27. 20) Io 1, 18.

operetur et agat; *scio*, novi *eum*, ita ut nec Angeli, Cherubim, Seraphim sic Deum noverint. O mirabilem scientiam!

quo vero excellentius est obiectum, eo excellentiorem ipsam scientiam necesse est esse;

Magna est scientia praeditus homo philosophus, qui solius hominis naturam perfecte cognosceret intrinsecus et extrinsecus, quoad animam et corpus; nam circa hominem versatur magna pars naturalis philosophiae, scientia de anima, medicina, chirurgia, universa moralis philosophia, artes liberales, ipsae etiam mechanicae. Ad cognoscendas vires humani ingenii multo maiori scientia praeditus esset qui exactam perfectamque cognitionem haberet totius universalis naturae, qui naturales formas, vires, proprietates, actiones cognosceret stellarum, coelorum, elementorum, lapidum, metallorum, plantarum, animalium, ipsorum etiam supercoelestium Angelorum. Sed maxima theologus qui Deum perfecte cognosceret, universam ipsius naturam, vires, actiones.

Deus autem ens infinitum, ut perfecte cognoscatur scientia infinita requiritur, qualis fuit scientia Christi;

Deus nanque infinitis partibus mundo maior est, quam mundus hic magnus uno tantum homine; magnus adeo, ut nec omnes simul Angeli possint magnitudinem eius comprehendere, sicut nec omnes homines coelum totum videre. Vident Angeli Deum sicut nos coelum videmus, sed non totum. Latet nos maior pars coeli, latet maxima stellarum multitudo, latet totum coelum empyreum; ita Angelos latet infinita Divinitatis virtus et magnitudo, licet Deum vere videant.[21] Christus autem ait simpliciter, absolute: *Scio eum, quia ab ipso sum*, sicut radius a sole, rivulus a fonte, filius a patre, *et ipse me misit*, nam: *Exivi a Patre et veni in mundum.*[22] Sic mirabilis est Christi sapientia et doctrina ab obiecto.

d) ab effectu, qui est mundi conversio;

Ab effectu etiam, quoniam Christi doctrina *de turba... multi crediderunt in eum.*[23] En effectus doctrinae Christi. Dedit Deus Moysi supernaturalem scientiam et doctrinam ad docendos Hebraeos eosque persuadendos ut ex Aegypto egrederentur; effectus autem doctrinae illius fuit mirabilis eductio populi ex *fornace* illa *ferrea*, ut Scriptura loquitur.[24] Dedit Ioseph in Aegypto mirabilem scientiam interpretandi divina mysteria; effectus illius fuit mirabilis salus mundi.[25] Sic effectus doctrinae Christi: *Multi crediderunt in eum.* Effectus

21) Cf. Mt 18, 10. 22) Io 16, 28. 23) Ibid. 7, 31. 24) Dt 4, 20.
25) Cf. Gn 41, 1 sqq.

huius doctrinae est conversio mundi, universa Ecclesia Sancta Dei, multitudo fidelium. Quis mirabilem hunc non videt effectum?

c) ab adiunctis, idest vitae sanctitate, quae doctrinam comitabatur,

Verum enimvero, ostenditur etiam mirabilis doctrina Christi ab a d i u n c t i s : a vitae sanctitate et a miraculis. Nam de vitae sanctitate ait: *Qui... quaerit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est et iniustitia in eo non est.* [26] Sic enim Deus in Prophetis coelestem doctrinam cum divina sanctitate coniunxit, ut in Ioseph, in Moyse, in Elia, in Eliseo, in Ieremia, in Ioanne Baptista, in Apostolis manifestum est. Sic I o a n n e s cum gratia Christi doctrinam coniunxit: *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis.* [27] Sic L u c a s de Christo ait quod: *Proficiebat aetate et sapientia et gratia apud Deum et homines.* [28] Sic in paradiso simul erant arbor vitae et arbor scientiae; [29] in templo Domini, candelabrum et mensa panum; [30] cherubim erant in sancto sanctorum, plenitudo scientiae cum maxima sanctitate, tabulae Legis in arca deaurata intus et foris, [30*] doctrina cum caritate. Hinc Salomon dictus fuit *Ecclesiastes* [31] et *dilectus Domini.* [32] Propterea Dominus Salomonem cum Iona in seipso coniunxit dicens: *Ecce plus quam Ionas hic... Ecce plus quam Salomon hic,* [33] quia Messias futurus erat sanctior Iona et sapientior Salomone. Haec duo apud I e r e m i a m Deus in Christo coniunxit dicens: *Suscitabo David* regem *germen iustum; et regnabit rex et sapiens erit, et faciet iudicium et iustitiam in terra.* [34] Sic apud I s a i a m: *Erit iustitia cingulum lumborum eius, et fides cinctorium renum eius;* [35] coniunxit fidem et iustitiam, sanctitatem vitae et sanam doctrinam.

zelo divini honoris et operatione miraculorum.

Aliud autem adiunctum est una cum vitae sanctitate zelus divini honoris: *Nonne Moyses dedit vobis legem et nemo ex vobis facit legem? Quid me quaeritis interficere?... Nolite iudicare secundum faciem, sed rectum iudicium iudicate.* [36] Arguit eorum vitia et peccata, sicut Elias ex ardenti zelo divini honoris. [37] Item et aliud adiunctum:

26) Io 7, 18. 27) 1, 14. 28) 2, 52. 29) Cf. Gn 2, 9. 30) Cf. 3 Rg 7, 1-8, 1-9; 2 Par 3, 8-5, 1-10. 30*) Cf. Ex 24, 11-21; 40, 18; 3 Rg 8, 9. 31) Eccle 1, 1-2. Hebraico קֹהֶלֶת, quod est graece Ecclesiastes, latine Concionator. Rupertus Abbas: « Graece Ecclesiastes appellatur qui coetum, idest ecclesiam, congregat, quem nos nuncupare possumus concionatorem, quod ad populum loquatur, cuius sermo non specialiter ad unum, sed generaliter ad universos dirigatur ». *Comment. in Ecclesiasten*, cp. 1, (P. L. 168, 1197). Cf. supra, Feria Tertia Dom. Primae Quadr., not. 69*, pag. 81. 32) 2 Rg 12, 25, hebr. יְדִידְיָהּ: *Amabilis Domino.* 33) Mt 12, 41-42; Lc 11, 31-32. 34) 23, 5. 35) 11, 5. 36) Io 7, 19-24. Vulg.: *Iustum iudicium*, etc. 37) Cf. 3 Rg 18, 17-21, 1 sqq.

operatio miraculorum: *Unum opus feci, et omnes miramini... quia,* inquit, *totum hominem sanum feci in sabbato.* [38] Sic etiam ait quod *de turba... multi crediderunt in eum, et dicebant: Christus, cum venerit, nunquid plura signa faciet, quam quae hic facit?* Non enim solum docebat Christus, sed etiam divinis signis et miraculis doctrinam suam confirmabat, sicut Moyses in Aegypto, sicut Elias et Eliseus in terra Israel. Moysi enim simul dixit Deus: *Ego ero* tecum *in ore tuo et docebo te quid loquaris,* [39] et: *Virgam hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.* [39a]

III. Praeter haec autem ostenditur veluti causa et finis, ad quid Deus tali tantaque sapientia Christum repleverit, nam a fine pendet ratio mediorum; alioquin, ut Thomas ait: *Nescimus quo vadis, et quomodo possumus viam scire?* [40] Soli Deus magnam lucis copiam largitus fuit, quoniam non sicut luna tenui lumine noctem illuminaturus erat, sed clarum diem, pulsis omnino nocturnis tenebris expulsaque omni obscuritate, facturus erat. Salomoni magnam sapientiam dedit, quoniam supra magnum regnum constituerat eum regem supremumque inter homines iudicem, multas, magnas gravesque causas iudicaturus erat, multas laturus sententias ad dirimendas lites; multa igitur sapientia opus erat, magna prudentia, iudicio et consilio ad talia tantaque et tam multa iudicia exercenda. Christum autem Deus regem universi constituit: *Gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius;* [41] *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra;* [42] Habebat *in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium.* [43]

Deus tanta sapientia Christum replevit, quia eum regem universi constituit

Constitutus a Deo est supremus iudex totius mundi, sicut Petrus praedicat: *Quoniam ipse... constitutus a Deo est iudex vivorum et mortuorum;* [44] in manu ipsius posuit Deus vitam et mortem omnium et temporariam et aeternam. Quanta igitur sapientia opus erat ad dignoscenda secreta omnia conscientiarum cunctorum hominum! Venit in mundum ad arguendos homines de vitiis et peccatis, ad convincendos eos ad agnoscendam veritatem, ad pertrahendos homines

et iudicem totius mundi divinumque magistrum ad docendos indoctos,

38) Io 7, 21-23. 39) Ex 4, 12. Vulg.: *Doceboque te*, etc. 39a) Ibid. vr. 17. 40) Io 14, 5. 41) Ps 8, 6-8. 42) Mt 28, 18. 43) Apc 19, 16. 44) Act 10, 42. Vulg.: *Quia ipse... constitutus est a Deo*, etc.

ad fidem, ad docendam divinam philosophiam, ut homines Deum cognoscerent, diligerent, colerent ex toto corde *in spiritu et veritate.* [45] Hoc enim quod docebat in templo : doctrinam sanctam, divinam ut theologus, ut propheta, ut divinus magister. Ad divina autem capienda homines rudes admodum et inepti esse videntur ; optimo magistro opus erat.

ad arguendos etiam et convincendos animos protervos.

Nec tantum docet Christus, verum etiam arguit, reprehendit : *Nonne Moyses dedit vobis legem et nemo ex vobis facit legem ? Quid me quaeritis interficere ?* Convincit etiam audientes : *Mirabantur,* idest scandalizabantur, *Iudaei* quod Christus in sabbato miracula faciebat ; [46] hinc, quia caecum natum sabbato illuminavit, dicebant : *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit;* [47] hinc, cum in die sabbati curasset languidum in piscina, scandalizati fuerunt de eo : *Propterea,* inquit, *persequebantur eum Iudaei, quia haec faciebat in sabbato.* [48] Ad miraculum illud hodie alludens ait : *Unum opus feci et omnes miramini . . . Mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato.* [49] O perversos animos et iudicia vere praepostera ac vertiginosa ! Convicit omnes Christus dicens : Nonne *Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus, et in sabbato circumciditis hominem ? Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi, mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato ?* [50] Si, inquit, ex vestra sententia nihil omnino ad gloriam Dei et salutem hominum spectans agere licet : ergo nec hominem in sabbato circumcidere, nec, ut alibi ad hoc ipsum concludendum argumentatus fuit, nec sacrificia Deo offerre liceret in templo. [51] Sed licet circumcidere, *ut non solvatur lex Moysi:* ergo licet bene operari pro salute hominis. *Mihi* ergo quid *indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato?* Ah, inquit : *Nolite secundum faciem iudicare, sed rectum iudicium iudicate.* Videtis quomodo premit, quomodo urget, quomodo concludit et convincit. Ad convincendos autem, maxime homines protervos, obstinatos, *durae cervicis,* [52] quales natura esse solebant Iudaei, magna sapientia, magna doctrina opus erat.

45) Io 4, 23-24. 46) Cf. Mt 12, 9-14 ; Mc 3, 1-6 ; Lc 13, 10-17 ; 14, 1-5. 47) Io 9, 16. 48) Ibid. 5, 16. Vulg. : *Persequebantur Iudaei Iesum,* etc. 49) Ibid. 7, 21-23. 50) Ibid. vrr. 22-23. 51) Cf. Mt 12, 5. 52) Ex 32, 9 ; 33, 3. 5 ; 34, 9.

IV. Multos autem Christus non convicit solum, sed etiam persuasit: *De turba... multi crediderunt in eum.* Efficax fuit et utilis doctrina Christi, sicut pluvia cadens de coelo in terram bonam. Hinc Moyses doctrinam suam, quoniam supernaturalis erat, coelestis et divina, pluviae comparavit: *Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam et quasi stillae super gramina.* [53] Ubi insinuasse visus est duo esse genera doctrinae: alterum quidem humanum et naturale, alterum vero supernaturale et divinum, qualis est prophetia; sicut in principio Sacrae *Geneseos* docuerat duplex aquarum genus: supercoelestium et subcoelestium, inter quas medium est firmamentum. [54] Doctrina autem Christi utilis fuit sicut Moysi doctrina. Hinc per Isaiam ait: *Quomodo descendit imber et nix de coelo et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram... et germinare eam facit et dat semen serenti et panem comedenti; sic erit verbum meum quod egreditur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecunque volui et prosperabitur in his ad quae misi illud.* [55] Ecce fructus doctrinae Christi: *De turba... multi crediderunt in eum,* susceperunt doctrinam et fidem Christi.

Doctrina Christi fuit utilissima et efficax,

Efficax et utilis erat doctrina Christi, quoniam supercoelestis et divina. Christus enim coelestis, imo supercoelestis et superangelicus homo est ac verus Deus, *qui sedet super Cherubim,* [56] super Angelos scientia plenos. Sicut enim corpora universi quo altiora a terra sunt, eo sunt etiam clariora et puriora, sic in intellectualibus substantiis quo elevatiores sunt a corporali substantia, quo Deo viciniores, eo sunt scientia pleniores. Christus autem super omnes Angelos Deus et homo est.

quia prorsus divina,

Efficax etiam erat praedicatio Christi, quia in templo, in domo orationis et post multam orationem praedicabat; nanque: *Erat pernoctans in oratione Dei.* [57] Mittens Deus Ieremiam ad praedicandum, prius misit eum in domum figuli, primo quidem, ut doceret eum quod homo est in manu Dei sicut lutum in manu figuli; secundo, ut ipse Ieremias videret suis oculis quod, sicut vasa figulina inepta sunt ad opus, nisi igne bene concocta sint in fornace, sic verba praedicationis inutilia et inefficacia sunt, nisi ad fornacem divinae caritatis

qui praedicabat post multam orationem, sine qua praedicatio inefficax est;

53) Dt 32, 2. 54) Cf. 1, 6-7. 55) 55, 10-11. 56) Ps 98, 1. 57) Lc 6, 12.

concocta sint in oratione, [58] nam : *In meditatione mea exardescet ignis.* [59] Oratio nanque veluti anima est praedicationis, vel sicut in bellicis tormentis globus ferreus, sine quo strepitum quidem reddit tormentum, dato igne, sed inane.

nam oratio est quae animum accendit, ut fervens sit praedicatio,

Apostolis Christus Spiritum Sanctum misit in igneis linguis ; [60] in oratione hic viget ignis, ibi accenditur animus ut fervens sit praedicatio. Hinc Apostoli dixerunt : *Nos autem orationi et ministerio verbi instantes erimus.* [61] Sic Gedeon ad pugnandum abiit contra Madianitas armatus tuba et igne in lagena, et his armis milites etiam suos armavit. [62] Per tubam praedicatio designatur, per ignem ardor caritatis in corde. [63] Sic sacerdotes tubarum sonitu corruere fecerunt muros Iericho, sed habebant secum arcam testamenti. [64] Sic Christus apud I s a i a m dicitur *splendor* et *lampas: Donec egrediatur ut splendor Iustus eius, et Salvator eius ut lampas accendatur.* [65] Splendor quidem doctrinam coelestem designat, lampas autem accensa ardentem caritatem. Hac de causa Ioannes, insignis verbi Dei praedicator, dictus est a Christo: *Lucerna ardens et lucens:* [66] *ardens* caritate, *lucens* doctrina. Ideo Apostoli dicti sunt a Domino : *Sal terrae* et *lux mundi,* [67] *sal terrae* propter bonitatem vitae, nam : *Si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet;* [68] *lux* autem *mundi* propter veritatem doctrinae.

et hac de causa Christus dictus est *splendor* ob doctrinam, et *lampas* ob ardentem caritatem.

Hominibus necessarius erat divinus magister, quia cognitio rerum supernaturalium necessaria est ad salutem.

V. Quoniam autem magna pars humanae animae perfectionis in lumine intellectus, in scientia et cognitione consistit – nam quid est homo sine cognitione, sine scientia aliqua? Liber sine litteris, miles sine armis, navis sine nauta, coelum sine luce, corpus sine anima, – cognitio autem Dei et supernaturalium rerum supra modum necessaria est, propterea Deus misit semper Prophetas sanctos et doctores fidei ac tandem unigenitum Filium suum, magistrum vitae, habentem *verba vitae aeternae,* [69] ut essemus omnes edocti a Deo. [70] Summo-

58) Cf. Ier 18, 2-6. 59) Ps 38, 4. 60) Cf. Act 2, 1-4. 61) Ibid. 6, 4. 62) Cf. Idc 7, 16-19. 63) Cf. Origenes *Hom. 8 in Lib. Iudicum,* (P. G. 12, 989-990); Theodoretus *Quaest. in Lib. Iudicum,* cp. 16, ibid. 80, 503 ; S. Gregorius M. *Moral.,* lib. 30, cp. 25, (P. L. 76, 566-568); S. Beda *Quaest. super Lib. Iudicum,* cp. 5, ibid. 93, 426 ; Rabanus Maurus *Comment. in Lib. Iudicum,* cp. 5, ibid. 108, 1164-1165. 64) Cf. Ios 6, 6-20. 65) 62, 1. 66) Io 5, 35. 67) Mt 5, 13-14. 68) Ibid. 69) Io 6, 69. 70) Cf. Is 54, 13.

pere enim nos doctos et sapientes desiderat, sicut pater optimus dilectissimos filios: *Utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent!* [71]

Ignorantia nanque, maxime divinarum rerum, summorum in causa malorum est. Hinc apud Oseam legimus: *Non est scientia Dei in terra; maledictum et mendacium et adulterium et furtum et homicidium inundaverunt.* [72] Per Isaiam Deus ait: *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam... nobiles eius interierunt fame et multitudo eius siti exaruit. Propterea dilatavit infernus os suum absque ullo termino.* [73] Hinc legimus quod leones devorabant in terra Israel eos qui ignorabant ritum Dei terrae illius.[74] Multi autem, cum quae Dei sunt vere ignorent, scire tamen se arbitrantur, sicut in hodierno Evangelio: *Nunquid vere cognoverunt principes quia hic est Christus? Sed hunc scimus unde sit; Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit.* [75] Quibus Dominus *Et me scitis, et unde sim scitis,... sed est verus qui misit me, quem vos nescitis.* [76] Sic Paulus ait: *Ignorantiam... Dei quidam habent;* [77] sic item quod multi *confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* [78] Damnatur quam maxime ignorantia haec in Sacris Litteris. Unde Paulus: *Ignorans ignorabitur;* [79] *Amen dico vobis, nescio vos;* [80] *Ubi non est scientia animae, non est bonum,* inquit Sapiens in *Proverbiis.* [81]

dum earum ignorantia causa est summorum malorum.

VI. *Ascendit Iesus in templum et docebat, vir* utique *pauper et sapiens,* qui parvam civitatem tuetur et servat a potentissimo rege, ut *Ecclesiastes* ait. [82] Parva civitas Ecclesia, cui ait: *Nolite timere pusillus grex.* [83] Christus homo *pauper: Ecce Rex tuus venit tibi iustus et salvator, ipse pauper,* [84] sed vir *sapiens;* quia *pauper,* contemptus a multis est; at vero, quia *sapiens* et vere divina sapientia plenus, *multi crediderunt in eum.*

Christus pauper apparuit, sed plenus sapientia;

Calumniabantur Iudaei tum vitam tum doctrinam Christi. Vitam: *Ecce homo vorax et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus.* [85] Sed specialiter legis transgressorem existimabant, quia miracula operabatur in sabbato. Nam, quia caecum a nativitate illuminavit in sab-

Iudaei autem calumniabantur tum vitam tum doctrinam eius;

71) Dt 32, 29. 72) 4, 1-2. Vulg.: *Mendacium et homicidium et furtum et adulterium,* etc. 73) 5, 13-14. 74) Cf. 4 Rg 17, 26-27. 75) Io 7, 26-27. 76) Ibid. vr. 28. 77) 1 Cor 15, 34. 78) Tit 1, 16. 79) 1 Cor 14, 38. Vulg.: *Si quis ignorat,* etc. 80) Mt 25, 12. 81) 19, 2. 82) Cf. 9, 15. 83) Lc 12, 32. 84) Zach 9, 9. 85) Mt 11, 19.

bato, ut cras videbimus, dicebant: *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit.* [86] Item, quia languidum in piscina curavit in sabbato, *propterea*, inquit, *persequebantur eum Iudaei, quia haec faciebat in sabbato.* [87] Et hodie ait: *Unum opus feci, et omnes miramini... quia totum hominem sanum feci in sabbato; miramini*, inquit, idest scandalizamini. Doctrinam etiam calumniabantur, quoniam eum *seductorem* appellabant, [88] idest errorum ac falsae doctrinae disseminatorem.

sed contra utranque calumniam Christus ostenditur iustissimus et sanctissimus, sublimior ipsis Angelis, qualis a Prophetis praedictus fuerat.

In hodierno autem Evangelio contra utranque calumniam ostenditur tum vitae sanctitas tum veritas doctrinae Christi Domini. Nam iuxta vaticinium Ieremiae [89] Christus futurus erat iustus et sapiens: *Suscitabo David germen iustum et regnabit rex et sapiens erit.* [90] Et apud Isaiam: *Iustificabit ipse iustus servus meus in scientia sua multos.* [91] Hic enim fuit effectus scientiae et doctrinae Christi eiusque praedicationis. *Iustificabit ipse iustus servus meus multos:* de Christo loquitur, de quo paulo superius dixerat: *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur... elevabitur et sublimis erit valde;* [92] quoniam Christus tum in sanctitate tum in doctrina et scientia sublimior futurus erat hominibus, sublimior Angelis, par et aequalis vivo et vero Deo; propterea dicitur: *Exaltabitur, elevabitur et sublimis erit valde: exaltabitur* super homines, *elevabitur* super Angelos, *sublimis erit valde*, aequalis Deo, quem Isaias vidit *sedentem super solium excelsum et elevatum*, quem Seraphim glorificabant trisagium canentes: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus... exercituum: plena est omnis terra gloria eius.* [93]

Christus omnia divina mysteria cognoscebat et docebat.

Ascendit in templum et docebat, utique sacram theologiam ut summus theologus; praedicabat mysterium Divinae Trinitatis, mysteria divinae potentiae, sapientiae, bonitatis, misericordiae, iustitiae, caritatis, gloriae et maiestatis infinitae; praedicabat opera Dei, mundi creationem et regimen divinamque providentiam, mundi redemptionem et Incarnationis mysterium, beatitudinem hominis, gloriam coeli aeternamque felicitatem et vitam; quod mundus, quod Ecclesia, quod paradisus Dei sunt opera. Haec enim sacra theologia docet.

86) Io 9, 16. 87) Ibid. 5, 16. 88) Cf. Mt 27, 63; Io 7, 12. 89) Ms.: *Isaiae*, loco: *Ieremiae*. 90) 23, 5. 91) 53, 11. Vulg.: *In scientia sua iustificabitur ipse iustus, servus meus multos.* 92) Ibid. 52, 13. 93) 6, 1-3.

ALIA HOMILIA

Ascendit... in templum et docebat. Et mirabantur Iudaei...: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? [1]

Ostenditur sanctitas vitae et veritas doctrinae Christi, quae per duas gemmas *Rationalis* summi pontificis figurabantur.

I. Mirabilis doctor et divini verbi praedicator ostenditur in hodierno Evangelio Salvator, tum sanctitate vitae tum veritate et copia doctrinae. Duo enim haec ostenduntur de Christo: sanctitas vitae et veritas doctrinae, sicut in Sacris Litteris duo haec ostenduntur de Moyse, principe Prophetarum: sanctitas vitae, quoniam Dei servus erat, nec nisi gloriam et honorem Dei quaerebat; veritas doctrinae, quoniam legem doctrinamque tradidit et docuit, quam a Deo accepit. Ita plane de Christo hodie duo haec ostenduntur, cum dicitur: *Qui a semetipso loquitur*, ut falsi prophetae, *gloriam propriam quaerit; qui autem quaerit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est, et iniustitia in eo non est.* [2] *Verax est*, quoad doctrinam; *iniustitia in eo non est*, quoad vitam. Haec sunt mysteria illa הָאוּרִים et הַתֻּמִּים, l u m i n a et p e r f e c t i o n e s, sive integritates, in *Rationali* summi pontificis. [3]

Doctrina Christi verissima erat, quia a Deo.

Ostenditur veritas doctrinae: *Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me,* [4] idest a Deo, sicut sapientia Ioseph, Moysi, Davidis, Salomonis, Danielis, sanctorum Prophetarum. Cum autem a Deo sit, non potest non esse vera; nam Deus summa veritas est, sicut sol summa lux; sicut autem a summa luce non procedit nisi purum et clarum lumen, ita a Deo, summa veritate, nonnisi doctrina vera. Sed sicut ad videndum lumen sanis opus est oculis, et ad gustandos sapores gustu et palato non infecto, ita, inquit Dominus: *Si quis voluerit voluntatem eius facere*, qui misit me, *hic cognoscet de doctrina* mea *utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar,* [5] sicut falsi prophetae non Dei spiritu afflati, sed ex proprio capite loquebantur; ideo non veraces, sed mendaces erant, nec Dei gloriam, sed propria commoda quaerebant.

1) Io 7, 14-15. 2) Ibid. vr. 18. Vulg.: *In illo non est.* 3) Cf. Ex 28, 30. Ms.: *Urim et Tumim.* 4) Io 7, 16. 5) Ibid. vr. 17.

sicut et eius sanctitas perfectissima.

Quoad vitae autem sanctitatem ait: *Qui quaerit gloriam eius, qui misit eum,* idest gloriam Dei, *hic verax est et iniustitia in eo non est.* Sic Dominus ut vere religiosus et pius Dei cultor ascendit ad diem festum a Galilaea in Iudaeam, in Ierusalem, civitatem sanctam, ascendit in templum ut oraret et praedicaret, ad promovendam gloriam Dei et salutem animarum.

Doctrina Christi mirabilis etiam erat et ineffabilis,

II. Ostenditur autem Christi doctrina non tantum vera, sed etiam mirabilis, sicut sapientia Salomonis: [6] *Ascendit in templum et docebat et mirabantur Iudaei;* mirabantur doctrinam Christi, quoniam vere mirabilis erat; nec tamen dicit Evangelista quidnam docuerit, sed tantum quod *docebat.* Sic loqui solet Divina Scriptura de rebus ineffabilibus, sicut: *Ego sum qui sum;* [7] nec tamen dicitur quidnam sit Deus; sicut: *Dicite iusto quoniam bene:* אִמְרוּ צַדִּיק כִּי־טוֹב: [8] *Dicite iusto quoniam bonum;* sic loquitur de praemio et corona virtutis, nec dicitur quale aut quantum sit, sed tantum *quoniam bonum.* Profecto sic loquitur Divina Scriptura, quoniam Divina Natura omnino est ineffabilis. Similiter gloria paradisi. Ita nunc ait: *Ascendit in templum et docebat.* Quid *docebat?* Explicari non potest. Ita alibi ipse I o a n n e s: *Sic... Deus dilexit mundum.* [9] Quomodo? *Sic,* dici non potest. Ita: *Si scires donum Dei.*[10] Quale *donum? Donum Dei,* ineffabile. Tantum dicit quod *docebat* doctrinam Dei, totam coelestem et divinam; docebat quae didicerat, non ab hominibus, non ab Angelis, sicut Hebraei dicunt quod Moyses edoctus fuit ab Angelo Metatron, [11] sed ab ipso Deo: *Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me.* Quisque docet quae novit et didicit, uti videmus in publicis gymnasiis: hic docet grammaticam et humanitatem, ille rhetoricam, alius logicam, alius mathematicas disciplinas, alius philosophiam, alius metaphysicam, alius medicinam, alius leges et canones, alius sacram theologiam. Christus omnia novit: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* [12] Dei; *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei!* [13] *Christum Dei virtutem et Dei*

quia Christus Dei sapientia erat, sublimior ipsis Angelis,

6) Cf. 3 Rg 3, 12-28. 7) Ex 3, 14. 8) Is 3, 10. Ms.: *Imru hezadik chi thob.* 9) 3, 16. 10) Ibid. 4, 10. 11) Cf. *Talmud, Sanhedrin,* f. 38b; Io. Reuchlinus Phonensis *De Arte Caballistica,* lib. 1, pag. 741. 12) Col 2, 3. 13) Rom 11, 33.

sapientiam.[14] Ipse sol plenus luce, ipse vas plenum manna,[15] ipse arca cum tabulis Legis,[16] ipse aureum candelabrum cum septem lucernis,[17] ipse thesaurus sapientiae, ipse qui docuit homines, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, theologos et sapientes omnes, imo qui docuit omnes Angelos scientiam.[18] Hinc cherubim in sancto sanctorum in similitudinem puerorum effecti atque formati erant,[19] ut sciamus quod sublimes Angeli, in quibus est omnis scientiae plenitudo, Dei comparatione tanquam pueruli sunt qui vix primas litteras didicerunt. Sic sunt omnes Angeli coram Christo sicut stellae coeli coram sole, nullius splendoris; nocte quidem splendent, die vero minime, orto enim sole, amittunt omnem splendorem.

et omnia mysteria noverat quae neque Angeli nosse possunt;

Quamvis autem doctrina Christi sit incomprehensibilis et ineffabilis, docebat tamen quae noverat. Ait autem hodie : *Et me scitis, et unde sim scitis... sed est verus qui misit me, quem vos nescitis. Ego scio eum, quia ab ipso sum et ipse me misit.*[20] Solus enim Christus dicere potest : Ego scio Deum, nam ait : *Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius et cui voluerit Filius revelare.*[21] Omnibus hominibus et etiam Angelis, qui *semper vident faciem*[22] Dei dicere potest Christus : *Est verus qui misit me, quem vos nescitis.* Vident nanque Angeli Deum, sed tamen non capiunt, nec comprehendunt magnitudinem Dei ; sicut nos videmus coelum, non tamen scimus qualis et quanta sit magnitudo coeli, et multa nos latent quae in coelo sunt ; ita Angelos multa latent Divinitatis mysteria. Solus Christus omnia novit ;[23] sic ait : *Ego scio eum, quia ab ipso sum, et ipse me misit.*

omnia autem docebat quae ad salutem necessaria erant.

Docebat Christus *quinque* illla *verba* P a u l i :[24] quae de Deo credenda sunt, quae speranda ab eo, quae secundum voluntatem eius diligenda sunt, facienda sunt et quae etiam fugienda sunt. Haec enim quinque docuit M o y s e s ; quae credenda sunt : quod Deus infinitae potentiae mundum creavit ex nihilo et quod providentia sua regit et moderatur omnia ; quod speranda et expectanda erat a Deo terra promissionis omnisque felicitas ; quod diligendus est Deus ex toto

14) 1 Cor 1, 24. 15) Cf. Ex 16, 33 ; Hebr 9, 4. 16) Cf. Ex 25, 16. 21 ; Hebr 9, 4.
17) Cf. Ex 25, 37. 18) Cf. Ps 93, 10. 19) Cf. Ex 37, 7-9 ; 2 Par 3, 10-13.
20) Io 7, 28-29. 21) Mt 11, 27. 22) Ibid. 18, 10. 23) Cf. Io 21, 17.
24) Cf. 1 Cor 14, 19.

corde super omnia; quod colendus Deus, eius et servanda divina lex; quod fugienda idololatria omnisque eius occasio et omnis divinarum legum transgressio. Sic Christus haec docuit.

Templum schola est, ubi Christus docet divinam legem,

III. Ex his autem videtur quisnam sit bonus Christi discipulus in hac templi schola, instar magni magistri divinam legem docentis atque legentis: *Nonne Moyses dedit vobis legem?* [25] Tempus autem lectionis vel maxime dies festus est: *Iam... die festo mediante;* sicut locus scholaque templum, discipuli Iudaei, fructus: *Quia multi crediderunt in eum.* Docebat legem Dei, sicut Moyses splendore divino illustratus, [26] sicut Isaias seraphico ministerio [27] purgatus et ad praedicandum missus, [28] Christus Spiritu Sancto plenus: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me;* [29] sicut Ieremias ad hoc sanctificatus in utero matris et divinitus propheta institutus: [30] *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum.* [31] Praedicat legem Dei quae erat sicut manna; siquidem manna omnes virtute continebat sapores, [32] ita divina lex omnes scientias omnesque disciplinas. In ea vera grammatica, ars recte loquendi; in ea vera rhetorica, ars bene orandi in omni dicendi genere; in ea vera logica, ars syllogizandi, discernendi verum a falso; vera philosophia, scientia naturalium rerum; vera mathematica, scientia recte mensurandi et numerandi; ac tandem vera metaphysica ac supernaturalis theologia. Omnes, inquam, scientias has et disciplinas docet divina lex. Nam *Deus scientiarum Dominus est,* [33] *qui docet hominem scientiam,* [34] qui auctor est intellectus tum humani tum angelici.

quae veram scientiam continet omnibus disciplinis superiorem;

Sciendum autem est quod ad hunc summum magistrum et doctorem spectat dare doctoratus insignia. Ipse enim doctores instituit, Prophetas, Apostolos aliosque Sanctae Ecclesiae magistros. Non dat autem insignia et honorem dignitatemque doctoratus cum privilegio, nisi doctis et iis qui vere digni reperti fuerint in examine. Schola Christi templum est, Sancta Ecclesia est; hic docet Christus. Tempus vitae tempus studendi est, addiscendi, percipiendi doctrinam Christi,

et qui hanc scientiam didicerit veluti doctor habebitur et in tempore examinis dignus erit ut probetur.

25) Io 7, 19. 26) Cf. Ex 34, 29-35. 27) Ms.: *Mysterio.* 28) Cf. Is 6, 6-7.
29) Lc 4, 18. 30) Cf. Ier 1, 4-5. 31) Io 10, 36. 32) Cf. Sap 16, 20.
33) 1 Rg 2, 3. 34) Ps 93, 10.

ad quam percipiendam, ut ipse hodie ait, bonus requiritur animus, bona voluntas, potius quam lepidum ingenium. Tempus autem mortis, tempus examinis est, quod necessario requiritur ad percipienda insignia doctoratus. Paratos nos esse convenit ad hoc examen; sed qui ignorat ipsam etiam grammaticam et prima disciplinarum elementa, quomodo poterit doctorari ? Bone Deus, quot barbarismos loquimur!

FERIA QUARTA DOMINICAE QUARTAE QUADRAGESIMAE

Praeteriens [1] *Iesus vidit hominem caecum a nativitate; et interrogaverunt eum... : Rabbi*, etc. [2]

Magnum miraculum Christus hodie operatur, ut ostenderet divinitatem suam.

I. Magnum miraculum proponitur in hodierno Evangelio, insigne opus, clara demonstratio divinitatis Christi, nam ad ostendendum se verum esse Deum operari voluit Dominus tam illustre miraculum. Cum enim dixisset Iudaeis in templo : *Antequam Abraham fieret, ego sum, tulerunt* illi *lapides,* [3] ut tanquam blasphemum, qui divinitatem sibi arrogabat, lapidarent. Christus autem hodie miraculo comprobat eius, quod dixerat, veritatem. Unde ait: *Me oportet operari opera eius, qui misit me... Quandiu sum in mundo, lux sum mundi.* [4] Caecum autem huiuscemodi illuminare nemo potest, nisi solus Deus. Miraculum autem istud Christus non opus Dei, sed *opera Dei* appellavit: *Ut manifestentur opera Dei in illo;* [5] *Me oportet operari opera eius, qui misit me;* profecto quia plura in homine isto miracula operatus est. Sed duo sunt praecipua : alterum, corporalis illuminatio, alterum vero, spiritualis : *Tu credis in Filium Dei?... Credo, Domine. Et procidens adoravit eum.* [6]

Caecus iste mirabiliter illuminatus figura est hominis christiani,

II. In caeco autem isto mirabiliter illuminato videre mihi videor pulcram vivamque imaginem veri et perfecti christiani hominis. Nam in fine hodierni Evangelii, post caecum spiritu illuminatum, ait Christus: *In iudicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant.* [7] Caecitatem hic Dominus Dei ignorationem et infidelitatem appellat, sicut Paulus: *Caecitas ex parte contingit in Israel;* [8] et item : *Tenebris obcaecatum habentes intellectum;* [9]

1) Ms. : *Praetiens.* 2) Pericope huius diei Io 9, 1-38. Cf. Missale Rom. 3) Ibid. 8, 58-59. 4) Ibid 9, 4-5. 5) Ibid. vr. 3. 6) Ibid. vrr. 35-38. 7) Ibid. vr. 39. Vulg. : *In hunc mundum veni*, etc. 8) Rom 11, 25. Vulg. : *Contigit*, etc. 9) Eph 4, 18. Vulg. : *Tenebris obscuratum*, etc.

et Isaias: *Excaeca cor populi huius.*[10] Moyses item: *Eris manu tentans, sicut palpat caecus in meridie.*[11] Sic nascitur homo caecus in infidelitate, sicut mundus creatus fuit in tenebris.[12] At vero ex bonitate sua Deus non reliquit mundum in tenebris, sed dixit: *Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona.*[13] Sic contigit in hodierno caeco, sic in homine christiano contingit.

qui spiritualiter caecus nascitur et Dei bonitate illuminatur.

Ex caecorum illuminatione praecipue agnoscendus erat Messias, sicut apud Isaiam legimus: *Deus ipse veniet et salvabit nos; tunc aperientur oculi caecorum.*[14] Sicut etiam ipse Dominus Ioanni interroganti: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?*[15] respondit: *Caeci vident, surdi audiunt.*[16] Quod quidem non corporaliter tantum eventurum erat, verum etiam spiritualiter, sicut[17] Isaias ait: *Adhuc in modico et in brevi convertetur Libanus in charmel et charmel in saltum reputabitur. Et audient in die illa surdi verba libri, et de tenebris et caligine oculi caecorum videbunt.*[18] Per caecos autem infideles intelligit ad fidei lumen convertendos. Et alibi: *Educam caecos in viam quam nesciunt, et in semitis quas ignoraverunt, ambulare eos faciam; ponam tenebras coram eis in lucem et prava in recta.*[19] Sic alibi per eum Christus loquitur: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem et caecis visum.*[20] Sic caecus iste a Domino et corporaliter et spiritualiter illuminatus fuit. Sed corporalis illuminatio imago et figura extitit spiritualis illuminationis. Quare egit in homine isto Christus quaecunque in christiano homine per Baptismum in salutem operatur.

Ex caecorum illuminatione agnoscendus erat verus Messias,

III. *Me oportet operari opera eius, qui misit me,* edere opera Divinitatis in mea humanitate latentis, ad illuminandum mundum. Opera quae Deus operatus fuit in mundi creatione, operari videtur Deus in homine christiano in Ecclesia. Primo omnium Deus mundi tenebras illuminavit:[21] en hodie caecus illuminatus. Post lucis crea-

Omnia quae Deus in mundi creatione operatus est, operatur spiritualiter in christiano,

10) 6, 10. 11) Dt 28, 29. Vulg.: *Palpes in meridie sicut palpare solet caecus in tenebris.* 12) Cf. Gn 1, 2. 13) Ibid. vrr. 3-4. 14) 35, 4-5. 15) Mt 11, 3. 16) Ibid. vr. 5. 17) Ms.: *Sicut* bis ponitur. 18) 29, 17. 19) Ibid. 42, 16. 20) Ibid. 61, 1-2. Ex Translat. Septuaginta. Vulg.: *Eo quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde et praedicarem captivis indulgentiam et clausis apertionem.* 21) Cf. Gn 1, 3.

quod ostenditur pulcherrima analogia operum creationis et regenerationis spiritualis.

tionem, Deus per interstitium firmamenti distinxit atque divisit aquas superiores et coelestes ab inferioribus;[22] sic per fidem homo incipit distinguere inter bona terrena et coelestia, corporalia et spiritualia, temporalia et aeterna, mundana et divina; incipit etiam coelestia cogitare, desiderare, sperare; non solum mundana. Tertio die congregavit aquas inferiores in locum unum et, arefacta terra, produxit ex ea plantas et arbores pomiferas,[23] nam, cum terra undique aquis esset circumdata et operta, nihil producere poterat; sic Deus a corde nostro, quae terra bona est fructum plurimum afferens, suscepto divini verbi semine,[24] cohibet Deus carnales et mundanas cupiditates et incipit studium bonorum operum moraliumque virtutum. Quarto die solem, lunam et stellas condidit Deus et posuit in firmamento;[25] sic mentem hominis christiani, post susceptum lumen fidei, multis luminibus splendoribusque illustrat coelestium charismatum, clara cognitione Dei et mysteriorum fidei. Quinto die produxit pisces et aves,[26] quae sunt naturae opera multo perfectiora plantis, quae sensu carent; sic, ditata mente maiori copia coelestium luminum, sequuntur opera perfectiora virtutum, nam, post virtutes purgatorias, sequuntur virtutes animi purgati, multo perfectiores et nobiliores. Tandem, sexto die creavit Deus, post terrestria animalia[27] avibus et piscibus multo perfectiora, hominem *ad imaginem et similitudinem suam*,[28] quod supremum Dei opus fuit in creatione; sic tandem, ducente spiritu Christi, pervenit homo per virtutes heroicas et exemplares ad perfectam imaginem et similitudinem Christi, in spiritu iustificatus, sanctificatus, Spiritu Sancto plenus.

Sicut autem in creatione Deus processit semper ad perfectiora, sic et in regeneratione;

Processit Deus semper ad perfectiora in mundi creatione: a terra ad firmamentum, a luce ad solem, a plantis ad stellas, ab animalibus ad hominem; ita in Ecclesia. Sic videmus in caeco illuminato: profecit semper in melius in fide et cognitione Christi: prius hominem agnovit: *Ille homo, qui dicitur Christus, lutum fecit et linivit oculos meos;*[29] postea prophetam, verum Dei cultorem: *Scimus quia peccatores Deus non exaudit; sed, si quis Dei cultor est et voluntatem eius facit, hunc exaudit,*[30] et item: *Quia propheta est;*[31] tan-

22) Cf. ibid. vrr. 6-7. 23) Cf. ibid. vrr. 9-13. 24) Cf. Mt 13, 8. 23; Mc 4, 8. 20; Lc 8, 8. 15. 25) Cf. Gn 1, 14-19. 26) Cf. ibid. vrr. 20-23. 27) Cf. ibid. vrr. 24-25. 28) Ibid. vrr. 26-27. 29) Io 9, 11. Vulg.: *Qui dicitur Iesus*, etc.
30) Ibid. vr. 31. Vulg.: *Deus non audit*, etc. 31) Ibid. vr. 17.

dem Filium Dei agnovit et adoravit: *Tu credis in Filium Dei?... Credo, Domine. Et procidens adoravit eum.* Ecce verus et perfectus christianus: *Credo Domine:* haec est fides; *et procidens adoravit eum:* haec est religio et pietas christiana.

et sicut in creatione Deus per gradus mundum perfecit, sic et in iustificatione.

Sed non statim ad hanc perfectionem devenit, sicut Deus non primo die mundum perfecit et absolvit. Populum suum non statim ex Aegypto eductum in terram promissionis introduxit; apud E z e c h i e l e m legimus quod in templo Domini per gradus ascendebatur: ab atrio in sanctum, et a sancto in sanctum sanctorum; [32] Angeli per scalam per gradus ascendebant ad Deum. [33] Sic caecus iste veluti per gradus devenit ad perfectionem fidei et vitae christianae: *Credo, Domine. Et procidens adoravit eum. Credo, Domine:* non mortua fide, quae est veluti corpus sine spiritu, [34] sed fide viva, *quae* per dilectionem, *per caritatem operatur;* [35] ideo: *Procidens adoravit eum.* Sicut in mundi creatione reperitur ordinatus processus a principio per media in finem, sic in iustificatione.

Multae imagines sunt in S. Scriptura hominis christiani,

Multas imagines hominis christiani ab infidelitate ad fidem conversi habemus in Sacris Litteris. Huius rei imago fuit Naaman syrus ad aquas Iordanis mundatus a lepra, [36] Cornelius centurio, [37] eunuchus a Philippo baptizatus; [38] in Evangelio leprosus mundatus, [39] puer centurionis curatus, [40] languidus in piscina, [41] homo a daemone obsessus, caecus et mutus, [42] filius viduae naimitis ad vitam revocatus; [43] sicut etiam animae christianae imago fuit Rahab meretrix, [44] Ruth moabitis; [45] imago mulier chananaea, [46] socrus Simonis, [47] mulier samaritana. [48] Sed caecus hic hodiernus imago mihi videtur perfecti christiani, qualis fuit Paulus apostolus, qui utique in Baptismo fuit a caecitate illuminatus, [49] qui veluti catechizatus a Christo fuit et lutum super oculos impositum, cum dictum illi fuit a Domino: *Ego sum Iesus* Nazarenus, *quem tu persequeris:* [50] et missus ad aquas Siloe, cum missus in civitatem fuit, ut ab Anania baptizaretur. [51]

sed caecus iste imaginem exhibet perfecti christiani.

32) Cf. 40, 6 sqq. 33) Cf. Gn 28, 12. 34) Cf. Iac 2, 26. 35) Gal 5, 6. 36) Cf. 4 Rg 5, 14. 37) Cf. Act 10, 1 sqq. 38) Cf. ibid. 8, 27-38. 39) Cf. Mt 8, 2-4; Mc 1, 40 sqq. 40) Cf. Mt 8, 5-13; Lc 7, 2-10. 41) Cf. Io 5, 5-9. 42) Cf. Mt 12, 22; Mc 9, 16-26; Lc 9, 38-13. 43) Cf. Lc 7, 12-15. 44) Cf. Ios 2, 1 sqq.; 6, 23-25. 45) Cf. Ruth 1, 1-4, 1 sqq. 46) Cf. Mt 15, 22-28; Mc 7, 25-29. 47) Cf. Mt 8, 14-15; Mc 1, 30-31; Lc 4, 38-39. 48) Cf. Io 4, 7-39. 49) Cf. Act 9, 18. 50) Ibid. vr. 5. 51) Cf. ibid. vrr. 7-18.

In processu huius miraculi ostenditur processus conversionis hominis ad fidem.

IV. Sed videamus divini huius miraculi processus. *Vidit hominem caecum a nativitate:* ecce homo in infidelitate positus, quae contingit ex peccato originali; *vidit,* novit eum esse de numero electorum suorum: *Fundamentum Dei firmum manet, habens signaculum hoc: Novit Dominus qui sunt eius.* [52] Sic Spiritus cognovit eunuchum et misit ad eum Philippum ut baptizaret eum; sed prius catechizavit eum Philippus praedicans illi Christum, et credentem ex toto corde baptizavit: [53] en symbolum catechismi: *Fecit lutum ex sputo et linivit super oculos caeci,* ac sic misit ad aquas Siloe dicens: *Vade, lava in natatoria Siloe.* [54] Nemo cogendus ad fidem est, nemo adultus baptizandus, nisi catechizatus credat in Christum, non ficte, sed vere ex animo, ita ut petat ipse Baptismum, [55] sicut eunuchus petiit a Philippo: *Ecce aqua; quis prohibet me baptizari?* Cui Philippus: *Si credis ex toto corde, licet.* Cumque dixisset: *Credo:* tunc *eum baptizavit.* [56] Sic voluit Dominus ut sponte caecus iret ad aquas Siloe, ad Baptismi sacramentum, ad *lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.* [57] Ad aquas illas lumen oculorum percepit felix iste caecus!

In Baptismi sacramento infunduntur fides, caritas et gratia Spiritus S., quibus christianus fit ardens defensor veritatis,

In Baptismi sacramento infunditur fides, de qua ait: *De tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum;* [58] et: *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulate.* [59] Una autem cum fide caritas infunditur et gratia Spiritus Sancti, ut in baptismo Christi contigit; [60] et Paulus ait: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde.* [61] Suscepto autem caecus divino beneficio luminis, factus est veritatis defensor et propugnator acerrimus, sicut Paulus, suscepto Baptismate, statim ingressus est in synagogas praedicans Christum: *Quoniam hic est Filius Dei;* et: *Convalescebat et confundebat Iudaeos... affirmans quoniam hic est Christus,* [62] stupentibus omnibus, qui eum prius noverant: *Nonne hic est qui expugnabat in Ierusalem omnes, qui invocabant nomen istud?* [63] Sic hodie Iudaei videntes caecum il-

52) 2 Tim 2, 19. Vulg.: *Firmum fundamentum Dei stat... Cognovit Dominus,* etc. 53) Cf. Act 8, 29-38. 54) Io 9, 6-7. 55) C. 3, 5, D. XLV; c. 3, C. XV, q. 1: c. 7, C. XXVI, q. 6; c. 9, X, *de Iudaeis et Saracenis et eorum servis,* V, 6; Conc. Trident., sess. VI, *de iustificatione,* c. 6; sess. XIV, *de poenitentia,* c. 1. 56) Act 8, 36-38. Vulg.: *Quid prohibet,* etc. 57) Tit 3, 5. 58) 1 Petr 2, 9. 59) Eph 5, 8. 60) Cf. Mt 3, 16. 61) Tit 3, 5-6. 62) Act 9, 20-22. 63) Ibid. vr. 21.

luminatum stupebant: *Nonne hic est qui sedebat et mendicabat?... Quomodo aperti sunt tibi oculi?* [64] Adducitur ad Pharisaeos, interrogatur quomodo vidisset. Confitetur libere veritatem miraculi, nihil eos veritus, sciens quod erant inimici Christi; nam: *Corde... creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* [65] Interrogatus quid sentiret de Christo, respondit: *Quia propheta est,* [66] quamvis illos pro tribunali sedentes audiret dicere: *Quomodo potest homo peccator haec signa facere?* [67] et: *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit.* [68] Caecus autem intrepidus confitetur gloriam Christi. Tentatur iterum fides ipsius et impugnatur ab inimicis Christi: *Da gloriam Deo! Nos scimus quia hic homo peccator est.* [69] Voluissent ut caecus saltem diceret quod vel arte magica illuminatus esset vel alio quovis modo, non a Christo. Caecus autem veritatis propugnator, forti et constanti animo respondit: *Si peccator est, nescio; unum scio quia, cum caecus essem, modo video.* [70] Interrogant iterum, ut vel in contradictione eum capiant: *Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos?* [71] Caecus autem prudenter: *Dixi vobis iam, et audistis; quid iterum vultis audire? Nunquid et vos vultis discipuli eius fieri?* [72] Manifeste fatetur se Christi discipulum esse. Maledicitur a Pharisaeis: *Tu discipulus eius sis.* [73] O maledictio omni benedictione desiderabilior! *Super me,* quaeso, *sit... ista maledictio.* [74] *Nos,* inquiunt, *Moysi discipuli sumus; nos scimus quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus unde sit.* [75] Caecus autem, illorum maledictione et iniuriis nihil territus aut commotus, rationibus eos urget et convincit: *In hoc,* inquit, *mirabile est, quia vos nescitis unde sit, et aperuit oculos meos. A saeculo non est auditum quod aperuit quis oculos caeci nati. Nisi esset hic* homo *a Deo, non potuisset facere quicquam;* nam *scimus quod peccatores Deus non audit, sed, si quis cultor Dei est et voluntatem eius facit, hunc exaudit.* [76] Sic caecus etiam rationibus tuetur atque defendit fortiterque et sapienter fidem Christi propugnat et Iudaeorum perfidam incredulitatem impugnat.

sicut caecus hic illuminatus varie tentatus,

constans propugnator veritatis et intrepidus discipulus Christi factus est,

Ad tuendam autem et confirmandam Christi fidem varia sumit

64) Io 9, 8-10. 65) Rom 10, 10. 66) Io 9, 17. 67) Ibid. vr. 16. 68) Ibid. 69) Ibid. vr. 24. 70) Ibid. vr. 25. Vulg.: *Caecus cum essem*, etc. 71) Ibid. vr. 26. 72) Ibid. vr. 27. 73) Ibid. vr. 28. Vulg.: *Illius sis.* 74) Gn 27, 13. Vulg.: *In me sit*, etc. 75) Io 9, 28-29. 76) Ibid. vrr. 31-33. Vulg.: *Quia quis aperuit oculos... non poterat facere*, etc.

et non tantum verbis fidem Christi defendit,

argumenta: tum a magnitudine miraculi, tum a divina providentia, tum ab experientia praeteritarum rerum in antiquis Prophetis veris Dei cultoribus. Sic fidelis et perfectus christianus acerrimus et omnino intrepidus est christianae fidei defensor et propugnator, ut Paulus fuit.

sed et pro ipsa persecutiones patitur,

Tandem, caecus propter fidem Christi gravem passus est persecutionem, martyr Christi evasit: *In peccatis*, inquiunt, *natus es totus, et tu doces nos? Et eiecerunt eum foras,* [77] eiecerunt eum extra synagogam; nam: *Iam... conspiraverant Iudaei, ut, si quis confiteretur eum esse Christum, extra synagogam fieret;*[78] propterea parentes caeci timuerunt Iudaeos ne extra synagogam fierent. Sic Paulus, sic multi fideles christiani propter fidem Christi passi sunt gravissima tormenta et martyria usque ad sanguinis effusionem et mortem acerbissimam. Hinc ait Paulus: *Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? ... an persecutio? an gladius?* [79] Sic universa synagoga Iudaeorum non potuit superare fidem caeci illuminati. Certavit bonum certamen fidei: [80] *Haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra.* [81] Probata fuit fides caeci huius sicut Petrus ait: *Oportet contristari in variis tentationibus, ut probatio vestrae fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur in laudem et gloriam et honorem in revelatione Iesu Christi; quem, cum non videritis, diligitis; in quem nunc quoque non videntes creditis; credentes autem exultabitis laetitia inenarrabili et glorificata, reportantes finem fidei vestrae, salutem animarum vestrarum.* [82]

sicut D. Paulus et martyres omnes;

sed tandem praemium consecutus est.

Sic probata fuit fides caeci illuminati sicut aurum in fornace; sic, cum non vidisset Christum, propter acceptum tamen luminis beneficium, credebat in eum ac diligebat eum. Sed non sine fructu consecutus est palmam victoriae, coronam certaminis: *Qui... diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum.*[83] Sic accidit fortunatissimo huic caeco, cum eiectus esset de synagoga: *Audivit Iesus quia eiecerunt eum... et, cum invenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei?... Vidisti eum, et qui loquitur tecum ipse est.* Cui ipse: *Credo, Domine. Et procidens adoravit eum.* [84] Videtis quomodo manifestavit ei seipsum?

77) Ibid. vr. 34. 78) Ibid. vr. 22. 79) Rom 8, 35. 80) Cf. 2 Tim 4, 7.
81) 1 Io 5, 4. 82) 1 Petr 1, 6-9. 83) Io 14, 21. 84) Ibid. 9, 35-38.

Homo in statu infidelitatis vere caecus est circa divina,

V. Sic elucet in caeco isto imago hominis christiani in triplici statu: ante fidem, post fidem in certamine fidei et tandem in corona fidei post certamen, cum Dominus manifestavit ei seipsum. In caeco ante illuminationem, status in infidelitate; in ipso post illuminationem, status fidei; et in revelatione ac manifesta cognitione Christi, status praemii et coronae. In statu infidelitatis homo caecus est, *miser et miserabilis, pauper et... nudus,* [85] sicut erat homo iste; nam *caecus* erat, *sedebat et mendicabat.* [86] Caecus nec coelestia videt nec terrena: homo positus in tenebris infidelitatis nec Deum novit nec seipsum. Non videt caecus quae supra aut infra sunt, non quae ante aut retro, a dextris aut a sinistris: non cognoscit homo mente caecus gloriam paradisi, non poenas inferni novit, non praeterita beneficia, non futurum Dei iudicium, non prosperitates aut adversitates a Deo. Non videt caecus per quam viam ambulet, bona an mala sit, non pericula, non praecipitia, non offendicula; non est aptus ad bellum, nec ad bonas aliquas artes exercendas. Magna profecto est caeci hominis miseria, magna infelicitas, nullis non iniuriis et periculis expositus est.

cum Deus hominem creaverit perfecte illuminatum circa naturalia et supernaturalia.

Non creavit Deus hominem caecum, sed videntem, perfecto visu tum corporis tum animae donatum. Est enim intellectus in anima ut oculus in corpore; mente et intellectu cognoscebat non solum naturalia, sed etiam supernaturalia; non tantum praesentia, verum et futura; spiritu etiam prophetiae plenus, unde, cum evigilasset et vidisset Evam, novit eam ex se sumptam: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea; haec vocabitur virago, quia de viro sumpta est.* [87] Vaticinatur futura: *Relinquet homo patrem suum et matrem* suam, [88] *et adhaerebit uxori suae; et erunt duo in carne una;* [88a] in quibus verbis, ut Paulus ait, vaticinatus etiam est de Christo et Ecclesia. [89] Sic lynceis, aquilinis oculis praeditus fuit a Deo. Sicut autem Iosepho patriarchae revelavit futuram suam gloriam, cum adorari se vidit a sole, luna et stellis, [90] nec tamen revelavit eventuras afflictiones; sic Adamo revelavit adventum Christi in mundum, [91] non tamen lapsum

85) Apc 3, 17. 86) Io 9, 8. 87) Gn 2, 23. 88) *Suam* adicitur in aliquibus codicibus Cf. H. Quentin *Biblia Sacra*, h. l. 88a) Ibid. vr. 24. 89) Cf. Eph 5, 31-32. 90) Cf. Gn 37, 6-10. 91) Cf. S. Epiphanius *Adversus Haereses*, lib. 2, n. 6, (P. G. 41, 407-408); Tertullianus *Contra Marcionem*, lib. 3, cp. 5, (P. L. 2, 327); lib. 5, cp. 18, ibid. col. 518; S. Hieronymus *Comment. in Epist. ad Ephesios*, lib. 3, ibid. 26, 660; S. Augustinus *De Genesi ad Litteram*, lib. 9, cp. 19, ibid. 34, 408.

Ab hoc tamen misero statu potentia et misericordia divina relevatur.

et ruinam generis humani per peccatum, quod in causa exititit omnis infelicitatis in homine: *Ambulabunt ut caeci, quia Domino peccaverunt.* [91a] Non tamen sine Dei providentia: *Ut manifestentur opera Dei in illo;* [92] opera non tantum potentiae, sapientiae et bonitatis Dei, sed etiam misericordiae, iustitiae et caritatis divinae; opera praedestinationis, electionis, vocationis, iustificationis et mirabilis glorificationis.

sicut caecus illuminatus fuit pura benignitate Christi, sine ullis propriis meritis.

Status tamen caecitatis in seipso status est infelicissimae miseriae, quem Paulus expertus fuit, cum, ignorans Christum, persequebatur Ecclesiam et Christum ipsum: *Sed ignorans*, inquit, *feci*, ideo *misericordiam consecutus sum.* [93] Sic caecus iste per gratiam et misericordiam Christi illuminatus est: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.* [94] Manifestum est in caeco isto; nam absque ullis meritis bonis illuminatus a Christo est ex sola pietate sua, ipso tantum non contradicente, sed consentiente.

Homo peccator vere caecus et surdus est, quia temporalia spiritualibus praefert.

Caecus iste, priusquam illuminaretur, symbolum erat hominis peccatoris, quoniam omnes nascimur in peccatis et *natura filii irae,* [95] nascimur sine lumine virtutis et intelligentiae tanquam bruta animalia, nam: *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus;* [96] sic: *Animalis... homo non percipit... quae sunt spiritus Dei;* [97] ad spiritualia, coelestia et divina surdas adhibet aures, sicut brutum animal ad rationes, si rationibus persuadeatur ut aliquid agat, sicut caecus ad pulcritudinem coeli et mundi. Caecus est homo peccator, quia praefert vitium virtuti, corpus animae, vitam temporalem aeternae, mundum hunc fallacesque vanitates mundi ipsi Deo.

Ostenditur hodie magna caecitas Iudaeorum qui, tanto miraculo viso, vi passionum obcaecati

VI. Luce clarior est in hodierno Evangelio caecitas Iudaeorum. Audiunt de Christo duo: alterum, quod caecum a nativitate illuminavit, opus plane divinum soli Deo possibile; alterum, quod ex sputo lutum fecit in sabbato. [98] Ex illo manifeste sequebatur: hic homo fecit opus soli Deo possibile: ergo hic homo verus Deus est. Ex hoc vero an sequi poterat quod Christus erat transgressor legis?

91a) Soph 1, 17. 92) Io 9, 3. 93) 1 Tim 1, 13. 94) Tit 3, 4-5. Vulg: *Suam misericordiam*, etc. 95) Eph 2, 3. 96) Ps 48, 13. 21. 97) 1 Cor 2, 14. 98) Cf. Io 9, 14.

Iubebat Lex ne fieret opus servile in sabbato ; [99] Christus autem modicum luti fecit, quantum super oculos caeci deliniri potuit ; et, cum verum sit quod parum pro nihilo reputatur, [100] hoc autem minimum opus fuit, ita ut nec opus dici merito potuerit – nam opus ibi intelligitur cum labore, hoc autem opus absque ullo labore fuit, – et tamen dicunt: *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit.* Bone Deus, quanta est caecitas animi impotentis et passionum vi praepediti ne possit cognoscere claram veritatis lucem ! An non caecus esset qui solem diceret solem non esse, eo quod aliquando nube videatur obtectus ? Multi, imo innumeri sunt qui, cum sint ad carnalia et mundana maxime affecti, quavis vel minima occasione oblata, facillime in Deum peccant.

Christum Deum confiteri renuerunt.

ALIA HOMILIA

Praeteriens Dominus vidit hominem caecum a nativitate; et interrogaverunt eum discipuli. [1]

I. Magnum et illustre miraculum, quod velut phoenix est miraculorum Christi, [2] operatus est hodie Dominus : *A saeculo non est auditum quod aperuerit quis oculos caeci nati.* [2a] Magnum ab auctore, magnum ab opere, magnum a modo, magnum a fine, nagnum a mysterio, ab allegoria et tropologia. Magnum, inquam, ab auctore; nam in hodierno Evangelio appellatur Christus *lux mundi: Quandiu sum in mundo, lux sum mundi;* [3] appellatur *Filius Dei: Tu credis in Filium Dei ? . . . Credo, Domine. Et procidens adoravit eum;* [4] appellatur etiam *Deus: Ut manifestentur opera Dei in illo.* [5] Sic Ioannes, postquam Verbum ostendit coaeternum, coaequale et consubstantiale Deo, *lucem* appellavit et *vitam;* [6] lucem autem mundi solem dicit, maximum omnium planetarum. Illuminare autem caecum solius divinae est potestatis : *Dominus illuminat caecos.* [7]

Magnum miraculum Christi hoc fuit, *a)* ab autore, qui est Christus Deus ;

Magnum etiam ab opere, quia perfecta fuit illuminatio. Legimus alias Dominus illuminasse caecum, ita tamen ut non statim perfectam

b) ab opere,

99) Cf. Ex 16, 23-29 ; 20, 8-11 ; 31, 13-16. 100) Aphorismus ex Aristotele desumptus, *De Republica*, cp. 5, t. 1, pag. 208.

1) Io 9, 1-2. Vulg.: *Praeteriens Iesus*, etc. 2) « Phoenice rarior », proverbium a fabula phoenicis avis. Cf. Paulus Mannuccius *Adagia*, col. 949. 2a) Io 9, 32. Vulg.: *Quia quis aperuit*, etc. 3) Ibid. vr. 5. 4) Ibid. vrr. 35-38. 5) Ibid. vr. 3. 6) Cf. Ibid. 1, 4. 7) Ps 145, 8.

quod perfecta illuminatio fuit caecitatis ;

lucem contulerit. Ita enim refert Marcus quod, expuens Dominus in oculos caeci cuiusdam in Bethsaida manibusque super oculos eius impositis, videre coepit *homines velut arbores ambulantes.* Deinde iterum Dominus imponens manus suas super oculos eius, perfectam contulit lucem oculorum. [8] Hunc autem non sic illuminavit, sed ad aquas Siloe in momento, in ictu oculi, perfectum lumen dedit, ita ut clare videret omnia, sicut de caeco illuminato in Bethsaida legimus. Miraculum autem hoc opus Dei dicit, imo *opera Dei: Ut manifestentur opera Dei in illo; me oportet operari opera eius, qui misit me.* [9] Caecus enim hic non tantum lumine oculorum carebat, sed etiam oculis ipsis; quare plura in uno sunt miracula ; nam miraculum fuit formatio oculorum et miraculum illuminatio – nam multi perfectos oculos habere videntur et tamen caeci sunt, nihil vident propter obstructos nervos opticos et defectum spirituum visivorum, – et miraculum caecum huiusmodi illuminasse, quod impossibile est viribus totius universalis naturae.

c) a modo, nam Christus usus est luto, quod nullam virtutem illuminandi ex sese habere potest;

Magnum etiam miraculum a modo. Alias legimus in Iericho caecum a Domino illuminatum solo verbo dicens : *Respice, fides tua te salvum fecit. Et statim vidit et sequebatur illum magnificans Deum.* [10] Alias apud Matthaeum illuminatos legimus solo tactu. [11] Hunc autem Dominus mirabili collyrio voluit illuminare : *Expuit in terram et fecit lutum ex sputo et linivit... super oculos eius et dixit...: Vade, lava in natatoria Siloe.* [12] Illuminare voluit collyrio contrario, illuminare absens, ut illustrius esset miraculum et opus multo divinius appareret et esset. Hanc enim ob causam saepe Dominus absens corpore operabatur miracula. Sic sanavit servum centurionis, [13] sic filium reguli, [14] sic filiam chananaeae, [15] sicut Eliseus absens corpore mundavit lepram Naaman syri ad aquas Iordanis. [16]

d) a fine, qui fuit demonstratio divinitatis Christi ;

Magnum adhuc ostenditur miraculum a fine; nam factum fuit a Christo ad demonstrandam veritatem divinitatis suae : *Ut,* inquit, *manifestentur opera Dei in illo.* Lapidare me voluerunt Iudaei in templo, quoniam significavi me Deum esse dicens : *Antequam Abraham fieret, ego sum.* [17] Videant nunc ab ipso opere ; nam, cum solius divinae

8) 8, 22-25. 9) Io 9, 3-4. 10) Lc 18, 42-43. Vulg.: *Et confestim vidit et sequebatur eum,* etc. 11) Cf. 9, 29-30. 12) Io 9, 6-7. 13) Cf. Mt 8, 5-13 ; Lc 7, 2-10. 14) Cf. Io 4, 46-53. 15) Cf. Mt 15, 22-28 ; Mc 7, 25-30. 16) Cf. 4 Rg 5, 9-14. 17) Io 8, 59.

sit potestatis caecos illuminare, ab ipso opere volo ut verum me dixisse cognoscant. Nam a fructibus cognoscitur arbor.[18] Si Divinitatis opera facio et miracula edo, quae solius divinae sunt potestatis, hinc agnoscant me vere Filium Dei esse verumque Deum.

Tandem, magnum miraculum est a m y s t e r i o, ab allegoria et tropologia. Nam caecitas ipsa, lutum factum a Christo ex sputo, et natatoria Siloe, divinis mysteriis plena sunt. Alioquin ad quid Dominus, qui solo iussu universa creavit, ad caecum hunc illuminandum adhibuerit lutum? Caecitas procul dubio peccatum, vitium omne, ignorantiam designat et infidelitatem; lumen vero, fidem, Dei cognitionem, gratiam et dona Spiritus Sancti; natatoria Siloe, Baptismi sacramentum: *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Salvatorem nostrum.*[19] Designat etiam Poenitentiae sacramentum, quoniam etiam abluuntur peccata ac depelluntur tenebrae vitiorum.

e) a mysterio, nam natatoria Siloe Baptismi et Poenitentiae sacramenta significat;

II. Lutum tandem significat divinae Incarnationis mysterium, quo *Verbum caro factum est.*[20] Non sola terra aut pulvere caecum hunc illuminavit Christus, sicut ex pulvere hominem formavit Deus,[21] quia plura adhibita sunt ad recreationem et reformationem hominis, quam ad formationem et creationem ipsius. Ostenditur quod ad salutem consequendam necesse est ut Christus sit mentis nostrae obiectum, sicut fuit serpens aeneus in deserto;[22] ut mens Christo adhaereat per fidem, per spem, per caritatem, per imitationem, per cognitionem et iugem meditationem; ut semper in Christum credamus, speremus, eum diligamus, imitemur, agnoscamus omnium bonorum fontem perennem.

lutum vero mysterium Incarnationis designat;

Designatur etiam quod, sicut ad lumen percipiendum caeco nihil profuisset lutum, nisi ad natatoriam Siloe accessisset ibique lavisset oculos, imo potius obfuisset, ipsum magis excaecasset; ita Christus ipse futurus erat Iudaeis, credere et ad Baptismi sacramentum accedere renuentibus, in maiorem perniciem et ruinam. Similiter quod fides et doctrina Christi sine operibus, sine obedientia, sine gratia,

lutum et aqua, fidem et Baptismum et opera requiri ad salutem.

18) Cf. Mt 12, 3; Lc 6, 44. 19) Tit 3, 5-6. 20) Io 1, 14. 21) Cf. Gn 2, 7.
22) Cf. Nm 21, 6-8.

nihil prodest nobis ad salutem aeternam, sed ad maiorem damnationem.

Lutum designat etiam cognitionem divinorum beneficiorum et humilitatis nostrae,

Designat etiam lutum super oculos cognitionem beneficii tum formationis nostrae in creatione, tum etiam reformationis in reparatione; designat cognitionem humilitatis nostrae; hoc enim lutum posuit Deus super oculos hominis post peccatum: *Donec revertaris in terram de qua sumptus es; quia pulvis es et in pulverem reverteris.* [23] Sic Dominus misit Ieremiam in domum figuli, quia ibi divina mysteria revelaturus ei erat. [24] Docuit autem eum quod est homo in manu Dei sicut lutum in manu figuli, in rota versatili mortalitatis nostrae, dum sumus in hoc mundo. Quis non videt coelum esse versatilem rotam?

peccati vilitatem,

Designat etiam lutum peccati vilitatem. Hoc lutum ponebat Moyses super oculos populi in suo *Deuteronomio* praedicans eis peccata, quae in Deum commiserant. [25] Ita agebant omnes Prophetae; ita ait: *Annuncia populo meo scelera eorum et domui Iacob peccata eorum.* [26]

mortis meditationem

Designat mortis meditationem, qua homo in terram convertitur. Sic vult ut homo semper instar speculi mortem [27] prae oculis habeat, quia sic facile tenebras caecitatis et mundanae amentiae absterget atque fugabit.

et poenitentiam salutarem, qua ad Deum peccator revertitur.

Lutum etiam designat poenam peccati: *Imple facies eorum ignominia, et quaerent nomen tuum, Domine.* [28] Multi enim beneficiis a Deo elongantur: *Incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum . . . oblitus* est *Domini creatoris* [29] sui; punitionibus autem et flagellis revertuntur ad Deum. Sic saepe evenisse Hebraeis comperimus; [30] sic Nathan lutum hoc posuit super oculos David, ut a peccato resipisceret; [31] sic Ionas lutum hoc posuit super oculos Ninivitarum, et lumen divinae gratiae receperunt. [32] Sic saepe mala mundi huius, quae homini perniciem allatura videntur, in causa salutis postea fuisse manifeste noscuntur. Multi enim humiliantur et affliguntur a Deo, ut postea exaltentur et consolationem recipiant.

23) Gn 3, 19. 24) Cf. Ier 18, 2-6. 25) Cf. 9, 7 sqq. 26) Is 58, 1.
27) Ms.: *Semper* bis ponitur. 28) Ps 82, 17. 29) Dt 32, 15-18. 30) Cf. Ps 77, 1 sqq. 31) Cf. 2 Rg 12, 1-12. 32) Cf. Ion 3, 1 sqq.

FERIA QUINTA DOMINICAE QUARTAE QUADRAGESIMAE

Ibat Iesus in civitatem ... Naim, et ibant cum eo discipuli eius et turba copiosa. Et cum, etc. [1]

Hodie ostenditur Christus auctor vitae et destructor mortis;

I. Sicut in mundo hoc lucem videmus et tenebras, diem et noctem, et est in mundo terra origo tenebrarum et mater noctis, sol autem coelestis auctor lucis et pater diei; sic in hodierno Evangelio videmus mortem et vitam, imo Christum ipsum auctorem vitae et destructorem mortis, de quo Isaias ait: *Praecipitabit mortem in sempiternum;* [2] et ipsemet per Oseam: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos; ero mors tua, o mors;* [3] et Paulus ad *Timotheum* scribens: *Manifestata est,* inquit, *nunc* gratia *per illuminationem Domini nostri Iesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam et incorruptionem;* [4] utique sicut sol destruit noctem et illuminat diem, auctor diei et lucis omnisque claritatis.

ipse enim vera vita est, cum sit Verbum Dei.

Ideo Ioannes Christum saepe appellat *vitam.* Cum in Evangelii sui initio Christum dixisset Verbum coaeternum, coaequale et consubstantiale Deo, Verbum omnipotens, per quod facta sunt omnia, [5] statim appellavit *vitam* dicens: *Vita erat, et vita erat lux hominum.* [6] Sic apud eum Christus: *Ego sum via et veritas et vita;* [7] *Ego sum resurrectio et vita.* [8] Sic in sua epistola: *Vita,* inquit, *manifestata est, et vidimus et testamur et annunciamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem et apparuit nobis.* [9] Sic *panem vitae* appellat, [10] et in *Apocalypsi lignum vitae* [11] et *fontem vitae,* [12] quoniam Christus auctor est vitae, sicut Petrus Iudaeis ait: *Auctorem vero vitae interfeci-*

1) Pericope huius diei Lc 7, 11-16. Cf. Missalo Rom. Clementis VIII quod habet: *Ibant cum illo,* etc. 2) 25, 8. 3) 13, 14. 4) 2 Tim 1, 10. Vulg.: *Salvatoris nostri,* etc. 5) Cf. 1, 1-3. 6) Ibid. vr. 4. 7) Ibid. 14, 6. 8) Ibid. 11, 25. 9) 1 Io 1, 2. 10) Cf. Io 6, 33-59. 11) Cf. 2, 7; 22, 2. 14. 12) Cf. ibid. 21, 6.

stis; [13] et ipse Christus : *Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant.* [14] Sic vitae auctorem se ostendit hodie mortuum suscitans solo imperio : *Adolescens, tibi dico, surge. Et statim resedit qui fuerat mortuus, et coepit loqui.* [15]

Duellum inter vitam et mortem in paradiso terrestri incoepit,

II. Sicut autem in aurora occurrunt sibi, adveniente sole, dies ac nox, et dies quidem expellit noctem, ita factum est hodie : occurrerunt sibi mors et vita, veluti duces cum suis exercitibus, nam turba multa cum Christo et turba multa cum matre defuncti post feretrum ; [16] sed mors victa remansit a vita in signum quod tandem : *Inimica destruetur mors,* [17] et : *Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus?* [18] Ubi ostendit P a u l u s quod etiam in paradiso mors et vita veluti duello conflixere,[19] et mors contra vitam pugnavit armis peccati, nam ait : *Stimulus... mortis peccatum est.* [20] *Stimulum* dixit telum quo mors pugnavit contra vitam.

cum per peccatum homo obnoxius factus est morti,

Quoniam vero necesse est ut telum validum sit, subiunxit P a u l u s : *Virtus vero peccati lex,* [21] hoc est : vis peccati ad occidendum hominem lex fuit et praeceptum divinum; nisi enim lex posita fuisset: *In quacunque... die comederis ex eo, morte morieris,* [22] peccatum non habuisset ius mortis in hominem. Sic mors per peccatum contra legem Dei commissum occidit hominem : *Per unum hominem peccatum intravit in... mundum et per peccatum mors; et sic in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* [23] Vicit in conflictu illo mors, sicut in sero confligunt lux et tenebrae, nox et dies et, abscedente sole, vincunt tenebrae tanquam potentiores ; sed in mane, oriente accedenteque ad nos sole, lux multo potentior tenebris atque validior potenter eas depellit et fugat. Sic in hodierno conflictu vita mortem vicit, sicut Iosue Amalecum vicit, [24] Moyses Pharaonem, [25] Samson leonem, [26] David Goliam philisthaeum. [27]

Sicut autem Divina Scriptura ad illustrandam victoriam Davidis prius declarat magnitudinem, vires et arma hominis contra quem pugnavit, [28] quem prostravit et vicit ; sic in hodierno Evangelio

13) Act 3, 15. 14) Io 10, 10. 15) Lc 7, 14. 16) Cf. ibid. vrr. 11-12. 17) 1 Cor 15, 26. 18) Ibid. vrr. 54-55. 19) Cf. Missale Rom. *Sequentia* Paschatis. 20) 1 Cor 15, 56. 21) Ibid. 22) Gn 2, 17. 23) Rom 5, 12. Vulg.: *In... mundum intravit... et ita in omnes,* etc. 24) Cf. Ex 17, 8-13. 25) Cf. ibid. 5, 1-12, 1-31. 26) Cf. Idc 14, 5-6. 27) Cf. 1 Rg 17, 41-54. 28) Cf. ibid. vrr. 4-7.

quae in mundo regnavit usque ad Christi adventum.

ostenditur mortis potentia, quae videbatur insuperabilis, cui nec mundi totius et naturae universalis potentia resistere ullo modo poterat; hinc totum mundum occupaverat: *In omnes homines mors pertransiit.* Mundus totus mortis erat regnum et imperium, omnes homines potestati eius erant subiecti: *Omnes morimur;* [29] *Quis est homo qui vivet et non videbit mortem: eruet animam suam de manu inferi?* [30] Sed tamen potentissimam mortem vicit hodie Christus.

qui duello mirando mortis et peccati imperium confregit.

Sicut autem conflictus Davidis cum gigante fortissimo fuit in aperto campo, in arenam descenderunt in medio duorum exercituum, qui spectatores erant certaminis; sic hodie Christus mortem provocavit, aggressus est, superavit; occidit in medio duorum populorum, quorum alter Christum sequebatur, sicut ducem et imperatorem exercitus, alter vero mortem potentissimam Amazonam, [31] mundi reginam et imperatricem, omni gigante fortissimo validiorem.

Proponitur etiam in hoc Evangelio saluberrima mortis meditatio.

III. Vocat autem nos hodie Sacer Evangelista ad mortis contemplationem, dum ait: *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae.* [32] Proponit ob oculos mortis spectaculum, ut [33] mortem contemplemur et philosophemur: *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae.* Sapiens quidam aiebat quod philosophia est meditatio mortis, [34] hoc est quod meditatio et contemplatio mortis hominem facit vere philosophum, vere sapientem, iustum aequumque rerum quae in mundo sunt aestimatorem. O quam altam philosophiam docet mors!

Nulla vis creata hominem a lege mortis eripere potest.

Ecce defunctus efferebatur. Ostendit mors quam imbecilles sint vires nostrae in quibus confidimus. Sunt vires naturales ingenii, sunt corporis vires, magna vis amoris parentum et amicorum, magna videtur potentia divitiarum; sed nihil valent haec omnia simul contra mortis potentiam: *Ecce defunctus.* Homo erat ratione, intellectu, ingenio praeditus, valens corporis viribus, quia *adolescens*, iuvenis, in flore aetatis; dives erat, matrem habebat multosque amicos in civitate: *Turba civitatis multa cum illa.* [35] Sed nec ingenium, nec ro-

29) 2 Rg 14, 14. 30) Ps 88, 49. 31) Synonymon personae audacissimae et impudentissimae. Cf. Tertullianus *Adversus Marcionem*, lib. 1, cp. 1, (P. L. 2, 247); Io. Perin *Onomast.*, sub hac voce. 32) Lc 7, 12. 33) Ms.: *Ut* bis ponitur. 34) Plato *Phaedon*, vol. 1, pag. 67; Cicero *Tusc.*, lib. 1, t. 1, col. 181; Seneca: « Vivere tota vita discendum est mori ». *De Brevitate Vitae*, cp. 7, pag. 731, ubi Iustus Lipsius notat: « Nam philosophia μελέτη θανάτου: meditatio mortis ». 35) Lc 7, 12.

bustae corporis vires, nec amor maternus, nec amicitia concivium, potentia amicorum, nec multitudo divitiarum potuerunt eum liberare a morte. Docet mors aequitatem divinae iustitiae, quod non est apud Deum acceptio personarum, [36] nam, ut ille ait :

« [Pallida] mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
Regumque turres ». [37]

Omnes morimur ; In omnes homines mors pertransiit. Moritur doctus pariter et indoctus. Angelus Domini in Aegypto pariter occidit primogenita Aegyptiorum filios regum et principum, sicut hominum de plebe ; [38] mare Rubrum pariter praefocavit exercitum Pharaonis, sic principes et duces equitesque, ut milites pedites. [39] Sic ignis Pentapolis, [40] sic universale diluvium. [41]

Ex hoc autem ostenditur summa Dei veracitas et satanae dolosa perfidia, peccati immensa gravitas, mundanae gloriae vanitas

Docet mors veracem esse Deum et mendacem satanam ; veracem Deum qui dixit : *In quocunque ... die comederis ... morte morieris;* mendacem satanam qui ait : *Nequaquam ... moriemini,* sed *eritis sicut dii.* [42] Quare mors aperta et manifestissima demonstratio est veritatis divinae et falsitatis satanicae. Ostendit quanta sit peccati pernicies gravitasque, cum Deus, suapte natura misericordissimus, tam gravi poena voluerit mulctare peccatum : *Stipendia ... peccati mors, gratia autem Dei vita aeterna.* [43] Docet mors quam vana, quam futilis, quam flocci pendenda sit mundi totius gloria : *Praeterit enim figura mundi huius;* [44] *Transit mundus et concupiscentia eius.* [45] Quid prosunt mundi vanitates, dignitates, honores, divitiae, voluptates ? Quid omnia regna mundi et gloria eorum ? [46] Nihil penitus, nisi ad maius supplicium et tormentum in morte.

et perniciosa hominum stultitia, qui se morituros nunquam cogitant,

Docet tandem quam sit fallax hominum spes et opinio, qui sibi immortales, nunquam morituri videntur, sicut apud Isaiam dicunt : *Percussimus foedus cum morte et cum inferno fecimus pactum: flagellum inundans, cum transierit, non veniet super nos.* [47] O hominum insaniam ! Sed : *Delebitur,* inquit, *foedus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit; flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem.* [48] *Flagellum inundans* mortem appellat,

36) Cf. Rom 2, 11 ; Eph 6, 9; Col 3, 25. 37) Horat. *Odarum,* lib. 1, od. 4, vrr. 13-14. 38) Cf. Ex 12, 29. 39) Cf. ibid. 14, 23-28. 40) Cf. Gn 19, 15-25. 41) Cf. ibid. 7, 7-23. 42) Ibid. 3, 4-5. 43) Rom 6, 23. 44) 1 Cor 7, 31. Vulg. : *Huius mundi.* 45) 1 Io 2, 17. Vulg.: *Mundus transit,* etc. 46) Cf. Mt 4, 8. 47) 28, 15. 48) Ibid. vr. 18.

nam morte tandem flagellata fuit Aegyptus. Salomon *laqueum* eam appellavit dicens: *Nescit homo finem suum; sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit.* [49]

Licet ubique recordatio mortis ipsis occurrat.

Ecce defunctus efferebatur. Moritur ergo homo, non semper vivit. Morieris ergo, o homo, quicunque sis, aliquando mortuus eris sicut defunctus iste, quia sicut iste mortalis es. Verte oculos per plateas, per vias, per domos, per templa: ubi sunt qui centum aut etiam quinquaginta retro annis conveniebant in plateas, ambulabant per vias, habitabant domos, frequentabant ecclesias? Mortui sunt. Morieris et tu, moriar et ego, moriemur omnes.

Aliis mors horribilis est, aliis vero desiderabilis,

IV. Sed in medio duorum populorum videtur hodie mors, sicut columna nubis et ignis prope mare Rubrum in medio duorum exercituum, Hebraeorum et Aegyptiorum, tanquam interstitium; sed Hebraeis quidem splendida erat et luminosa, Aegyptiis vero tenebricosa et obscura. [50] Sic mors multis horribilis est tanquam ultimum terribilium, [51] multis vero desiderabilis tanquam optimum refrigerium: *Cupio dissolvi et esse cum Christo,* [52] ait Paulus; *Tolle animam meam a me,* [53] ait Elias Deo, quoniam mors his quidem porta paradisi est et principium gloriae, sicut Lazaro mendico, his vero porta inferni et principium aeterni supplicii, ut epuloni. [54]

quia illis porta erit inferni, his autem coeli.

En duo populi in hodierno Evangelio: populus civitatis Naim expellebat a se mortem, eiciebat eam extra civitatem: *Ecce defunctus efferebatur;* populus autem qui sequebatur Christum, pergebat obviam, occurrebat morti, veluti ad excipiendam eam cum honore, quia Christum sequebantur. Hi duo populi sunt duo exercitus Hebraeorum et Aegyptiorum, illis columna erat spectaculum valde desiderabile, his autem valde horribile. Hi duo populi sunt quos in die iudicii Christus statuet unum a dextris et alterum a sinistris. [55]

Amatoribus mundi mors valde amara est.

Cives Naim mortem abhorrent et depellunt utique, quia cives Naim, quae pulcritudo aut delectatio interpretatur. Hominibus iis, quibus mundus hic pulcher valde et delectabilis admodum

49) Eccle 9, 12. 50) Cf. Ex 13, 21; 14, 19-20. 51) Aristoteles: « Omnium rerum nihil horribilius morte; nam omnium rerum est extremum ». *Ethicorum Nicom.*, lib. 3, cp. 9, t. 2, pag. 20. 52) Phil 1, 23. Vulg.: *Desiderium habens dissolvi*, etc. 53) 3 Rg 19, 4. 54) Cf. Lc 16, 22. 55) Cf. Mt 25, 31-33.

videtur, qui mundum impense diligunt, qui cum Caino reprobo cives mundi huius esse volunt [56] et perpetui habitatores terrae, mors horribilis est, amara valde est, sicut ait Agag rex Amalecitarum moriturus: *Siccine separat amara mors?* [57] Sic *Ecclesiasticus* ait: *O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis, viro quieto et cuius viae directae sunt in omnibus!* [58] idest homini cui omnia prospere succedunt pro voto, qui navigat mare praesentis vitae ventis secundis et placidis, magna cum voluptate, sicut Salomon, [59] sicut dives ille epulo. [60] Hi ergo sunt cives Naim, qui matrem viduam civem eiusdem civitatis sequuntur, idest qui naturam et naturalem carnis cupiditatem sectantur; « carnis enim locus terra est ». [61] Hi mortem abhorrent et a se depellunt, quoniam mors carni et naturae horribilis admodum est.

contemptoribus autem dulcissima.

At vero, qui tanquam peregrini in saeculo Christum peregrinum sequuntur – *Ibat Iesus in civitatem Naim et ibant cum eo discipuli eius et turba copiosa,* – hi mortem expetunt, morti [62] obviam pergunt, quoniam non sunt cives mundi huius, sed peregrini: *Non... habemus hic civitatem permanentem, sed futuram inquirimus.* [63]

Turba multa cum vidua populum reproborum figurabat, turba copiosa cum Christo, populum electorum;

V. Totus autem mundus, fratres, in duos hos populos dividitur; omnis homo vel Christum sequitur, vel viduam civitatis Naim, matrem naturam. *Turba copiosa* cum Christo, *turba civitatis multa* cum vidua. Quam copiosae turbae, quam numerosi populi! Hi sunt duae gentes et duo populi in utero Rebeccae, [64] populus Esau et populus Iacob, multitudo electorum Dei et multitudo reproborum, qui damnandi cum satana sunt.

primus mortem extimescit propter timorem divini iudicii,

Ad dignoscendum autem quinam sint veri electi sectatores Christi, qui *spiritu Dei aguntur,* [65] et quinam sectatores viduae matris naturae et carnis sensusque naturalis, mors ponitur in medio, tanquam lapis lydius ad dignoscendos veros aureos ab adulterinis. Qui vitam hanc mundumque impense diligunt, mortem valde abhorrent, nunquam mori vellent, libenter ipsum etiam paradisum Deo relinquerent et

56) Cf. Gn 4, 17. 57) 1 Rg 15, 32. 58) 41, 1-2. 59) Cf. 3 Rg 10, 23 sqq.; 2 Par 9, 22 sqq.; Eccle 2, 10. 60) Cf. Lc 16, 19. 61) S. Gregorius M. *Hom. 9 in Evang.*, (P L. 76, 1106). 62) Ms.: *Mortis.* 63) Hebr 13, 14. Vulg.: *Manentem civitatem sed*, etc. 64) Cf. Gn 25, 23. 65) Rom 8, 14.

renunciarent, modo liceret eis perpetuo in hoc mundo manere, hoc mundo frui. Hi plane peregrini non sunt cum Christo, cives sunt mundi huius, Christum non sequuntur, *spiritum Christi* [66] non habent, materiales sunt, carnales sunt, mundani sunt, indicio sunt quod timent mortem etiam ob laesam conscientiam, ob timorem divini iudicii. Post peccatum timuit Adam et abscondit se; [67] prius Deum timore hoc vili minime timebat, sed reverebatur, honorabat, diligebat tanquam optimum patrem a quo conditus erat; post peccatum iram et vindictam Dei timere coepit. Qui autem in peccato sunt caritatem non habent, spiritu Christi non ducuntur, sunt de civitate Naim, populus Esau.

alter vero mortem non timet sed expetit propter spem beatitudinis;

Qui autem veri sunt Christi sequaces et imitatores, qui spiritu Dei ducuntur, studentes *sine offendiculo conscientiam habere bonam*, [68] hi mortem non timent, non abhorrent, cum Christo accedunt ad loculum, contemplantur mortem, spem habent futurae resurrectionis; scientes autem mortem esse portam coelestis civitatis [69] Naim, eam potius expetunt et in desiderio habent.

metuunt illi mortem, quia voluptates mundi amittunt et ad reddendam rationem vocantur,

Horrent illi mortem, quia per mortem egrediuntur, expelluntur a civitate Naim, privantur bonis omnibus naturae, ut aiunt, et fortunae, omni voluptate; desiderant hi, quoniam per mortem ingrediuntur civitatem Naim, paradisum deliciarum. Horrent illi mortem, quoniam tunc necesse est eos praesentari tribunali divinae iustitiae ad reddendam vitae et actionum suarum rationem: *Redde rationem villicationis tuae*, [70] ad solvendum omne debitum; sciunt autem quod non sunt solvendo; horrent mortem, quia tunc necesse est hunc mundum relinquere cum bonis omnibus quae hic possident, quibus et perfruuntur, quia amittitur vita et sensus dissolvitur et corrumpitur corpus, cibus vermium fit caro, quam tantopere diligunt et fovent.

hi mortem cupiunt, quia Deum diligunt et mundum abhorrent tanquam desertum poenarum,

Christi autem veri fideles imitatores et sequaces, mortem potius desiderant, quia Deum super omnia diligunt tanquam optimum patrem, cupiunt in domum patris sui ire ibique perpetuo manere cum carissimis fratribus, cum dulcissima matre: Deus Pater est, Maria mater, Sancti omnes cum Christo fratres. Non horrent mortem, quia non diligunt mundum, non est mundus paradisus deliciarum, sed desertum spinarum,

66) Ibid. vr. 9. 67) Cf. Gn 3, 8. 68) Act 24, 16. 69) Ms. *Civitatim*.
70) Lc 16, 2.

vallis lacrimarum, locus miseriarum; norunt mundi huius pericula, varias fortunas, quod mare est summe instabile et mille periculis plenum multisque molestiis; mortem cupiunt, *ut requiescant a laboribus suis.* [71] Facili negotio egressi fuerunt Hebraei de Aegypto, quoniam multa ibi patiebantur, magno desiderio cupiebant transire de deserto in terram promissionis et Iordanem transmittere; sic veri christiani paradisum desiderant in coelo, non mundum in terra.

corpori non blandiuntur, sed illud macerant, ut ad gloriam resurrectionis reservent.

Tandem, non abhorrent mortem, quia carnem non diligunt, non fovent, non delicate nutriunt, sed castigant corpus: *Qui ... sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* [72] Non timent corruptionem carnis, quoniam, ut Paulus ait scribens ad *Corinthios: Scimus ... quoniam, si terrena domus nostra dissolvatur huius habitationis, quod aedificationem ex Deo habemus domum non manufactam, sed aeternam in coelis;* [73] sciunt quod *seminatur corpus animale et surget spiritale,* [74] incorruptibile, impassibile, immortale, *surget in gloria,* [75] clarum, fulgidum, gloriosum, resplendens ut sol. O felices eos, qui sunt veri fideles et sequaces Christi!

Stulte mortem sanctorum desiderant, qui vitam peccatorum vivunt.

VI. Balaam [75a] aiebat: *Moriatur anima mea morte iustorum et fiant novissima mea illorum similia.* [76] Multi mortem iustorum desiderant, non vitam, sed vitam peccatorum et mortem sanctorum, ut salutem vitamque aeternam et paradisi gloriam consequantur; unde: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius;* [77] e contra vero: *Mors peccatorum pessima.* [78] At non sic ferunt statuta divinae legis. Omne regnum, omnis respublica, omnis civitas habent sua statuta. Sic etiam coelum, sic infernus, sic mundus iste. Paulus ait: *Statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc autem iudicium.* [79] Statutum hoc proprium est non paradisi, quia *mors* ibi *non erit,* [80] non inferni, quia *ibunt ... in supplicium aeternum,* [81] vivit ibi epulo in tormentis et cruciatu ignis aeterni et sic vivet semper; statutum est proprium mundi huius. Sed cum iudicio coniunctum est; iustus iudex necesse est ut ius suum unicuique reddat pro meritis. Sic Deus *reddet unicuique secundum opera sua.* [82]

71) Apc 14, 13. 72) Gal 5, 24. 73) 2 Cor 5, 1. Vulg.: *Huius habitationis dissolvatur,* etc. 74) 1 Cor 15, 44. 75) Ibid. vr. 43. 75a) Ms.: *Balaac.* 76) Nm 23, 10. Vulg.: *Horum similia.* 77) Ps 115, 15. 78) Ps 33, 22. 79) Hebr 9, 27. 80) Apc 21, 4. 81) Mt 25, 46. 82) Ibid. 16, 27; Rom 2, 6. Vulg.: *Opera eius.*

In paradiso non erat statutum hoc ante peccatum, licet homo natura mortalis erat, sed erat sicut navis in flumine ad columnam optimis funibus ligata; absque illis vinculis navis pro fluminis cursu tenderet ad mare, sed funibus ligata non tendit. Sic homo. Nunc autem soluta sunt vincula. Est naturalis mors poena peccati originalis, sic Adamo comminata ante peccatum.[83] Mors autem aeterna poena est comminata nobis pro actuali peccato et divinarum legum transgressione. Est autem temporalis haec mors imago quaedam quoad bonorum omnium exactam privationem; nam nihil omnino boni nobis relinquit mors eorum quae possidebamus.

quia sicut pro homine, post peccatum, statuta est mors temporalis, ita pro reprobis, post mortem, statuta est mors aeterna.

VII. *Accessit et tetigit loculum.*[84] Inventa est hodie mors in civitate Naim, iucunditatis, in porta ubi iudicia fiebant, ubi magistratus et tribunalia iustitiae,[85] in loculo, in ligneo feretro, quoniam mors a ligno sumpsit originem[86] et per eam homo, imo per iniquitatem, cuius mors est veluti primogenita filia, factus est tanquam lignum aridum, quod non est aptum nisi ad ignem. Sic homo, cui nec totus sufficiebat mundus, ita ut Dei aequalitatem concupierit, satana suggerente, nunc in loculo contineatur, licet princeps, rex, imperator, pontifex summus extiterit. Loculus tamen iste videbatur triumphalis currus mortis, qui ab hominibus portabatur, nam per peccatum mors facta est domina ac veluti imperatrix mundi. Sic enim legimus apud Divum Paulum: *Mortis imperium;*[87] et item quod: *Regnavit mors* in omnes.[88] Currus hic triumphalis mortis ab hominibus trahebatur, quia per peccatum homines facti sunt similes iumentis.[89] Erat veluti solium regium et thronus excelsus; sed Christus deturbavit ac deiecit eam.

Ligneum feretrum lignum, ex quo mors sumpsit originem, significat et ipsius mortis currum triumphalem.

83) Cf. Gn 2, 17. 84) Lc 7, 14. 85) Cf. Dt 21, 19; 22, 15; Ruth 4, 1-11; Iob 31, 21; Prv 31, 23; Is 14, 31; Am 5, 15. 86) Cf. Gn 3, 3-19; Missale Rom., *Praefatio Crucis.* 87) Hebr 2, 14. 88) Rom 5, 14. 17. 89) Cf. Ps 48, 13. 21.

ALIA HOMILIA

Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae; et haec vidua erat; et turba, etc. [1]

Duellum David cum Goliath imago fuit duelli Christi cum morte.

I. Mortis [2] spectaculum proponitur in hodierno Evangelio omnibus oculate contemplandum, imo spectaculum duelli mirandique conflictus vitae et mortis [3] in vallo ac veluti Circo Flaminio [4] civitatis Naim, simile duello Davidis et Goliae in valle Terebinthi spectantibus exercitibus, hinc quidem Hebraeorum, illinc vero Philisthaeorum.[5] Vicit autem David Goliam [6] fortissimum gigantem; Christus autem, qui vita mundi est, [7] mortem, viribus et potentia gigantibus omnibus superiorem. Spectatores autem hic sunt *turba copiosa* [8] cum Christo et turba copiosa cum vidua matre defuncti. [9] Magna cum superbia et pompa incedebat mors tanquam victrix mundi, super currum triumphalem, cum vexillis et trophaeis victoriae; sed vicit ac superavit eam Christus sicut sol tenebras. Habemus hic spectaculum vitae et spectaculum mortis, sicut in paradiso posuit Deus arborem vitae et arborem mortis, nam *arbor scientiae boni et mali* [10] nonnisi mortis arbor fuit.

Mors liber est profundae philosophiae.

II. Legimus in Sacris Litteris *librum vitae* [11] et *librum mortis*. [12] Liber vitae Christus est: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* [13] Dei; liber autem mortis: *Ecce defunctus efferebatur*. Christus

1) Lc 7, 12. 2) In margine, sine ullo signo referentiae, eadem manu adiecta fuit haec alia introductio: «Habemus in hodierno Evangelio spectaculum mortis et vitae pugnamque inter mortem et vitam, sicut inter tenebras et lucem mane in aurora. Videtur etiam conflictus inter divinam iustitiam et misericordiam – nam mors opus est divinae iustitiae, vita autem divinae misericordiae, – nam ait quod *misericordia motus* dixit: *Adolescens, tibi dico, surge*. Vicit misericordia iustitiam: *Misericordia eius super omnia opera eius* ». 3) Cf. Missale Rom., *Sequentia* Pascatis. 4) « Circus Flaminius erectus a C. Flaminio. a. 583 (post urbem conditam) ludis plebeiis et tauriis habendis, situs inter hodiernas aedes Mattei, Via del Campidoglio, Piazza di S. Caterina dei Funari et Via delle Botteghe scure, nomine ducto ab arcibus quibus scalae Circi fulciebantur. Porro in hoc Circo erant aedes Iunonis reginae et Dianae et Castoris, delubrum Cn. Domitii ». Io. Perin *Onomast.*, sub voce: *Flaminius*. 5) Cf. 1 Rg 17, 40-54. 6) Ms.: *Gloriam*, loco: *Goliam*. 7) Cf. Io 5, 40; 6, 35-35; 10, 10. 28; 11, 25; 14, 6. 8) Lc 7, 11. 9) Cf. ibid. vr. 12. 10) Gn 2, 9. Vulg.: *Lignumque*, etc. 11) Cf. Eccli 24, 32; Phil 4, 3; Apc 3, 5; 13, 8; 17, 8; 20, 15; 21, 27; 22, 19. 12) Cf. Apc 20, 12. 13) Col 2, 3.

liber est sacrae altissimae et divinissimae theologiae; mors autem liber est naturalis, sed valde reconditae philosophiae. In hoc libro clare docetur et legitur quam verax sit Deus, qui peccantibus comminatus fuit mortem,[14] quam mendax satanas, qui dixit: *Nequaquam... moriemini;*[15] quanta sit severitas divinae iustitiae, quae tali tantoque supplicio plectit peccatum; hic [clare videtur] qualis et quanta sit miseria humanae naturae, quanta sit pernicies peccati, nam: *Stipendia... peccati mors;*[16] hic clare videtur mundi vanitas, stultitia, amentia; hic quid valeant divitiae, honores, deliciae: *Ecce defunctus efferebatur.* O quale spectaculum! docens veracitatem Dei et falsitatem satanae.

Videtur mihi sicut nubes Dei in medio duorum exercituum, quae Hebraeis quidem lucida pulcraque videbatur, Aegyptiis vero obscura et tenebrosa.[17] Sic mors his quidem videtur horribilis, aliis vero desiderabilis. Videtur sicut pictura quaedam ab excellente pictore excogitata, in tabula facta ad canales a sursum usque deorsum; quae quidem tabula, si recte aspiciebatur, nihil in ea videbatur depictum, si vero ex adverso aspiciebatur, a dextris apparebat imago pulcherrimae mulieris, a sinistris vero apparebat mortis imago, quoniam hae imagines miro artificio depictae erant in lateribus canalium divisis portionibus magna cum proportione. Sic, inquam, mors est. Si recte inspiciatur in seipsa, nihil videtur esse, quoniam privatio vitae est, privatio autem nihil est; si autem consideretur a dextris oculis spiritus, desiderabilis est, quoniam porta paradisi est electis Dei, sanctis Christi et fidelibus servis; oculis autem carnis horribilis est, quoniam porta inferni est amatoribus mundi et voluptatum magis quam Dei.[17a] Mors aliis horribilis, aliis vero desiderabilis est,

Mala videtur mors, quoniam multorum in causa malorum est, ut patet in infelici hac muliere hodie; sed est etiam in causa multorum bonorum. Christus voluntarie, sua sponte mortem sibi elegit. Ministra divinae iustitiae est contra omnes malos, et ministra quidem iustissima, nam, ut ille ait: quia illis causa est malorum, his autem causa bonorum.

« [Pallida] mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
Regumque turres ».[18]

14) Cf. Gn 2, 17. 15) Cf. ibid. 3, 4-5. 16) Rom 6, 23. 17) Cf. Ex 14, 20.
17a) Cf. 2 Tim 3, 4. 18) Cf. not. 37 praec. hom., pag. 386.

Mors posita fuit in mundo, ut ad coelestem patriam anhelemus.

III. Considerandum autem nobis est quod reperitur mors hodie in civitate Naim, quod est pulcritudo, iucunditas; nam posita est in mundo tanquam temperamentum carnalium voluptatum et deliciarum mundi, sicut in horologiis opus est temperamentis iustis, alioquin non habent rotarum motus, non mensurant tempus, non pulsant horas. Mundus hic est sicut terra Chanaan, de qua exploratores dixerunt quod optima quidem erat, sed tamen devorabat habitatores suos ; [19] quo audito Hebraei in Aegyptum reverti cogitavere: [20] *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* [21] Sic posita est in mundo mors ut coelestem patriam appetamus.

Mors porta est qua intratur vel ad poenam, vel ad praemium,

Reperitur in porta civitatis ubi iudicia fiebant, ubi erant tribunalia iustitiae ; [22] sic utique in morte : *Statutum est omnibus hominibus semel mori,* ait Paulus, *post hoc autem iudicium.* [23] Hac de causa mors est sicut porta carceris Pharaonis ex qua Ioseph quidem egressus fuit ad principatum, pincerna ad palatium, curiam et ministerium regis, pistor autem ad patibulum infame, ad ultimum supplicium ; [24] sic manifestum fuit in morte Lazari mendici et divitis epulonis. [25] Est mors sicut mare Rubrum, Hebraeis causa vitae et salutis, Aegyptiis causa interitus. [26] Est mors sicut vadum Iordanis, quod occupari fecit Iephte princeps Hebraeorum ad comprehendendos et necandos omnes Ephrathaeos, qui in seditione contra suum principem consurrexerant, cumque ad vadum veniret vir quilibet, interrogabatur an esset ephrathaeus a viris Galaad ; quod si diceret se ephrathaeum minime esse, iubebatur ut diceret et pronunciaret *schiboleth,* quam vocem pronuntiare recte non valebant Ephrathaei, sed dicebant *sibboleth,* sono admodum gracili ac tenui ; quare inde ephrathaeus agnitus necabatur ut seditiosus et rebellis. [27] Ita, inquam, in morte iudicandus est homo ; si inventus fuerit bonus verusque et fidelis christianus, salvus erit ; sin autem, in aeternum damnabitur ut seditiosus et rebellis suo principi, qui mundo et satanae servire et obedire magis voluerit quam Christo, quam Deo vivo et vero. A loquela agnoscebantur Ephrathaei, sic nos in morte, nam : *Ex abundantia . . . cordis os loquitur;* [28] *Qui de terra est, de terra est et de terra loquitur;* [29] maxime vero

prout in iudicio quisque inventus fuerit.

19) Cf. Nm 13, 26 sqq. 20) Ibid. 14, 1-4. 21) Ps 105, 24. 22) Cf. not. 85 praec. hom., pag. 391. 23) Hebr 9, 27. 24) Cf. Gn 40, 20-41, 1-44. 25) Cf. Lc 16, 19-24. 26) Cf. Ex 14, 23-28. 27) Cf. Idc 12, 1-6. 28) Mt 12, 34 ; Lc 6, 45. 29) Io 3, 31.

ex sacramentali Confessione rate et rite facta, summa cum diligentia expurgata conscientia ab omni labe peccati.

IV. Appellatur in Sacris Litteris mors *dies hominis;* hoc est quod Ieremias ait: *Diem hominis non desideravi;* [30] quoniam ex eo pendet vel salus hominis et vita aeterna, vel perditio et mors perpetua, ex iudicio, inquam, mortis. Nam hic fit iudicium et fertur sententia de homine, sicut in Daniele legimus de Balthassar, contra quem lata sententia fuit: *Mane, thecel, phares: ... Numeravit Deus regnum tuum et complevit illud; ... appensus es in statera et inventus es minus habens; ... divisum est regnum tuum et datum est Persis et Medis.* [31] Ita de quovis homine in morte faciendum iudicium est et ferenda sententia.

Mors *dies hominis* dicitur, quia ex ea pendent salus aeterna, vel perditio.

Ne dicas, homo, sicut latrones dicunt et grassatores viarum, qui scientes quod tandem evadere non poterunt manus iustitiae, ut tamen perseverent in facinorosa illa vita, dicunt: Age, quid erit? Mille boni dies et unum malum mane! quasi in morte malum omne finiatur. At saepe in morte incipiunt aeterna et nunquam finitura mala. Rex David ait quod: *Facti sumus sicut ovis occisionis,* [32] et cum eo Divus Paulus: *Quoniam propter te mortificamur tota die, facti sumus sicut oves occisionis,* [33] idest sicut grex lanii et macellarii; paratum enim habet pecudum gregem et caulam pro sua laniena et diebus singulis occidit aliquas ex eis, nunc plures nunc pauciores, pro temporis opportunitate, ita tamen ut omnes tandem ad lanienam deveniant. Ita: *Omnes morimur;* [34] *Quis est homo qui vivet et non videbit mortem?* [35]

Non omne malum in morte finitur pro impiis, imo aeterna mala incipiunt.


Est mors in manu Dei sicut gladius evaginatus in manu Angeli, quem cum vidisset David, nimio terrore perculsus et exterrefactus fuit. [36] Est sicut clava Herculis ad domanda mundi monstra, [37] imo sicut virga Moysi ad domandam [38] superbiam aegyptiacam; nam, ut vidit Pharao mortem primogenitorum, statim, tota urgente Aegypto, dimisit populum; [39] quem multae Dei plagae domare non po-

Mors in mundo posita est ad superbiam domandam et peccata fuganda.

30) 17, 16. 31) 5, 25-28. Vulg.: *Medis et Persis.* 32) Ps 43, 22. 33) Rom 8, 36. 34) 2 Rg 14, 14. 35) Ps 88, 49. 36) Cf. 1 Par 21, 16. 37) Cf. Virg. *Aeneid.*, lib. 10, vr. 319; Ovid. *Metamorph.*, lib. 9, vrr. 114. 236; Propertius *Elegiae*, lib. 4, eleg. 9, vr. 39. 38) Ms.: *Domandandam.* 39) Cf. Ex 12, 29-33.

tuerant, mors statim domavit. Ipsa nanque est virga ferrea in manu Dei confringens omnia vasa fictilia, [40] omnes homines. Ubi multi sunt serpentes, ne propter eos regio sit inhabitabilis, divina providentia adhibuit remedium ciconiarum, quae serpentes devorant ac destruunt. [41] Ita Deus ad destructionem peccatorum et vitiorum posuit in mundo mortem ad devorandos serpentes magorum Pharaonis, sicut virga Moysi in serpentem versa. [42]

40) Cf. Ps 2, 9. 41) Cf. S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 12, cp. 7, (P. L. 82, 41); Plinius *Hist. Nat.*, lib. 10, cp. 23, pag. 110. 42) Cf. Ex 7, 11-12.



FACSIMILE SCRIPTURAE S. LAURENTII TERTIA PARTE DIMINUTAE

FERIA SEXTA DOMINICAE QUARTAE QUADRAGESIMAE

Erat quidam languens Lazarus a Bethania de castello Mariae et Marthae sororum eius, etc. [1]

I. Illustrissimum miraculum divinae virtutis Christi ostenditur in hodierno Evangelio, quod ipse Christus Dominus noster *gloriam suam* et *gloriam Dei* appellat: *Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam;* [2] *Si credideris, videbis gloriam Dei.* [3] Magnum profecto miraculum opere et historia, magnum mysterio et divino sacramento. Magnum historia, quia opus divinae omnipotentiae et infinitae bonitatis, miraculorum Christi maximum et illustrissimum, sol inter sidera coeli, homo inter animalia in terra.

Magnum fuit hoc miraculum a) historia, quia maximum miraculorum Christi;

Magnum item mysterio: allegoria, tropologia, anagogia. Magnum allegoria, quoniam in hoc miraculo designatur universa fere ratio redemptionis humanae, quoniam unigenitus Filius Dei de coelo venit in mundum pro salute humani generis perditi per peccatum, quod quidem mors est pessima et causa damnationis aeternae. Sic per Christum Lazarus hic restitutus est pristinae integritati et saluti.

b) allegoria, quia per illud designatur universa ratio redemptionis;

Magnum tropologia, qua per Lazarum homo peccator designatur cum in profundum peccatorum venerit, ita tamen ut salus ipsius Deo non sit impossibilis, sicut nec Lazari iam in monumento quatriduani et putridi cadaveris suscitatio.

c) tropologia, quia in eo figuratur animae resurrectio;

Tandem magnum anagogia, qua electorum omnium suscitatio ad gloriam significatur, de qua ad Martham hodie Christus, cum ipsa

d) et anagogia,

1) Pericope huius diei Io 11, 1-45. Sic legitur in Missali Rom. Clementis VIII; postea autem ab Urbano VIII emendatum fuit iuxta Vulg.: *Sororis eius.* 2) Ibid. vr. 4. 3) Ibid. vr. 40.

quia repraesentat universorum resurrectionem.

dixisset ei: *Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die,*[4] Christus vero: *Ego sum resurrectio et vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet; et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum;*[5] sicut hodie a Christo suscitatus fuit Lazarus et magno miraculo ad vitam revocatus, ita omnes electi, imo totus mundus in novissimo die. Nam: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur;*[6] et Christus: *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei,*[7] *et qui audierint vivent;*[8] *et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicii.*[9] Sic etiam Paulus: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.*[10] Hodierna autem suscitatio veluti ichnographia et modulus archetypus est generalis mundi totius resurrectionis.

Sed magnum praecipue, quia est clara demonstratio infinitae erga nos Christi caritatis.

Sed magnum mihi supra modum videtur, quoniam insignis est demonstratio divinae Christi erga nos caritatis veraeque dilectionis, amoris, amicitiae: *Ecce quem amas infirmatur ... Diligebat ... Iesus ... Lazarum;*[11] *Lazarus amicus noster dormit;*[12] *Ecce quomodo amabat eum.*[13]

Docuit Aristoteles impossibilem esse inter Deum et hominem amicitiam,

II. Existimavit philosophus princeps Peripatus non posse inter Deum et hominem intercedere necessitudinem et amicitiam, quia amicitia requirit aequalitatem, benevolentiam et familiaritatem; homo autem non potest esse aequalis Deo, quoniam Deus immensus et infinitus est; non potest boni aliquid desiderare Deo, quia Deus nullo bono eget, sicut sol est qui non eget stellarum splendoribus; nec divina familiaritate frui potest, ita ut cum Deo placide conversetur, quoniam Deus in coelo est, homo autem in terra.[14]

sed contra docet S. Scriptura et Deus ipse, qui in mundum venit

Sed alucinatus est, caecus de sole loqui voluit et de pulcritudine. Divina Scriptura oppositum docet: quod homo sit Deo similis,[15] inter similes autem potest esse amicitia; quod Deus cum Adam conversatus in paradiso fuit;[16] quod Enoch ambulavit, idest conversatus cum Deo est;[17] itemque quod Noe ambulavit cum Deo et *invenit gratiam*

4) Ibid. vr. 24. 5) Ibid. vr. 25. 6) 1 Cor 15, 22. 7) Io 5, 28. 8) Ibid. vr. 25. 9) Ibid. vr. 29. 10) 1 Cor 15, 51. 11) Io 11, 3-5. 12) Ibid. vr. 11. 13) Ibid. vr. 36. 14) *Ethicorum Nicom.*, lib. 8, cp. 9, t. 2, pag. 62. 15) Cf. Gn 1, 27. 16) Cf. ibid. 2, 15-19. 17) Cf. ibid. 5, 24.

coram Deo; [18] quod Abraham credidit Deo *et reputatum est ei ad iustitiam et amicus Dei appellatus est;* [19] quod Moyses invenit gratiam in oculis Domini, [20] et conversabatur cum eo, sicut amicus conversari solet cum amico suo. [21] In Evangelio autem ad discipulos Christus ait.: *Iam non dicam vos servos,* sed amicos: *Vos autem dixi amicos;* [22] et hodie: *Lazarus amicus noster dormit.* Deus ipse, qui ait: *Deliciae meae esse cum filiis hominum,* [23] ut hominum amicitia et familiaritate magis magisque, ut ita dicam, frueretur, de coelo venit in mundum factus homo: *Qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo;* [24] nam antiquitus, ut cum sanctis Patriarchis et Prophetis conversaretur, formam speciemque humanam induebat. [24a]

ut hominum amicitia frui posset.

III. Amor verus in Sacris Litteris aliquando *vulnus cordis* appellatur: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum,* [25] aurea utique amoris sagitta. Aliquando *liquefactio animae;* sic Sponsa: *Anima mea liquefacta est, ut* dilectus meus *locutus est;* [26] liquescit cor ad flammam amoris sicut cera ad ignem, hinc saepe homo prae amore in lacrimis totus resolvitur. Aliquando dicitur *languor: Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* [27] Magna vis amoris; vires adimere videtur, sicut Amnoni accidit, cum Thamar, sororem Absalom, deperiret. [28] Tandem, aliquando *mors: Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio;* imo *ignis* etiam asbestus, *inextinguibilis* dicitur: *Lampades eius lampades ignis atque flammarum; aquae multae non poterunt extinguere caritatem, nec flumina obruent eam.* [29] Sic vehemens amor superat omnes alios animi affectus, ita ut contemnat prae amore animus etiam quae magni fiunt. Hinc ait: *Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam,* [30] ac si nihil dederit aut egerit.

Variis modis in S. Scriptura vis et effectus amoris significantur;

18) Ibid. 6, 8-9. Vulg.: *Coram Domino.* 19) Gn 15, 6; Rom 4, 3; Gal 3, 6; Iac 2, 23. Vulg.: *Reputatum est illi,* etc. 20) Cf. Ex 33, 12. 21) Cf. ibid. vr. 11. 22) Io 15, 15. 23) Prv 8, 31. 24) Phil 2, 6-7. 24a) Cf. Gn 18, 1 sqq.; 32, 24-30: Ex 33, 11; Is 6, 1-6; Ez 10, 8 sqq.; Dn 7, 13 sqq. 25) Ct 4, 9. 26) Ibid. 5, 6. *Dilectus* subiungitur in aliquibus codicibus, uti adnotatur in *Biblia Lovaniensi*, quae S. Auctori usui erat. Cf. quae diximus in *Praefatione* huius Quadragesimalis. 27) Ibid. 2, 5.
28) Cf. 2 Rg 13, 1-4. 29) Ct 8, 6-7. Vulg.: *Non potuerunt . . . obruent illam. Poterunt* legitur in veteribus editionibus Vulg.; in posterioribus vero Clementis VIII emendatum fuit: *Potuerunt.* Cf. Fortunatus Fanensis *Praefatio in S. Bibliis.* 30) Ibid. vr. 7.

Hi omnes effectus in amore Christi erga nos elucent.

En omnes hi effectus amoris in Christo. Iaculum vulnerans Christi cor est illa oratio sororum Lazari: *Domine, ecce quem amas infirmatur.* Pupugit, vulneravit, penetravit Domini cor, liquefacta est eius anima prae amore, unde ruperunt lacrimae: *Lacrimatus est Iesus,* [31] sicut Ioseph videns fratres suos multas lacrimas fudit, [32] utique ex amore, sicut David et Ionathas cum lacrimis se mutuo complexati fuerunt; [33] etiam Esau cum dulcibus lacrimis amplexatus et osculatus fuit fratrem suum Iacob revertentem de Mesopotamia. [34] Sic igitur *lacrimatus est* lacrimas amoris Dominus, amor dulcissimum ipsius cor resolvit in lacrimas. Deinde, quis non videt languorem? Cum vidisset Dominus Iudaeos cum sororibus plorantes, *infremuit spiritu et turbavit semetipsum* et dixit: *Tollite lapidem,* [35] quasi non posset ipse. Sic etiam patitur persecutiones a Iudaeis nec se defendit, quasi non posset seipsum defendere. Fortior morte amor iste ostenditur. Cum enim dixisset, audita Lazari infirmitate: *Eamus in Iudaeam iterum,* dixerunt discipuli: *Rabbi, nunc quaerebant Iudaei te lapidare, et iterum vadis illuc?* [36] Sic vis teipsum exponere vitae discrimini, mortis manifesto certoque periculo? Sed contempsit Christus prae amore pericula, unde Thomas ad condiscipulos: *Eamus et nos et moriamur cum illo.* [37] Qualis hic erat ignis qui ardebat in Christi pectore!

Multa sunt signa et indicia veri amoris.

IV. Multa quidem sunt veri amoris signa et indicia manifesta: collatio munerum et magnorum beneficiorum; his enim principes vel maxime declarant caritatem et affectum suum erga dilectos servos: magnis eos bonis, divitiis, honoribus, dignitatibus cumulant. Signum est manifestatio secretorum arcanorum pectoris: *Iam,* inquit Dominus, *non dicam vos servos,* sed amicos, *quia servus nescit quid faciat dominus eius; vos autem dixi amicos, quia omnia, quaecunque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* [38] Indicium, familiaris conversatio; homo enim, cum sit animal sociabile amans societatem et conversationem, cum amicis libenter et magna cum voluptate conversatur. Indicium, magna fides, cum homo credit amico pretiosissima et carissima quaeque, divi-

31) Io 11, 35. 32) Cf. Gn 43, 29-30; 45, 1-2. 33) Cf. 1 Rg 20, 41. 34) Cf. Gn 33, 4. 35) Io 11, 33. 39. Vulg.: *Turbavit seipsum.* 36) Ibid. vrr. 7-8. Vulg.: *Quaerebant te Iudaei*, etc. 37) Ibid. vr. 16. Vulg.: *Cum eo.* 38) Ibid. 15, 15.

tias, pecuniam, domum, familiam, uxorem, filios, vitam propriam. Sed indicium omnium maximum est de quo Dominus ait: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* [39] Hoc signum maximae dilectionis et caritatis praestat hodie Christus, dum pro salute amici sui Lazari exponit se mortis periculo, venit in discrimen vitae, revertitur in Iudaeam ubi quaerebant eum interficere principes Iudaeorum. [40]

sed maximum omnium est mori pro iis qui amantur, quod Christus praestitit.

Praestiterat Deus erga hominem omnia illa caritatis indicia: magna dona contulit, cum hominem mundi principem constituit sibi similem in paradiso: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram et dominetur piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae;* [41] revelavit ei secreta sua, nam Adamo in paradiso revelavit mysterium divinae Incarnationis: [42] *Erunt duo in carne una; Sacramentum hoc magnum est... in Christo et in Ecclesia;* [43] conversatus fuit cum eo in paradiso, sicut pater cum carissimo filio; credidit ei paradisum, lignum scientiae. [44]

Haec signa praestiterat Deus erga hominem in paradiso;

Praestiterat indicia haec fidelibus suis: dedit eis terram promissionis, [45] Moysi principatum Hebraeorum, [46] Aaroni summum pontificatum, [47] Davidi regnum, [48] Salomoni sapientiam, [49] Samsoni fortitudinem, [50] Iosepho principatum, [51] Danieli mysteriorum intelligentiam; [52] conversari cum eis voluit; in [53] medio populi tabernaculum locum divinae habitationis [54] et postea templum habere voluit; [55] revelavit secreta sua Patriarchis et Prophetis; credidit Moysi et Aaroni principatum et sacerdotium, curam, salutemque animarum.

erga populum suum in deserto et in terra promissionis;

Sed maximum hoc indicium non praestiterat, nec praestare poterat, cum suapte natura sit immortalis et impassibilis: *Qui solus habet immortalitatem.* [56] Factus est homo ut hoc praestaret: *Ego sum pastor bonus; bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* [57] Sic pro humani generis salute mortuus est in cruce. O verum amicum!

sed homo fieri voluit, ut posset pro amore hominis mori.

39) Ibid. vr. 13. 40) Cf. ibid. 10, 39. 41) Gn 2, 27. Vulg.: *Et praesit piscibus*, etc. 42) Cf. supra, Feria Quarta huius Dom., not. 91, pag. 377. 43) Gn 2, 24; Eph 5, 32. 44) Cf. Gn 2, 15-19. 45) Cf. ibid. 12, 7; 15, 7 sqq.; 17, 8. 46) Cf. Ex 3, 7 sqq.; Act 7, 33-44. 47) Cf. Ex 28, 1-29, 1 sqq.; Nm 18, 8; Hebr 5, 4. 48) Cf. 1 Rg 16, 13. 49) Cf. 3 Rg 3, 10-12; 4, 29 sqq. 50) Cf. Idc 14, 1-16, 1 sqq. 51) Cf. Gn 41, 41 sqq. 52) Cf. Dn 1, 16 sqq.; 4, 17 sqq.; 5, 17 sqq.; 7, 1-12, 1 sqq. 53) Ms.: *In* bis ponitur. 54) Cf. Ex 25, 1-27, 1 sqq. 55) Cf. 2 Rg 7, 4-13; 3 Rg 5, 3-5; 8, 17-21; 1 Par 22, 10; 28, 3; Act 7, 46-50. 56) 1 Tim 6, 16. 57) Io 10, 11.

Christus erga Lazarum haec omnia signa amoris ostendit, licet eum mori permiserit.

V. Videri poterat Christus non praestitisse cum Lazaro veri amici officia; nam, cum per nuncium a sororibus Lazari infirmi certior factus esset de ipsius infirmitate et absens eum curare potuisset, sicut servum centurionis, [58] sicut filium reguli [59] et alios, [60] sicut etiam caecum natum, [61] cuius in hodierno Evangelio fit a Iudaeis mentio: *Non poterat hic, qui aperuit oculos caeci nati, facere ut* et *hic non moreretur?* [62] non tamen praestitit beneficium absens quod potuit, nec statim abiit ad curandum infirmum praesens, sicut curavit socrum Simonis [63] et languidum in piscina; [64] sed infirmitatem in deterius abire permisit, imo Lazarum mori, sepeliri, computrescere in monumento. An haec videri possunt veri amoris indicia, signa, demonstrationes vivi affectus? Haec tamen pro maiori gloria Dei permisit, sicut ait: *Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei.* [65] Tandem, ad ostendendam caritatem suam venit multo cum labore et periculo vitae ad mortuum resuscitandum pristinaeque integritati et saluti restituendum, si non venerat ad infirmum sanandum.

Sicut Deus peccatum Adae permisit, ut divina caritas magis eluceret,

Ita videri poterat Deus non praestitisse erga hominem veri amoris indicia; nam permisit eum a satana tentari, permisit vinci et superari, permisit peccare et in barathrum damnationis incidere, atque ad extremum miseriarum omnisque infelicitatis mundum sub diaboli potestate et tyrannide crudeli devenire; sicut etiam populum suum in Aegypto crudelissime vexari permisit sub tyrannide Pharaonis. [66] Sed tamen omnia pro maiori gloria Dei et mundi salute, ut tandem nobis divina virtus divinaque caritas magis magisque eluceret.

Ita Christus Lazari mors permisit, ut sua divina virtus pateret

Multo enim clarius cognita fuit Christi divina virtus et potentia Lazarum mortuum divinissimo miraculo suscitando, quam fuisset infirmum et male habentem curando. Divina autem cognitio nobis summe utilis est, nam: *Haec est... vita aeterna, ut cognoscant te... Deum verum, et quem misisti Iesum Christum.* [67] Voluit agnosci quam magnus amicus sit; propterea in hodierno Evangelio multa de Christi magnitudine dicuntur. Ostenditur auctor sanitatis: *Domine, ecce quem amas infirmatur;* [68] *Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus;* [69] nam ubi sol est non potest esse obscuritas, nec timeri

58) Cf. Mt 8, 13; Lc 7, 10. 59) Cf. Io 4, 50. 60) Cf. Mt 15, 28; Lc 17, 14.
61) Cf. Io 9, 7. 62) Ibid. 11, 37. *Et* subiungitur in aliquibus codicibus. Cf. *Biblia Lovaniensis*; Eb. Nestle *Novum Test.*, h. l. 63) Cf. Mt 8, 14; Mc 1, 30; Lc 4, 38. 64) Cf Io 5, 8-9.
65) Ibid. 11, 4. 66) Cf. Ex 1, 11-14. 67) Io 17, 3. 68) Ibid. 11, 3. 69) Ibid. vr. 32.

nox, quandiu sol ibi permanserit; ostenditur homo qui apud omnipotentem Deum omnia potest: *Nunc scio quia quaecunque poposceris a Deo dabit tibi Deus;* [70] ostenditur auctor vitae et destructor mortis: *Ego sum resurrectio et vita;* [71] ostenditur verus Messias: *Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti;* [72] et tandem quod sit unigenitus Filius Dei et verus Deus: *Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.* Ut vere talis manifestissimo ac divinissimo miraculo Dominus agnosceretur, noluit Lazarum infirmum sanare, sed mortuum et putridum in monumento divino suo imperio suscitare: *Lazare, veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus.* [73] Quo viso miraculo, *multi... ex Iudaeis crediderunt in eum.* [74]

et tanquam Deus agnosceretur.

Vult Dominus ut eum [75] Deum omnipotentem agnoscamus, quia ex vera certaque hac cognitione pendet omnis nostra salus, ex cognitione hac certa firmaque fides: *Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi;* ex hac cognitione, oratio et recursus ad Christum in omni tribulatione: *Domine, ecce quem amas infirmatur;* ex hac cognitione, religio, nam Maria cum lacrimis procidit ad pedes Christi dicens: *Domine, si fuisses hic, non fuisset mortuus frater meus;* ex hac, obedientia mandatorum Christi: *Tollite lapidem;* [76] ex hac tandem, consecutio maximorum beneficiorum, qualis fuit suscitatio Lazari afflictis sororibus, nam erat eis Lazarus frater, maritus, pater, baculus totius domus et familiae.

nam ex clara et certa cognitione divinitatis Christi pendet omnis nostra salus.

VI. Ostenditur autem divinissimi huius nostri Christi divina non tantum caritas, verum etiam sapientia; nam absens novit quando Lazarus mortuus est, unde Apostolis manifeste dixit: *Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos, quia non eram ibi, ut credatis.* [77] En alter finis divini huius miraculi: *Ut credatis;* et in monumento ad Patrem ait: *Ut credant quia tu me misisti.* [78] Prior finis: *Pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam;* posterior: *Ut credatis.* Finis miraculorum Christi gloria Dei et salus ac utilitas nostra pro gemina caritate; nam Christus summus amicus est tum Dei tum nostri; sicut, e contra,

Ostenditur etiam in hoc miraculo infinita Christi sapientia.

70) Ibid. vr. 22. 71) Ibid. vr. 25. 72) Ibid. vr. 27. 73) Ibid. vrr. 43-44. 74) Ibid. vr. 45. 75) Ms.: *Eum* bis ponitur. 76) Io 11, 39. 77) Ibid. vrr. 14-15. Vulg.: *Ut credatis quoniam non eram ibi.* 78) Ibid. vr. 42.

satanas summus inimicus et Dei et hominum, propterea superseminavit zizania in medio tritici. [79] Summus Dei amicus Christus; propterea ait Martha : *Nunc scio quia quaecunque poposceris a Deo dabit tibi Deus.* Et Christus: *Sciebam quia semper me audis; sed propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti.* [80]

eius divina omnipotentia,

Ostenditur etiam Christi divina omnipotentia in eo quod ait : *Lazarus amicus noster dormit, et vado ut a somno excitem eum.* [81] Tam facile Christus Lazarum suscitavit, quam facile Angelus dormientem Petrum in carcere Herodis excitavit. [82] Hinc tantum dixit : *Lazare, veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus;* tanquam a dulci somno eum excitavit; sic : *Lazarus amicus noster dormit, et vado ut a somno excitem eum.* In quibus verbis tria comprehenduntur divinitatis idiomata : potentia, qua mors Lazari Christo erat levis somnus ; sapientia, qua, absens cum esset, novit eum mortuum, nam de morte dixerat, non de dormitione somni, ut Apostoli intellexerunt et dixerunt : *Domine, si dormit, salvus est;* [83] tertio, divina caritas, nam : *Lazarus amicus noster dormit.*

et erga electos suos immensa caritas, qua mortem illis reddit desiderabilem,

Plane divina caritas electis suis mortem convertit in dulcem somnum valde desiderabilem. Multi nanque dulcem somnum valde desiderant, sic nunc veri Dei electi mortem. De Stephano legimus quod: *Dormivit in Domino.* [84] Dulcem autem hunc somnum sequetur experrectio ad aeternam et beatissimam vitam, mirabilis suscitatio, sicut legimus quod : *Multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt et... venerunt in sanctam civitatem et apparuerunt multis.* [85] Si *apparuerunt,* in gloria surrexerunt non iterum morituri.

aeternusque amor, quo per sacramentum Poenitentiae peccata remittit.

In eo autem quod ait Ioannes de divinissimo hoc Amico nostro quod *diligebat,* [86] ostenditur amoris huius perpetuitas, longa vetusque amicitia : *Caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans* [87] tui. Ex hoc divino amore oritur peccatorum remissio, unde hodie in mysterio Dominus instituit Poenitentiae sacramentum, dum Apostolis ait : *Solvite eum et sinite abire.* [88]

VII. Magnum valde est hodiernum miraculum ab auctore, a subiecto, a modo, a causa, a scopo, a fine et tandem magnum a my-

79) Cf. Mt 13, 25. 80) Io 11, 42. 81) Ibid. vr. 11. Vulg. : *Sed vado*, etc.
82) Cf. Act 12, 4-10. 83) Io 11, 12. 84) Act 7, 60. 85) Mt 27, 52-53.
86) 11, 5. 87) Ier 31, 3. 88) Io 11, 44.

sterio. Magnum imo maximum omnium miraculorum, quae Christus extra se operatus est, quoniam omnium maxime excessit vires naturae, omnium maxime impossibile viribus naturae creatae. Magnum ab auctore, quia Christus se Dei Filium et Deum dicit: *Pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei; Videbis gloriam Dei; Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* Magnum a causa, quae movit Christum ad hoc opus, quia amor, caritas, amicitia vera. Nam *omni tempore diligit qui* verus *amicus est, et frater in angustiis comprobatur,* ait in *Proverbiis* Salomon; [89] et ut ille ait:

A multis magnum ostenditur hoc miraculum.

« Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides ». [90]

Non fuit Christus de caterva fictorum amicorum, de quibus ait:

« Dum eris felix multos numerabis amicos
Tempora si fuerint nubila, nullus erit ». [91]

Vera amicitia est sicut fluvius perennis, non sicut torrens, non sicut argentum vivum, quod aurum in igne relinquit, non sicut hirundines, quae nobiscum manent quandiu bona tempora durant, advenientibus autem malis aufugiunt nosque relinquunt. Magnum a subiecto, quoniam suscitavit hominem divitem, nobilem, illustrem; magnum a scopo: *Ut credant quia tu me misisti;* magnum a fine: *Pro gloria Dei;* magnum etiam ab effectu, ex nullo enim alio miraculo talem tantamque gloriam consecutus est Christus, sicut ab hoc suscitationis Lazari, tum quia hodie *multi crediderunt in eum,* tum quia honor Christo exhibitus in die palmarum fuit propter famam huius miraculi: *Propterea . . . obviam venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum.* [92] Magnum a modo, quia multis cum circumstantiis loci, temporis, personarum, ut miraculum ab omni calumnia eximeret.

Magnum miraculum, quia magnum opus divinae potentiae et evidens demonstratio divinae caritatis. Multa Deus contulit homini, sed super omnia est quod eum dignum existimavit sua gratia et amicitia. Multa Deus contulit Abrahamo, sed hoc singulare est quod *amicus Dei appellatus* [93] fuit. Multa Moysi, sed hoc super omnia

sed praesertim a mysterio, quia est evidens demonstratio divini amoris erga hominem.

89) 17, 17. 90) Ovid. *Tristium,* lib. 1, eleg. 5, vrr. 25-26. 91) Ibid. eleg. 9, vrr. 5-6. « Donec eris felix . . . solus eris. » 92) Io 12, 18. 93) Gn 5, 6; Rom 4, 3; Gal 3, 6; Iac 2, 23.

quod conversabatur cum eo Deus sicut amicus cum amico.[94] Cum autem Christus ille ipse sit Deus, Lazarum hodie amicum suum dicit: *Lazarus amicus noster dormit.* In creatione hominis hoc maxime ponderatur et replicatur quod factus sit *ad similitudinem Dei,*[95] similitudo autem causa amoris est; quod dignus factus fuerit gratia et amore sui Creatoris.[96] De Enoch singulariter dicitur quod *cum Deo ambulavit,*[97] idest Dei amicus, domesticus et familiaris fuit; hoc item de Noe, quod *cum Deo ambulavit,*[98] et *invenit gratiam coram Domino.*[99]

A multis etiam ostenditur magnitudo amoris Christi,

Sicut autem apparuit Dominus Moysi in flamma ignis,[100] ita videtur hodie Christus in medio flammarum amoris et caritatis. Ostenditur autem magnitudo huius amoris a subiecto, ab obiecto et ab effectibus nec non etiam a fine. Quoniam *diligebat... Iesus,* unigenitus Filius Dei, verus Deus: *Pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei; Ego sum resurrectio et vita; Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti; Si credideris, videbis gloriam Dei; Hic qui aperuit oculos caeci nati,* hic est qui *diligebat.* Obiectum autem dilectionis Lazarus: *Ecce quem amas; Diligebat Lazarum; Lazarus amicus noster; Ecce quomodo amabat eum; Lazarus a Bethania, de castello Mariae et Marthae sororum eius,* homo, cuius causa a Deo condita sunt universa. Nec mirum quod diligeret Lazarum sanum, hominem in statu innocentiae et iustitiae; sed quod diligat Lazarum infirmum, dormientem, mortuum, sepultum, fetentem quatriduanum in monumento, hoc mirum quod sic Deus dilexerit mundum,[101] qui *totus in maligno positus est.*[102] Finis autem est gloria Dei: *Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam; Si credideris, videbis gloriam Dei.*

praesertim ab effectibus.

Sed maxime ab ipsis effectibus elucet, quia ad suscitandum Lazarum venit a Galilaea in Iudaeam. Reperimus effectus divini huius amoris ante mortem, in morte et post mortem. Ante mortem solum legimus quod *diligebat* eum; in morte, quod venit et suscitavit eum veluti dormientem a somno; post mortem, iussit eum solvi et liberum abire; discubuit cum eo et habuit eum commensalem, domesticum, familiarem valde; magni autem momenti est amicitia et familiaris conversatio cum summis principibus.

94) Cf. Ex 33, 11. 95) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 96) Cf. ibid. 2, 15 sqq. 97) Ibid. 5, 22-24. 98) Ibid. 6, 9. 99) Ibid. vr. 6. 100) Cf. Ex 3, 2. 101) Cf. Io 3, 16. 102) 1 Io 5, 19.

ALIA HOMILIA

Erat quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariae et Marthae sororum eius. [1]

I. Habemus in hodierno Evangelio miraculum, quod vere est corona miraculorum Christi, sol inter sidera. Magnum miraculum quoad historiam, quoniam clarissima et evidentissima extitit demonstratio divinitatis Christi: *Ut credant quia tu me misisti;* [2] *Pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam;* [3] *Gaudeo propter vos, ut credatis, quia non eram ibi.* [4] Elucet etiam in eo quoad allegoriam quidem, imago totius mysterii redemptionis nostrae; quoad tropologiam, imago mysterii iustificationis peccatoris, et quoad anagogiam, imago mysterii glorificationis in futura mortuorum resurrectione in die iudicii. Quod autem nunc ad tropologiam spectat, Lazarus mortuus ligatus fuerat manus et pedes institis, [5] suscitatus autem a Domino iubetur solvi; ait enim: *Solvite eum et sinite abire.* [6] Cum autem Dominus Apostolis dedit clavium regni coelestis potestatem, dixit: *Quaecunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo; et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.* [7] Sicut et Petro dixerat: *Tibi dabo claves regni coelorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis.*[8] Post resurrectionem vero ait: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* [9] Peccatores ligantur ecclesiasticis poenis et censuris, dum in peccatis mortui sunt; suscitati autem in spiritu, solvi iubentur. Docet sacrosanctum hodiernum Evangelium quod mortui in spiritu peccatores, in letali crimine perseverantes, ligandi sunt; vivificati vero divinitus per poenitentiam, per contritionem cordis, absolvendi; ne sint sacerdotes sicut pseudoprophetae, de quibus conqueritur Dominus per Ezechielem dicens, quod interficiebant animas quae non moriebantur, scilicet non erant dignae morte,

Miraculum hoc quoad historiam ostendit Christi divinitatem,

quoad allegoriam significat redemptionem nostram, quoad anagogiam resurrectionem mortuorum,

quoad tropologiam Poenitentiae institutionem et peccatorum remissionem.

1) Io 11, 1 Vulg.: *Sororis eius.* Cf. not. 1 praec. hom., pag. 397. 2) Ibid. vr. 42. 3) Ibid. vr. 4. 4) Ibid. vr. 15. Vulg.: *Quoniam non eram ibi.* 5) Cf. ibid. vr. 44. 6) Ibid. 7) Mt 18, 18. 8) Ibid. 16, 19. 9) Io 22, 23.

et vivificabant animas quae non vivebant, idest quae indignae erant vitae beneficio; absolvebant nocentes et damnabant innocentes.[10]

Proponitur difficultas: si per contritionem peccata dimissa sunt, sacramentali confessione opus non erit amplius.

II. Insinuatur autem in hoc Evangelio solutio dubii illius, quod magnum videtur esse in sacra theologia: quid opus est confessione et sacramentali absolutione per sacerdotem homini, cui a Deo per contritionem iam sunt dimissa peccata? Si a Deo accepit remissionem peccatorum veramque absolutionem a Summo Pontifice Christo, ad quid sacramentalis absolutio? Et quomodo verum est quod sacerdos ait: « Ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis? »[10a] Imo quomodo absolvit a peccatis, si nullum habet peccatum, cui omnia dimissa sunt per contritionem?

Respondetur: per contritionem remittuntur quidem peccata, sed in virtute confessionis quam citius faciendae;

Magnum est in sacra theologia dubium quod multa torsit et exercitavit ingenia. Sed tamen Lazarus vivificatus a Christo opus habuit solutione: *Solvite eum et sinite abire.* Verum est autem quod homo peccator accipit remissionem peccatorum et per contritionem cordis, in virtute tamen confessionis et in sacramentali Confessione, sicut baptizatus Baptismo flaminis accipit gratiam Dei delentem originale peccatum, similiter etiam baptizatus Baptismo fluminis; sed in Baptismo flaminis accipit virtutem Baptismi fluminis; et, si potest, baptizatus Baptismo flaminis debet quam citius potest accipere Baptismum fluminis.

per contritionem enim remittuntur vi gratiae, per confessionem vero vi iustitiae;

Accidit autem duplex haec remissio quoniam apud Deum est thronus gratiae, sicut P a u l u s ait: *Accedamus cum fiducia ad thronum gratiae* eius,[11] et est tribunal iustitiae. Per contritionem accipit homo absolutionem in throno gratiae; sed per confessionem,[12] in throno iustitiae, quoniam ex virtute Sacramenti recto confesso debetur gratia de rigore iustitiae. Sicut potest quis absolvi a creditore et liberari a carcere per gratiam, condonato debito, et per iustitiam, numerata pecunia, quae quidem absolutio et liberatio multo potior est; et potest reus a iudice vel principe liberari a morte per gratiam; potest etiam per iustitiam, lata sententia liberationis ex iustitia. Sic in contritione absolvitur homo veluti per gratiam; in confessione vero per iustitiam.

10) Cf. 13, 9. 10a) Rituale Rom. tit. 3, cp. 2. 11) Hebr 4, 16. Vulg.: *Adeamus*, etc. Cf. supra, Feria Quinta Dom. Primae Quadr., not. 118, pag. 119. 12) Ms.: *Contritionem* loco: *Confessionem*.

Qui liberatur a carcere ratione debitorum, potest quidem liberari ad tempus, si usque ad tale tempus solverit debitum; et potest liberari simpliciter et absolute. In contritione dimittitur a carceribus, sed ad tempus, sicut ille qui inventus fuit debitor regi decem millium talentorum dicebat: *Patientiam habe in me et omnia reddam tibi.* [13] Hoc symbolum est contritionis, nam: *Dimisit eum et debitum dimisit ei;* [14] sed ad tempus, nam postea coniectus fuit in carcerem donec solveret *universum debitum.* [15] In confessione autem liberatur absolute; accipit Sacramentum absolutionis et munus gratiae, sicut etiam saepe reiterans confessionem rate et rite factam, studio virtutis, vere semper absolvitur, quia semper recipit Sacramentum absolutionis et virtutem Sacramenti, gratiam Spiritus Sancti, qua, si in peccato esset, iustificaretur et qua semper ab aliquo vinculo absolvitur.

et per contritionem remissio peccatorum datur sub conditione impossibilitatis confessionis, per confessionem vero absolute.

Nam, non tantum peccata dicuntur vincula, sed etiam poenae peccatorum, sive reatus poenarum itemque, ut ita dicam, reliquiae peccati aut vestigia quaedam ipsius et cicatrices, ut puta, caecitas mentis, fragilitas carnis, infirmitas naturae, tepiditas affectus, diffidentia quaedam in Deum, metus irae divinae, proclivitas ad peccandum, ardor concupiscentiae, maior vis satanae ad tentandum. Frequentibus autem confessionibus acquiritur semper maior copia gratiae, qua homo in dies ab his vitiorum vinculis et vi passionum atque affectionum pravarum magis ac magis absolvitur. Hinc Regius Vates, cum iam accepisset per Nathan prophetam absolutionem peccatorum suorum a Deo: *Dominus . . . transtulit peccatum tuum,* noli timere, *non morieris,* [16] saepe tamen orabat: *Dele iniquitatem meam; amplius lava me ab iniquitate mea et a peccato meo munda me; quoniam iniquitatem meam ego cognosco et peccatum meum contra me est semper . . . Asperge me,* Domine, [16a] *hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor . . . Averte faciem tuam a peccatis meis et omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.* [17] Sic saepe peccatorum suorum coram Deo confessionem repetebat, ut vinculis peccatorum perfectissime absolveretur. Sic vivificatum Lazarum Christus iussit absolvi: *Solvite eum et sinite abire,* sicut mundatum leprosum misit ad sacer-

Sacramentalis confessio repetita non tantum peccata, sed et reliquias peccatorum delet.

13) Mt 18, 26. 14) Ibid. vr. 27. 15) Ibid. vr. 34. 16) 2 Rg 12, 13.
16a) *Domine* subiungitur in aliquibus codicibus. Cf. *Biblia Lovaniensis.* 17) Ps 50, 3-11.

dotes ut sacrificium offerret quod lex praecipiebat;[18] nam propterea contrito opus est sacramentali confessione, quia Deus sic praecipit et sic vult fieri.

Multa mysteria proponuntur consideranda in hodierno Evangelio.

III. In hodierno Evangelio quoad historiam proponitur miraculum, opus divinae potentiae et caritatis; quoad allegoriam, mysterium redemptionis nostrae: *Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti;*[19] quoad tropologiam, mysterium nostrae iustificationis per fidem. Hinc fides quam maxime requiritur: *Gaudeo propter vos ut credatis;*[20] *Ego sum resurrectio et vita... Credis hoc?... Ego credidi;*[21] *Si credideris, videbis gloriam Dei;*[22] *Ut credant quia tu me misisti;*[23] nam Deus fide purificat corda.[24] Tandem, mysterium glorificationis Sanctorum: *Ego sum resurrectio et vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet, et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum.*[25]

18) Cf. Mt 8, 4; Mc 1, 44; Lc 5, 14. 19) Io 11, 27. 20) Ibid. vr. 15. 21) Ibid. vrr. 25-27. 22) Ibid. vr. 40. 23) Ibid. vr. 42. 24) Cf. Act 15, 9. 25) Io 11, 25.

DOMINICA PASSIONIS

Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dixi vobis, quare non creditis? [1]

I. Saepe Divinae Litterae praedicant sanctitatem Dei eiusque infinitam bonitatem super omnia alia Dei idiomata divinaque attributa. Seraphim apud Isaiam trisagium canunt: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus... exercituum: plena est omnis terra gloria eius,* [2] cum Dominus supra templum sedebat tanquam omni sanctitate superior et solis instar mundum divinis splendoribus replebat; [3] hoc enim est: *Plena est omnis terra gloria eius.* Sancta animalia apud Ioannem in *Apocalypsi* nihil aliud agunt: *Quattuor,* inquit, *animalia singula... senas alas habebant in circuitu: et intus plena sunt oculis, et requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens.* [4] An nihil aliud laude dignum reperiunt spiritus beatissimi in Deo, qui nonnisi sanctitatem eius perpetuis laudibus celebrant?

Deus infinita sanctitas est semper laudanda.

Est Deus sicut sol, qui pluribus quidem nominibus laudari potest: a naturae nobilitate, quoniam nobilissimum coeli sidus est, princeps et rex stellarum; a magnitudine, quia luminare magnum, omnium maximum; a pulcritudine, unde *sponsum* eum Regius Vates appellavit: *Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo;* [5] a potentia et virtute, unde: *Exultavit ut gigas;* [6] multa nanque sol operatur in universali natura, virtute eius procreantur omnia quae vel in terra vel in mari generantur; a motus pernicitate: *Ut gigas ad currendam*

Sicut sol maxime ob lucem splendidissimam magnificatur.

1) Pericope huius diei Io 8, 46-59. Cf. Missale Rom. Vulg.: *Si veritatem dico vobis,* etc.
2) 6, 3. 3) Cf. ibid. vr. 1. 4) 4, 8. Vulg.: *Habebant alas senas, et in circuitu et intus,* etc. In *Biblia Lovaniensi,* quae usui S. Auctori erat, legitur hac interpretatione quam et ms. exhibet: *Habebant alas senas in circuitu: et intus plena sunt oculis.* 5) Ps 18, 6. 6) Ibid.

viam; a summo coelo egressio eius, et occursus eius usque ad summum eius; [7] a vi caloris vitalis : *Nec est qui se abscondat a calore eius.* [8] Sed tamen nonnisi a luce quam maxime laudatur, quoniam haec in eo maxime conspicua est.

sic Deus maxime laudatur ob infinitam sanctitatem;

Ita plane Deus laudari potest ab infinita virtute et omnipotentia, a pari sapientia, maiestate, gloria, magnitudine infinita aeternaque immensitate. Sed tamen beatissimorum spirituum oculis in Deo sanctitas quam maxime conspicua est. Hinc *sol* appellatus est, sed *sol iustitiae;* [9] hinc Regius Vates in novissimo *Psalmo* veluti compendio colligens omnes divinas laudes, quas in toto suo *Psalterio* cecinerat, sanctitatem primo loco posuit : *Laudate Dominum in sanctis eius,* – hebraice : *In sanctitate eius, – laudate eum in firmamento virtutis eius,* hoc est in creatione coeli, in opere manifestissimo divinae potentiae, *laudate eum in virtutibus eius,* in miraculis et prodigiis ab eo factis ad ostensionem infinitae potestatis suae, *laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius,* [10] quoniam in multis se ostendit magnum, immensum, infinitum. Sed, ut dixi, principem locum sanctitati dedit. Sic alibi laudandum Deum iustis praedicat, sed item a sanctitate incipit : *Quia rectum est verbum Domini et omnia opera eius in fide,*[11] absque ulla pravitate, sicut Moyses ait : *Deus fidelis et absque ulla iniquitate;* [12] sic : *Omnia opera eius in fide ; diligit misericordiam et iudicium,* hebraice : *Iustitiam et iudicium;* [13] sed iustitia pro misericordia et pietate sumitur : *Misericordia Domini plena est terra.* [14] Deinde monet laudandum Deum a potentia : *Verbo Domini coeli firmati sunt et spiritu oris eius omnis virtus, exercitus, eorum;* [15] sanctitatem praeposuit potentiae, quam ostendit Deus manifeste in creatione mundi.

Ideo *mirabilis in sanctitate* praedicatur, imo ipsa *sanctitas,*

Hinc *mirabilis in sanctitate* praedicatur : *Quis similis tui in fortibus, Domine ? quis similis tui, mirabilis in sanctitate, terribilis atque laudabilis et faciens mirabilia ?* [16] Sic etiam : *Mirabilis Deus in sanctis suis,* hebraice : *In sanctitate sua.* [17] Hinc *sanctitas* appellatur : *Confitemini memoriae sanctitatis eius.* [18] Si rex et imperator dicitur maiestas; magnus dux aut archidux, altitudo; princeps reipublicae, serenitas aut sublimitas; pro-rex et supremus regni

7) Ibid. vr. 7. 8) Ibid. 9) Mal 4, 2. 10) Vrr. 1-2. 11) Ps 32, 4.
12) Dt 32, 4. 13) Ps 32 (hebr. 33), 5. 14) Ibid. 15) Ibid. vr. 6.
16) Ex 15, 11. Vulg. : *Magnificus in sanctitate*, etc. 17) Ps 67 (hebr. 68), 36.
18) Ps 29, 5.

aut status praefectus, excellentia; ita Deus *sanctitas* dicitur; quo etiam titulo Summus Pontifex Christi Deique Vicarius honoratur. Sic ait: *Confitemini memoriae sanctitatis eius.*

Hoc modo etiam *maiestas* appellatus est: *Honor regis*, idest *maiestas regis, iudicium diligit.* [19] Quo loco Regius Vates sanctitatem Dei a multis celebrat: *Dominus*, inquit, *in Sion magnus et excelsus super omnes populos;* [20] sed qua in re magnus? *Confiteantur nomini tuo, quoniam terribile et sanctum est.* [21] Laudat sanctitatem Dei a comparatione, quoniam *sedet super Cherubim,* [22] superior Angelis sanctitate; *Excelsus super omnes populos*, superior cunctis hominibus. Laudat ab affectu animi: *Honor regis iudicium diligit, diligit misericordiam et iudicium.* Laudat a loco: *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est,* [23] sicut Moysi dixit: *Solve calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est.* [24] Laudat a ministris sanctis: *Moyses et Aaron in sacerdotibus eius, et Samuel inter eos, qui invocant nomen eius;* [25] indicium optimi principis est qui in curia sua non vult nisi probos viros, omni virtute ornatos. Laudat a sanctis legibus et ab operibus: *Tu parasti directiones*, rectitudines, iustissimas et sanctissimas leges, *iudicium et iustitiam in Iacob tu fecisti.* [26] Laudat a favore bonorum et punitione malorum: *Domine Deus noster, tu exaudiebas eos; Deus, tu propitius fuisti eis*, sed tamen *ulciscens . . . omnes adinventiones eorum,* [27] idest peccata eorum, ut patet in deserto et in captivitatibus. Tandem concludit: *Exaltate Dominum Deum nostrum et adorate in monte sancto eius, quoniam sanctus Dominus Deus noster.* [28]

quam Regius Vates a multis celebrat.

Magnus sacerdos gestabat in capite auream laminam instar coronae, in qua scriptum erat: *Sanctum Domino,* [29] hebraice: קֹדֶשׁ לַיהוָה [30] tetragrammaton, *sanctitas Domino*, quasi diceret: Solus Deus sanctus est, Angeli et homines non sancti, sed sanctificati proprie sunt, sicut solus sol lucidus, alia coeli luminaria non lucida, sed illuminata sunt; solus Deus natura sanctus. Sicut ignis natura calidus, ita ut nec minimum possit frigoris gradum admittere; ita Deus nec

Angeli et iusti proprie sanctificati sunt, solus Deus natura sanctus est, hinc Sanctus Sanctorum dicitur.

19) Ps 98, 4. 20) Ibid. vr. 2. 21) Ibid. vr. 3. 22) Ibid. vr. 1. 23) Ibid. vr. 5.
24) Ex 3, 5. 25) Ps 98, 6. 26) Ibid. vr. 4. 27) Ibid. vr. 8. 28) Ibid. vr. 9.
29) Ex 28, 36. 30) Ms.: *Kodesc Ladonai.*

minimum peccatum. Propterea visus fuit Danieli [31] indutus veste candida sicut nix, [32] absque ulla penitus macula. Ideo locus divinae habitationis *sanctum sanctorum*, sive *sanctitas sanctitatum* dicebatur, [33] idest purissima sanctitas, sicut *coelum coelorum*, [34] idest altissimum ac supremum coelorum, sicut *Rex regum et Dominus dominantium*, [35] summus rex et imperator, sicut Papa Pater patrum, Pastor pastorum, Episcopus Episcoporum: Summus Pastor, Summus Episcopus, Summus Pontifex; sic cum Deus dicitur *Deus deorum*, [36] idest Deus potentissimus supra omnes mundi potentatus; sic Deus Sanctus Sanctorum.

Infinitam Dei sanctitatem nec umbra quidem peccati maculare potest; talis autem est etiam sanctitas Christi, qui Filius Dei est.

II. Sicut autem umbra terrae, quae aliquando usque ad lunam pertingit ipsamque obscurat et eclypsat, impossibile est ut solem eclypset, quoniam sol fons lucis omnis est et potentissimus tenebrarum omnium fugator, ita impossibile est ut peccatum pervenire possit ad Deum divinamque puritatem maculare, sicut humanam maculavit. Cum igitur Deus suapte natura sanctus et immaculatus sit, omnino absque vel minima peccati macula, non mirum si Christus ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Nam Christus verus est Deus: *Antequam Abraham fieret, ego sum,* [37] dixit hodie alludens ad illud quod Moysi dixit Deus: *Ego sum qui sum.* [38]

Per templum figurabatur triplex Christi sanctitas: humana, angelica, divina, quia in eo divinitas inhabitabat.

In templo dixit hoc Dominus; templum autem domus Dei erat. De Christo autem praedictum fuerat: *Statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis . . .; ipse . . tanquam ignis conflans et sicut herba fullonum, et sedebit conflans et emundans argentum et colabit filios Levi . . . sicut aurum et sicut argentum.* [39] Templum Christi dicitur, utique quia Deus in templo erat quod triplici parte constabat, [39a] quoniam in universum triplex est sanctitas: humana in Ecclesia militante in terris, angelica in Ecclesia triumphante in coelis, et tandem divina, suprema, sicut coelum empyreum supra aerem, supra aetherem. Christus autem omni sanctitate donatus est, humana, angelica, divina, quoniam in eo *omnis*

31) Ms.: *Danielis.* 32) Cf. 7, 9. 33) Cf. Ex 26, 1 sqq. Cf. supra, Feria Secunda Dom. Quartae Quadr., not. 109-111, pag. 349. 34) 2 Par 2, 6; Ps 148, 1; Eccli 16, 16. 35) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 36) Dt 10, 17; Ps 49, 1. 37) Io 8, 58. 38) Ex 3, 14. 39) Mal 3, 1-3. Vulg.: *Quasi ignis conflans et quasi herba... et purgabit filios Levi... quasi aurum et quasi argentum.* 39a) Cf. 3 Rg 6, 2-7, 1-35.

plenitudo divinitatis. [40] Sic ipse Sanctus Sanctorum, superior hominibus, Patriarchis, Prophetis, Apostolis; superior Angelis, Archangelis, Cherubim, Seraphim; in sanctitate aequalis summo Deo omnis sanctitatis aeterno fonti.

Tali tantaque sanctitate donatus fuit Christus, quia venerat ad sanctificandum mundum.

Ob quam vero causam talem tantamque Deus Christo contulerit sanctitatem – *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum,* [41] *Requiescet super eum Spiritus Domini,* [42] *Descendit super eum Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba,* [43] – manifestum est in Sacris Litteris, quoniam veniebat Christus ad sanctificandum mundum: *Ipse... salvum faciet populum suum a peccatis eorum,* [44] sicut sol mundum salvum facit a tenebris, ignis a frigore, cibus a fame, potus a siti; propterea dictus est *sol iustitiae,* [45] *ignis divinus,* [46] *panis vitae,* [47] *fons aquae* vivae *salientis in vitam aeternam.* [48] Hoc docuit Ioannes dicens: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis... plenum gratiae et veritatis... et de plenitudine eius omnes nos accepimus,* [49] Quasi dicat quod, sicut Deus in mundi creatione propterea tanta luce implevit solem, ut de plenitudine lucis solaris acciperent omnes stellae, universum coelum, totus mundus claritatem et lumen; sic propterea Deus tanta gratia et sanctitate Christum implevit, ut de plenitudine huius gratiae nos omnes acciperemus, a Christo sanctificaremur, pristinae sanctitati per Adami peccatum amissae restitueremur.

Sanctitas sola via est ad salutem;

III. Nam ad salutem sanctitas summopere necessaria est, sine qua paradisus possideri non potest. Amissa sanctitate, pulsi fuerunt de coelo Angeli, [50] pulsi de paradiso homines; [51] haec scala coeli est, [52] sine qua ascendere paradisum gloriae Dei non licet; haec stola et vestis nuptialis, sine qua expulsus fuit homo a nuptiis. [53] Ioannes in coelo Sanctos omnes vidit amictos *stolis albis;* [54] Christi vestimenta in transfiguratione erant *alba sicut nix.* [55] *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?... Qui ingreditur sine macula;* [56] *Quis stabit in monte sancto eius? Innocens corde et manibus.* [57] Propterea igitur venit Christus tali tantaque sanctitate plenus, *sol iustitiae.*

40) Col 2, 9. 41) Io 10, 36. 42) Is 11, 2. 43) Lc 3, 22. Vulg.: *Descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum.* 44) Mt 1, 21. 45) Mal 4, 2. 46) Cf. Hebr 12, 29. 47) Io 6, 35. 48. 48) Ibid. 4, 14. 49) 1, 14-16. 50) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6. 51) Cf. Gn 3, 23-24. 52) Cf. ibid. 28, 12-13. 53) Cf. Mt 22, 11-13. 54) Apc 7, 9. 13. 55) Mt 17, 2. 56) Ps 14, 1-2. 57) Ps 23, 3-4. Vulg.: *Innocens manibus et mundo corde.*

Erant autem homines sanctificandi per fidem. Nam propterea periit homo et de paradiso expulsus fuit, quia peccavit; peccavit autem quia satanae promittenti immortalitatem ex pomi vetiti esu magis credidit, [58] quam Deo comminanti mortem. [59] « Contraria autem contrariis curantur », [60] « calida frigidis, frigida calidis » ; [61] per fidem curanda est incredulitas ; hinc ait : *Fides tua te salvum fecit,* [62] *Fides tua te salvam fecit;* [63] hinc Petrus praedicat : *Fide purificans corda eorum;* [64] hinc Christus: *Ut omnis qui credit... non pereat, sed habeat vitam aeternam.* [65] Veneno peccati antidotum adhibet fidei : *Nisi credideritis... moriemini in peccato vestro.* [66]

radix autem sanctitatis fides est, sicut radix peccati incredulitas fuit;

Fides autem, ait Paulus, *ex auditu, auditus autem per verbum Christi;* [67] ad verbum autem praedicandum optimo opus est praedicatore. In hoc autem, ut dignus sit, duo vel maxime requiruntur : vitae sanctitas et doctrinae veritas. Duo enim haec in Prophetis requirebat Deus ; [68] duo haec contulit Isaiae, cum eum ad praedicandum mittere volens, prius seraphico ministerio labia purgavit ; [69] duo haec contulit Ieremiae : sanctificavit eum et posuit verba sua in ore ipsius. [70] Sic Christus duo haec coniungit hodie : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ecce vitae sanctitas: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Praeceptum, inquit, Dei in lege est, ut credatur prophetae, cuius fuerit vita sancta et doctrina vera. Si ergo, inquit, negare non potestis me talem esse, non potestis vel vitam vel doctrinam meam arguere, *quare non creditis mihi?* Novi, inquit, causam : *Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis quia ex Deo non estis.* [71] Si, inquit, filii Dei, veri servi Dei essetis, si partes Dei sequeremini, ut boni subditi et vassalli partes sui principis, audiretis verba Dei, crederetis et opere impleretis quae praedicantur vobis. Cum autem haec minime praestetis, manifestum est quod *ex Deo non estis*, quod partes satanae sectamini, nam : *Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum, spargit.* [72] Non Dei, sed Pharaonis servi estis, non veri Hebraei, sed Aegyptii, sed Cha-

sed fidei vehiculum praedicatio est, praedicatio autem cum sanctitate et doctrina coniungi debet,

sicut Christus in seipso ostendit et hodie docuit arguens Pharisaeos.

58) Cf. Gn 3, 4-5. 59) Cf. ibid. 2, 16-17. 60) Aphorismus Hippocratis, de quo cf. Galenus *De Sanitate tuenda*, lib. 1, cp. 7, f. 65ª; lib. 5, cp. 1, f. 93ª; cp. 12, f. 94ᵇ.
61) S. Gregorius M. *Hom. 32 in Evang.*, (P. L. 76, 1232). 62) Mc 10, 52; Lc 17, 19; 18, 42. 63) Mt 9, 22; Mc 5, 34; Lc 7, 50; 8, 48. 64) Act 15, 9. 65) Io 3, 15. 66) Ibid. 8, 24. Vulg. *Si... non credideritis*, etc. 67) Rom 10, 17. 68) Cf. Dt 13, 1-5; 18, 18 sqq. 69) Cf. Is 6, 6-10 70) Cf. Ier 1, 5-10. 71) Io 8, 47.
72) Lc 11, 23. Vulg.: *Dispergit*, loco : *Spargit*.

nanaei. Sed scitote quod qui *sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum;* [73] nisi vos quoque servaveritis, peribitis in aeternum. Quod prius dixerat credere et postea audire verba Dei, nunc servare sermonem dixit, nam: *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.* [74]

Exhibentur etiam in hodierno Evangelio signa electorum Dei

IV. Ponuntur autem in hodierno Evangelio signa quaedam et stigmata verorum electorum Dei et etiam reproborum. Qui Dei sunt electi et partes Dei sequuntur ex animo, sunt Christo similes, nam: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui.* [75] De Christo autem plura legimus hodie: primo quidem, vitam immaculatam; postea, verba veracia: *Veritatem dico vobis,* verba Dei loquor, nam: *Ex abundantia . . . cordis os loquitur;* [76] tertio, patientiam in ferendis iniuriis: *Nonne bene dicimus nos, quia samaritanus es tu et daemonium habes?* [77] quarto: *Ego daemonium non habeo;* [78] *Venit princeps mundi huius et in me non habet quicquam,* [79] nullum vel minimum peccatum aut vitium in animo; quinto: *Honorifico Patrem meum . . . non quaero gloriam meam;* [80] *Caritas . . . non quaerit quae sua sunt, sed quae Dei.* [81]

et signa reproborum,

Ponuntur etiam signa reproborum sequacium satanae. Primum est incredulitas: *Non creditis mihi;* [82] secundum, transgressio divinorum mandatorum: *Non auditis* verba Dei, non servatis; tertium, blasphemia et spiritus blasphemiae in Christum; quartum, inhonoratio Christi: *Vos inhonorastis me;* [83] quintum, lapidatio Christi: *Tulerunt . . . lapides ut iacerent in eum.* [84]

et utrorunque finis.

Sed ponitur etiam utrorunque finis: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum,* mortem utique secundam, consequetur vitam aeternam, sicut de seipso ait: *Est Pater meus qui glorificat me.* [85] Per oppositum vero, qui non servat Christi sermonem, videbit mortem aeternam, nam: *Qui credit in eum, non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* [86]

73) Io 8, 51. 74) Lc 11, 28. 75) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis Filii sui.* 76) Mt 12, 34; Lc 6, 45. 77) Io 8, 48. 78) Ibid. vr. 49. 79) Ibid. 14, 30. 80) Ibid. 8, 49-50. 81) 1 Cor 13, 4-5. 82) Hic in ms. inter lineas, eadem tamen manu, haec verba inveniuntur adiecta: « Observatio evangelicae legis: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum* ». 83) Io 8, 49. 84) Ibid. vr. 59. 85) Ibid. vr. 54. 86) Ibid. 3, 18.

Ut quis ad numerum electorum pertineat, requiritur fides

V. Videndum est, fratres mei, quaenam signa reperiantur in nobis: signa electorum Dei an signa reproborum, signa sequacium Dei an sequacium satanae. Signa electorum Dei sunt: sanctitas vitae, veritas oris, puritas cordis et glorificatio Dei, honor et gloria Dei, servare sermonem Christi, legem Dei, Evangelium Christi. Nunc, quaeso, fratres, inspiciamus nos diligenter, absque conniventia: ubi sunt haec signa electorum Dei in nobis? An non *mundus totus in maligno positus est?* [87] Ubi sanctitas vitae? Fidem a nobis requirit Dominus: *Quare non creditis mihi?* Qui ex Deo sunt, verba Dei audiunt.

cum caritate coniuncta;

Sed non solam fidem; ne nobis de fide blandiamur, sola non sufficit ad salutem: *Qui sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum: Oves meae,* inquit, *vocem meam audiunt et sequuntur me et ego vitam aeternam do eis.* [88] Videtis, videtis? auditis? *Vitam aeternam do eis,* quia audiunt vocem *et sequuntur me. Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Multi divinam hanc veritatem audire et credere nolunt, quod necessaria est vitae sanctitas ad salutem consequendam; sed divinam misericordiam praedicant, sicut apud M i c h a e a m legimus: *Non stillabit super nos, non comprehendet confusio. Dicit domus Iacob: Nunquid abbreviatus est spiritus Domini, aut tales sunt cogitationes eius?* [89] Sic spiritum Domini, idest caritatem et misericordiam divinam, magni faciunt. Quibus Dominus: *Nonne verba mea bona sunt cum eo qui recte graditur?* [90] Ad consequenda, inquit, beneficia mea opus est ut recte gradiamini.

hoc Divinae Litterae praedicant,

Hoc est quod saepe Divinae Litterae praedicant, quod ad salutem opus est vitae sanctitate: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?... Qui ingreditur sine macula et operatur iustitiam;* [91] *Quis ascendet in montem Domini?... Innocens manibus et mundo corde;* [92] *Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* [93] *Divertat a malo et faciat bonum, inquirat pacem et sequatur eam.* [94] Sic: *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur;* [95] sic homo sine veste nuptiali expulsus fuit a convivio et in tenebras exteriores missus. [96] Sic P a u l u s docet quod nec opera bona, nec etiam martyria prosunt ad vitam aeternam, sine caritate. Sic ait: *Pacem*

87) 1 Io 5, 19. 88) Io 10, 27-28. 89) 2, 6-7. Vulg.: *Non stillabit super istos*, etc. 90) Ibid. vr. 7. 91) Ps 14, 1-2. 92) Ps 23, 3-4. 93) Ps 33, 13-15. 94) 1 Petr 3, 11. Vulg.: *Declinet a malo*, etc. 95) Mt 7, 19. 96) Cf. ibid. 22, 11-13.

sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo Deum videbit. [97] Sic Dominus: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* [98] Sic etiam legimus: Si quis *totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* [99]

Hoc est quod hodie ait: *Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.* Sermonem autem Christi [servare] est ipsum imitari, ut eius similes simus, nam ait: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde;* [100] *Exemplum enim dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci..., ita et vos faciatis;* [101] *Vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.* [102] Christus vitam duxit immaculatam: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* vitam religiosam et piam: *Ego daemonium non habeo, sed honorifico Patrem meum.* Christus Deum semper novit, nec unquam factis negavit, nam multi: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant;* [103] sic hodie ait: *Quem vos dicitis quia Deus vester est, et non cognovistis eum; ego autem novi eum... scio eum.* [104] Christus patientissimus in ferendis iniuriis, ut hodie a Iudaeis contumeliis affectus: *Nonne bene dicimus nos quia samaritanus es tu et daemonium habes?* non acerbe respondit; lapidibus impetitus non retulit malum, sed: *Abscondit se et exivit de templo.* [105] Christus totus humilis: *Ego,* inquit, *non quaero gloriam meam; est qui quaerat et iudicet.* [106] Tales oportet nos esse veros christianos, veros Christi imitatores et sequaces, nam: *Qui sequitur me,* inquit, *non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae.* [107] Hoc est esse ex Deo: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.*

et docetur a Christo verbis et exemplis.

Multi scire cupiunt an sint in gratia Dei, an Dei caritate et amore digni sint, an sint grati et accepti Deo; sed videant an ipsis carus sit Deus, an Deus et quae Dei sunt placeant ipsis, nam: *Qui ex Deo est, verba Dei audit;* si sagittae verbi Dei corda nostra collimant, si feriant, si transfigant, nam hoc vel singulare signum est.

Aliud signum electorum est delectatio rerum divinarum.

97) Hebr 12, 14. 98) Mt 5, 8. 99) Iac 2, 10. 100) Mt 11, 29. 101) Io 13, 15. 102) 1 Petr 2, 21. 103) Tit 1, 16. 104) Io 8, 54-55. 105) Ibid. vr. 59. 106) Ibid. vr. 50. 107) Ibid. vr. 12.

ALIA HOMILIA

Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? [1]

Christus missus fuit in mundum ad tollendum peccatum, ideo oportuit eum maxima sanctitate donari.

I. Sicut omnipotens Deus ad tenebras profligandas et protrudendas inter multa coeli lumina solem lucidissimum creavit, [1a] in quo nulla penitus est macula nec vel minimus quidem naevus, ita, cum *mundus totus in maligno positus* [2] esset, ad tollenda mundi peccata Christum misit sanctissimum, divina caritate praeditum, in quo nulla esset penitissime vitii cuiusvis aut peccati macula. Unde a Malachia appellatus est *sol iustitiae.* [3] Hinc ait hodie: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Huius autem rei veluti causam reddit in fine hodierni Evangelii, dum ait: *Antequam Abraham fieret, ego sum,* [4] alludens ad illud *Exodi*, quod Deus Moysi dixit de medio rubi ardentis: *Ego sum qui sum.* [5]

Deus infinita sanctitas est, quae omnium creaturarum sanctitatem excedit;

De Deo autem legimus: *Deus fidelis et absque ulla iniquitate, iustus et rectus.* [6] Duo Testamenta sunt veluti duo Seraphim apud Isaiam praedicantes divinam sanctitatem et dicentes: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus... exercituum: plena est omnis terra gloria eius.* [7] Sic duo Testamenta semper et ubique divinam praedicant sanctitatem, quod Deus superior sit omni sanctitate creata. Hinc enim supra templum, quod Sanctam Dei Ecclesiam designabat, visus fuit tunc Isaiae Deus. [8] Sic etiam visus fuit patriarchae Iacob in vertice scalae coelestis, [9] per quam utique domus Dei hieroglyphice figurabatur, nam ait: *Non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli;* [10] Deus autem supra scalam designat ipsum excedere omnem creatam sanctitatem hominum et Angelorum. Hoc enim designat etiam divinum propitiatorium supra arcam et supra cherubim; nam per arcam Ecclesia, per cherubim vero Angeli beati in paradiso designantur. Christus autem, cum verus sit Deus, merito ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Nam, si quod esse posset peccatum in Deo, non esset vere Deus; peccatum enim defectus est, imperfectio est, vitium est; Deus autem suapte natura summa et infinita perfectio [est].

1) Io 8, 46. 1a) Cf. Gn 1, 14-18. 2) 1 Io 5, 19. 3) 4, 2. 4) Io 8, 58. 5) 3, 14. 6) Dt 32, 4. 7) 6, 3. 8) Cf. ibid. vr. 1. 9) Cf. Gn 28, 12-13. 10) Ibid. vr. 17.

Voluit autem Deus Christum adeo sanctum esse, eo quod misit eum in mundum ad reparandam sanctitatem amissam per peccatum primorum parentum et ad praedicandam ac persuadendam vitae sanctitatem. Ostenditur nanque hodie Christus sanctus praedicator: sanctus quoad vitam irreprehensibilem, et sanctus quoad doctrinam irrefragabilem; *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?*

talis est etiam Christus, sanctissimus quoad vitam et doctrinam,

Talem tantumque Deus[11] praedicatorem misit in mundum ad praedicandam ac persuadendam vitae sanctitatem, quoniam summopere necessaria est ad salutem: *Si... vis ad vitam ingredi, serva mandata.*[12] Hinc hodie ait: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.*[13] Scopus autem et finis totius divinae legis non est nisi vitae sanctitas: *Finis enim praecepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta;*[14] *Haec est... voluntas Dei, sanctificatio vestra;*[15] *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem;*[16] *Ut sciat unusquisque... vas suum possidere in sanctificatione et honore;*[17] *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester.*[18]

Sanctitas maxime necessaria est ad salutem;

Necessaria est vitae sanctitas ad salutem, quoniam de coelesti Ierusalem scriptum est: *Non introibit in eam aliquid coinquinatum.*[19] Nemo immundus accedere poterat ad templum Domini.[20] Deus summus est sanctitatis amator et iniquitatis osor. Hinc propter unum tantum peccatum innumeros Angelos in aeternum de coelo eiecit[21] et homines de paradiso.[22] Gloria regni coelestis dicitur *hereditas Dei;*[23] hereditas autem non pertinet nisi ad filios; non sunt autem filii Dei homines nisi per gratiam sanctificantem et iustificantem. Quare qui vitae sanctitate destitutus est, filius Dei nequaquam est. D i v u s P e t r u s ait quod: *Iustus vix salvabitur, impius* autem *et peccator ubi parebunt?*[24] Sine veste nuptiali repertus homo expulsus fuit a convivio regis.[25]

nam nonnisi sancti in regnum Dei ingredi possunt.

11) Ms.: *Deum.* 12) Mt 19, 17. 13) Io 8, 51. 14) 1 Tim 1, 15. 15) 1 Tess 4, 3. 16) Ibid. vr. 7. 17) Ibid. vr. 4. 18) Lv 11, 44; 19, 2; 1 Petr 1, 16. 19) Apc 21, 17. 20) Cf. Lv 11, 43-45; 12, 1 sqq.; 15, 31; 16, 16; 21, 12; 22, 9; Nm 19, 1 sqq. 21) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6. 22) Cf. Gn 3, 23-24. 23) Cf. Ps 36, 18; 60, 6; Eccli 24, 16; Is 54, 17; 2 Mach 2, 4; Act 20, 32; Eph 1, 14. 18; Col 3, 24; Hebr 9, 15; 1 Petr 3, 9. 24) 1 Petr 4, 18. 25) Cf. Mt 22, 11-12.

Sanctitas est optimus usus beneficiorum Dei, tam spiritualium quam corporalium; iniquitas, e contrario, est eorum abusus.

II. Ut autem sciamus quidnam sit sanctitas, proponitur nobis hodie sanctitas Christi, et Iudaeorum iniquitas qui Christum impie lapidare voluerunt.[26] Ait de seipso hodie Christus: *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis ... honorifico Patrem meum;*[27] *Scio eum et sermonem eius servo.*[28] De Iudaeis autem dicit: *Vos inhonorastis me;*[29] *Non cognovistis eum ... Ero similis vobis mendax.*[30] Itaque sanctitas mihi videtur optimus usus beneficiorum Dei, maxime vero cordis, linguae et manus, optimus usus animae et corporis bonorumque omnium, quae a Deo accepimus; iniquitas vero, abusus beneficiorum Dei, abusus cordis, ut hodie in Iudaeis, qui oderant et contemnebant Christum; abusus linguae, quia blasphemabant Christum: *Nonne bene dicimus nos quia samaritanus es tu et daemonium*[31] *habes?*[32] abusus manuum, nam: *Tulerunt... lapides ut iacerent in eum; ipse vero abscondit se et exivit de templo,*[33] sicut apud Ezechielem legimus quod gloria Domini elevata fuit et reliquit templum.[34]

Christus praedicavit vitia et virtutes, poenam et gloriam, tanquam verus Dei propheta.

Ostenditur autem hodie Dominus sanctus praedicator, sicut Ieremias ad hoc sanctificatus in utero matris,[35] cui Dominus: *Dedi te in ... civitatem munitam ... et bellabunt adversum te et non praevalebunt, quia ego tecum sum ... ut liberem te.*[36] Ita plane videmus hodie in Christo. Et sicut Dominus ait Ieremiae: *Prophetam in gentibus dedi te ... ut evellas et destruas et disperdas et dissipes et aedifices et plantes,*[37] hoc est: ut praedices vitia et virtutes, poenam et gloriam, ut commineris mala et promittas bona – hinc ostendit ei *virgam vigilantem*, sive amygdalinam, et *ollam succensam,*[38] – ita Christus, ut verus Domini propheta vita et doctrina sanctissimus, haec praedicavit: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum;*[39] sicut alibi dicit: *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.*[40] Duo dicit, quoniam sub conditione loquitur. Sanctissimus praedicator Christus, qui pro veritate hodie in vitae discrimen venit parumque abfuit ne martyrium a perfidis Iudaeis pateretur lapidibus

26) Cf. Io 8, 59. 27) Ibid. vr. 49. 28) Ibid. vr. 55. 29) Ibid. vr. 49.
30) Ibid. vr. 55. 31) Ms.: *Daemonius*. 32) Io 8, 48. 33) Ibid. vr. 59.
34) Cf. 10, 4 sqq. 35) Cf. Ier 1, 5. 36) Ibid. vrr. 18-19. 37) Ibid. vrr. 5-10.
38) Ibid. vrr. 11. 13. 39) Io 8, 51.
40) Ibid. 3, 15.

obrutus. Sed protexit eum Divinitas, sicut olim Moysen, cum lapidare eum voluerunt Hebraei in deserto. [41]

et ostenditur hodie maior omnium Prophetarum et Patriarcharum.

III. Ostenditur autem Christus hodie non solum praedicator et propheta, vita et doctrina sanctus, verum etiam maior Prophetis et Patriarchis. Cum enim dixissent Iudaei: *Abraham mortuus est, et Prophetae mortui sunt; et tu dicis: Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in aeternum. Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? et Prophetae mortui sunt. Quem te ipsum facis?* [42] Dominus autem: *Abraham*, inquit, *exultavit ut videret diem meum: vidit et gavisus est.* [43] Sic se ostendit maiorem Patriarchis et Prophetis illisque valde desiderabilem; et tandem Deo ipsi aequalem ac verum Deum: *Antequam Abraham fieret, ego sum;* [44] ita ut ille ipse Deus, qui Hebraeis in deserto de monte Sinai legem praedicavit et dedit, [45] hodie praedicavit ac docuit in templo. Nam forte hoc dicere voluit Moysi de rubo Deus cum ait: *Ego sum qui sum*, sive: *Ero qui ero*, [46] quasi diceret: Nunc praedicatorem doctoremque et prophetam te mitto populo meo; futurum autem est ut ego ipse venturus sim in mundum ad praedicandam veritatem Dei. Nam ait: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me.* [47] Et tamen ait: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Sed: *Qui ex Deo est, verba Dei audit; vos* autem *non auditis*, ergo *ex Deo non estis;* [48] sicut alibi ait: *Vos autem non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* [49]

41) Cf. Nm 14, 18. 42) Io 8, 52-53. 43) Ibid. vr. 56. 44) Ibid. vr. 58. 45) Cf. Ex 20, 1 sqq. 46) Ibid. 3, 14. Ex hebraico. 47) Lc 4, 18. 48) Io 8, 47. 49) Ibid. 10, 26. Vulg.: *Sed vos non creditis*, etc.

FERIA SECUNDA DOMINICAE PASSIONIS

Miserunt principes et Pharisaei ministros ut comprehenderent Iesum, etc. [1]

Hodie Christus se ostendit verum fontem divinae gratiae,

I. En petra in deserto percussa virga Moysi et Aaron, quae tamen graviter laesa sitienti populo facta est fons magnus copiosissimarum aquarum: [2] *Si quis sitit, veniat ad me et bibat:* [3] *Petra autem erat Christus.* [4] Ait autem hodie: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat... et flumina de ventre eius fluent aquae vivae.* [5] Et quidem non parva latent mysteria in petrae illius percussione; nam aqua quidem Spiritus Sancti gratiam designat, sicut Evangelista ait: *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* [6] Cum autem petra illa, ut Paulus manifeste dixit, Christum significaret, videamus, quaeso, quidnam Deus de petra dicat.

figuratum per petram deserti,

Primo quidem in *Exodo* sic legimus: *Virgam, qua percussisti fluvium, sume in manu tua... En ego sto ibi coram te super petram Horeb; percutiesque petram, et exibit ex ea aqua, ut bibat populus.* [7] In *Numeris* vero ita refert Divina Scriptura: *Tolle virgam et congrega populum, tu et Aaron frater tuus, et loquimini ad petram coram eis et illa dabit aquas;* [8] deinde: *Cumque elevasset Moyses manum percutiens virga bis silicem, egressae sunt aquae largissimae.* [9] Postremo peccati arguit Deus Moysen et Aaronem in hoc facinore dicens: *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* [10] Causa propter quam potuit petra illa aquas tam copiosas dare fuit non naturalis, sed su-

quae bis percussa aquam dedit sitienti populo;

1) Pericope huius diei Io 7, 32-39. Cf. Missale Rom. quod habet iuxta Vulg.: *Ut apprehenderent* etc. 2) Cf. Ex 17, 5-6; Nm 20, 8-13; Sap 11, 4; Ps 77, 15. 20. 3) Io 7, 37. 4) 1 Cor 10, 1. 5) Io 7, 38. 6) Ibid. vr. 39. 7) 17, 5-6. Vulg.: *Tolle in manu tua... En ego stabo... supra petram,* etc. 8) 20, 8. 9) Ibid. vr. 11. 10) Ibid. vr. 12.

pernaturalis divinaque virtus; nam ait: *Ego stabo... super petram.* En mysterium unionis divinae et humanae naturae. Petra haec erat in Horeb, ubi Moysi Dominus apparuit in rubo ardenti dixitque: *Ego sum qui sum,* [11] vel: *Ero qui ero,* [12] promittens adventum suum in mundum pro salute populi electorum suorum; in Horeb, qui *mons sanctus* dicitur, ad quem pervenit Elias, [13] de quo ad Moysen: *Locus... in quo stas, terra sancta est.* [14]

Christus enim per passionem suam fons factus est divinarum gratiarum.

Hodie autem in templo haec verba loquitur Christus: *Si quis sitit, veniat ad me,* etc., quoniam in Ecclesia futurus erat Christus perennis fons divinarum gratiarum et charismatum Spiritus Sancti. Non dedit petra illa aquas, nisi postquam percussa fuit. Hodie sic ait: *Nondum... erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus,* [15] nondum erat exaltatus in cruce; nam passione sua Dominus meruit nobis gratiam Spiritus Sancti. Hinc, postquam expiravit in cruce, *exivit* de latere eius *sanguis et aqua,* [16] post sanguinem aqua. Sic post passionem, in ipso die resurrectionis, *insufflavit* in Apostolos *et dixit...: Accipite Spiritum Sanctum.* [17]

In incredulitate Moysi et Aaron latet mysterium, quod aperiendum est.

II. Peccaverunt Moyses et Aaron principes synagogae percutientes petram illam: *Non credidistis,* inquit, *mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel.* Non credere hic est idem ac non esse ac permanere stabiles in fide. Crediderunt quidem cum Dominus dixit eis: *Loquimini ad petram;* at, ubi venerunt ad locum, ubi petram ipsam viderunt, tunc dubitare coeperunt et dixerunt: *Rebelles et increduli, num de petra hac poterimus vobis eicere aquas?* [18] Videtis quomodo reputant impossibile factum! Non loquuntur petrae in nomine Domini, iuxta praeceptum; non praedicant divinam potentiam, quod, qui potuit mare Rubrum dividere, [19] pluere manna de coelo, [20] eos de captivitate et durissima servitute liberare, imo qui potuit mundum ex nihilo creare, posset etiam aquas de petra educere; hoc enim fuisset Deum sanctificare *coram filiis Israel,* si, praedicata prius divina omnipotentia, solo verbo et levi tactu virgae aquas de petra eduxissent. At vero nihil horum praestiterunt, sed cum ira et indignatione

11) Ibid. 3, 14. 12) Ibid. Ex hebraico. 13) Cf. 3 Rg 19, 8. 14) Ex 3, 5. 15) Io 7, 39. 16) Ibid. 19, 34. 17) Ibid. 20, 22. 18) Nm 20, 10. Vulg.: *Vobis aquam poterimus eicere?* 19) Cf. Ex 14, 21-28. 20) Cf. ibid. 16, 11 sqq.; Dt 8, 3; 2 Esr 9, 15; Ps 77, 24; Sap 16, 20.

petram percusserunt, impossibile existimantes quod illa dare posset aquas tantae multitudini sufficientes, cum tamen non minoris miraculi eos Deus memores effecisset: *Virgam,* inquit, *qua percussisti flumen, tolle in manu tua;* virgam illam, qua aquas Aegypti in sanguinem vertisti,[21] qua mare Rubrum siccasti, sume ad miraculum hoc operandum. Attamen, cum petram viderunt, defecerunt in fide. Hoc est mysterium; sed aperiamus illud.

Sitis populi in deserto sitim felicitatis hominum figurabat, quae per Messiam danda erat mundo;

Sitit populus aquas. Magna est in hominibus sitis felicitatis, quae in bonorum desiderabilium copia consistere [dicitur].[21a] Hinc Deus in Sacris Litteris *fons* dicitur *aquarum viventium,*[22] idest omnium desiderabilium bonorum. Promiserat Deus Hebraeis felicitatem per Messiam, propterea ipsum summo cum desiderio expectabant, ut optatam felicitatem et gloriam consequerentur; nam procul dubio credebant se per Messiam consecuturos perfectam felicitatem et gloriam. At vero, ubi viderunt petram, defecerunt in fide, non crediderunt, impossibile aestimarunt posse illam aquas dare. Sic ubi Hebraei Christum viderunt, hominem pauperem, despectum, humili loco natum, impossibile putarunt posse ab eo consequi optatam felicitatem; nam regem exspectabant ditissimum et fortunatissimum, qualis fuit Salomon – cum tamen admonuisset eos Deus quod Messias futurus erat similis Moysi, qui non humana, sed divina potentia populum salvaverat et usque ad terram promissionis optatissimam perduxerat; – conspecta tamen in Christo humilitas et paupertas in causa fuit ne Iudaei, maxime vero principes eorum, in Christum crederent. Sic ad petrae conspectum defecerunt in fide, quam prius in eam habuerant. Sic Moyses et Aaron peccaverunt percutientes petram. Sic *miserunt* hodie *principes.. ministros* suos *ut comprehenderent Iesum.* Bis illi petram percusserunt, duplicem percussionem ab illis petra illa sustinuit. Sic principes Iudaeorum duo mala Christo inferre voluerunt: auferre ei vitam et honorem. Sic voluerunt ut crucifigeretur, quod erat genus mortis turpissimum, latronum supplicium,[22a] ut simul vitam et honorem amitteret Christus.

sed Hebraei eum despectum videntes contempserunt,

et ad turpissimum supplicium damnatum voluerunt.

Recensetur miraculum percussionis petrae in *Numeris,* post mortem Mariae prophetissae,[23] quae symbolum est fidei. Cum Iudaei

21) Cf. Ex 7, 17-21. 21a) Cf. Boethius *De Consol. Phil.*, lib. 3, (P. L. 63, 724).
22) Ier 17, 13. 22a) ff. *De Poenis*, lib. XLVIII, tit. 19, l. XXVIII; Iustus Lipsius *Opera Omnia, De Cruce*, lib. 1, cp. 12-13, t. 3, pag. 653-654. 23) Cf. 20, 1.

Christum occiderunt, vere mortua in eis erat fides, vere defecerat. Ex petra illa, licet tam male et cum Divinae Maiestatis laesione percussa, egressae sunt *aquae largissimae.* Non poenituit Deum promissi beneficii, sed praestare quam cumulatissime voluit. Sic ex merito passionis Christi contulit Ecclesiae copiosissimas aquas divinae gratiae: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat... et flumina de ventre eius fluent aquae vivae.* Ubi Dominus fontem se ostendit copiosissimum aquarum viventium.

Attamen, incredulitate non obstante, Christus per passionem suam aquas divinae gratiae mundo contulit,

Hoc autem propter gratiam divinae unionis, ut loquuntur Theologi,[23a] quod etiam Ioannes docuit: *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis... et de plenitudine eius nos omnes accepimus... gratiam pro gratia,*[24] omnem gratiam, sicut: *Pellem pro pelle,* [24a] omnem pellem, toto corpore sanus et integer est, voluit dicere satanas. Fons Christus est omnis gratiae, quia: *Verbum caro factum est.* Influit caput in universa corporis membra, animales spiritus, sensum et motum propter animam. Petra illa largissimas dedit aquas, quia iuxta eam Deus erat. Meruit nobis Christus deditque omnem gratiam, quia Homo-Deus. Sic: *Salvos nos fecit per lavacrum... Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde.* [25] Sic etiam Paulus ad *Ephesios* ait: *Benedixit nos... omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo;* [26] et ad *Corinthios: Gratias ago semper Deo... pro vobis in gratia Dei, quae data est vobis in Christo Iesu, quod in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni scientia... ita ut nihil vobis desit in ulla gratia.* [27] Sol in coelo fons est omnium luminum; sic Christus fons est omnium gratiarum, quia Deus est, de quo Iacobus apostolus: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* [28]

quia ipse verus Deus et homo est.

III. *Egressae sunt* de petra *aquae largissimae: Orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis.* [29] Postquam Ioseph in Aegypto exaltatus et glorificatus fuit, venit maxima abundantia septem annorum; [30] sic per Christum abundantia gratiarum Dei. Postquam Salomon coronatus fuit rex super regnum Israel, magna fuit divitiarum

Sicut autem aquae ex illa petra copiosissimae exierunt, sic per Christum dantur omnia bona.

23a) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 3, q. 8, a. 1-2. 4; q. 19, a. 4; q. 48, a. 1; q. 59, a. 2; S. Rob. Bellarminus *De Controversiis, De Christo*, lib. 5, cp. 1 sqq., t. 1, pag. 232-240.
24) 1, 14-16. 24a) Iob 2, 4. 25) Tit 3, 5-6. 26) 1, 3. 27) 1 Cor 1, 4-7. Vulg.: *Gratias ago... semper pro vobis*, etc. 28) 1, 17. 29) Ps 71, 7. 30) Cf. Gn 41, 40-49.

auri et argenti in Ierusalem; [31] postquam ad preces Eliae nubecula ascendit de mari, tunc maxima aquarum copia pluit de coelo, cum antea per tres annos et sex menses continuos non pluisset; [32] postquam Elias ascendit in coelum, Eliseus repletus fuit duplici spiritu; [33] postquam populus sub duce Moyse mare Rubrum transmisit, pluit ei de coelo Deus manna in maxima copia et abundantia. Sic per Christum datus est nobis de coelo Spiritus Sanctus: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat,* quoniam ipse *fons* est *aquarum viventium,* fons paradisi, ex quo fluvius qui in quattuor magna flumina derivabatur, [34] quoniam a Christo sunt omnia bona naturalia, mundana, spiritualia gratiae et coelestia gloriae.

Christus enim in sinu Patris fons est Spiritus Sancti, in coelo fons gloriae, in Ecclesia fons gratiae, in mundo fons naturae.

Magnus fons Christus in coelo et in terra, in sinu Patris et in mundo, in Ecclesia militante et in Ecclesia triumphante. In sinu Patris fons est Spiritus Sancti, qui ab ipso procedit, sicut in mundo a luce et radio solis oritur calor aestatis; nam a luce solis fontali oritur radius; a luce autem et radio, calor vivificus. Sic a Patre et Filio Spiritus Sanctus procedit. Magnus fons Christus in mundi creatione, nam: *Omnia per ipsum facta sunt;* [35] *In ipso,* inquit Paulus, *condita sunt universa in coelo et in terra, visibilia et invisibilia.* [36] Ex ipso intellectus in Angelis, claritas in coelo, lux in sole, splendor in stellis, lumen in luna, calor in igne, spiritus in aere, humor in aqua, fecunditas in terra, vita in plantis, sensus in animalibus, ratio et imago Dei in homine; ex ipso bona omnia in Ecclesia, sanctitas in Patriarchis, divinus spiritus in Prophetis, gratia Spiritus Sancti in Apostolis, fortitudo in Martyribus, sanctitas in Confessoribus, auctoritas in Pontificibus, sapientia in Doctoribus, puritas in Virginibus, fides in omnibus credentibus. In mundo fontem se ostendit sapientiae praedicans Evangelium, gratiae instituens Sacramenta, divinae virtutis operans miracula, fons sanitatis curans infirmos omnis generis, fons lucis illuminans caecos, fons vitae suscitans mortuos, fons sanctitatis sanctificans peccatores. Christus in mundo est fons naturae, in Ecclesia fons gratiae, in paradiso fons gloriae, in sinu Patris fons divinitatis.

31) Cf. 2 Par 1, 15; 9, 13 sqq. 32) Cf. 3 Rg 18, 45; Lc 4, 25; Iac 3, 17.
33) Cf. 4 Rg 2, 9-10. 34) Cf. Gn 2, 10. 35) Io 1, 3. 36) Col 1, 16. Vulg.: *In coelis et in terra,* etc.

IV. His verbis Dominus ostendit se Deum esse et Deum omnipotentem Deumque infinitae bonitatis. Deum se esse ostendit, qui de tenebris lucem eduxit: Deus, inquit Paulus, *qui dixit de tenebris lumen splendescere.* [37] Non tantum ex luce eduxit magnos splendores, formans ex prima luce solem, lunam, et stellas, verum etiam ex tenebris lucem creavit. Dei proprium est non solum ex bonis bona educere, sicut ex terra plantas et animalia, ex aqua pisces et volatilia, ex coelo sidera creavit, verum etiam ex malis bona, pro malis, inquam, bona, pro maleficiis beneficia; ubi, e contra, satanas ex luce tenebras educit, virtutes in vitia convertit, gratiam in peccatum, sicut terra umbra et obscuritate sua diem in noctem. Deus autem sicut sol noctem convertit in diem, elicit ex malis etiam bona, *ubi... abundavit delictum.* [38] Christus igitur hodie, gravi a principibus Iudaeorum iniuria lacessitus, immemor iniuriae, memor clementiae, reddere vult bona pro malis et hominum salutem ardentius promovere. Hinc stabat in templo et clamabat: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.*

His verbis etiam Christus se ostendit verum Deum,

Ostendit etiam his verbis se Deum esse omnipotentem, qui solus potest animum hominis optatis bonis explere, cum suapte natura inexplebilis videatur, qui instar ignis *nunquam dicit: sufficit,* [39] cui mundus totus parvus est: tanta est animi et cordis humani magnitudo; sed tamen: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat; Sed potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes abundetis.* [40] Hinc Deus dictus est *omnipotens,* hebraice שַׁדַּי, [41] qui sufficit, quia sicut sol sufficit ad explendum oculorum desiderium abundanter et superabundanter, ita Deus omne animi nostri votum, cum, sicut omnipotens est, ita etiam parem habeat bonitatem, par iuvandi et benefaciendi studium et desiderium, sicut in sole lucis communicatio aequalis est ipsimet luci solari, quia totam lucem suam communicat mundo. Hoc est quod Paulus ad *Ephesios* ait: *Scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut* etiam *intelligimus, secundum virtutem quae operatur in nobis.* [42] Sic ait: *Flumina de*

et quidem Deum omnipotentem et bonitate plenum.

37) 2 Cor 4, 6. 38) Rom 5, 20. 39) Prv 30, 16. 40) 2 Cor 9, 8. Vulg.: *Potens est autem Deus,* etc. 41) Ms.: *Sadai.* Cf. Nm 24, 4. 26; Ruth 1, 21; Iob 6, 4. 42) 3, 19-20.

ventre eius fluent aquae vivae. Hoc autem dicebat stans et alta voce clamans, ad expressionem ardentis desiderii.

Collectio Iudaeorum in festo scenopegiae ad celebranda divina beneficia, collectionem electorum in patria coelesti figurabat;

V. *In novissimo,* inquit, *die magno festivitatis stabat Iesus et clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me et bibat.*[43] Erat novissimus dies festivitatis scenopegiae, quod celebrabatur in memoriam divinorum beneficiorum in deserto a divina providentia acceptorum per annos quadraginta; erat dies solemnissimus et celeberrimus, dies coetus et collectionis totius populi in templo. Egressi enim de tabernaculis illisque relictis, ultimo festivitatis die omnes conveniebant in templum ad agendas Deo gratias, quod, post longam illam quadraginta annorum peregrinationem, tandem omnes tribus Israelis salvae et incolumes in terram promissionis pervenissent iam diu optatam et desideratam. Sic diem hunc laetissimum ducebant exodia divina canentes.[44] Videns igitur Dominus tantam hominum multitudinem ea de causa simul collectam et intelligens ac sciens quid per diem illum festum designabatur, nempe collectio electorum omnium in patria coelesti – nam per festum scenopegiae, quo septem diebus in umbraculis habitabant, praesentis vitae peregrinatio designatur, per laetissimam vero collectionem in templum, tabernaculis relictis, collectio electorum in coelo, – ad mysterium hoc inardescens spiritus Christi et vere cupiens videre omnes in coelo, stat et alta voce clamat: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat;* ostendens se vere illum esse Deum, qui tot tantisque beneficiis eos in deserto cumulaverat et in terram promissionis perduxerat, in optatam beatamque illam patriam.

Ideo Christus in templo docet anhelans ut omnes in coelum introeamus,

Ita Dominus hodie cupidum avidumque ac supra modum desiderantem salutis nostrae perpetuae se ostendit, sicut et Deus per Isaiam: *Omnes sitientes, venite ad aquas.*[45] Per Ieremiam conqueritur Deus: *Duo,* inquit, *mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas... dissipatas, quae continere non valent aquas.*[46] Per *cisternas* autem *dissipatas,* pertusas, rimosas ac male conglutinatas idola intelligit, a quibus infelix populus felicitatem sperabat, sicut apud eundem Vatem dicunt impii Iudaei: *Sacrificemus reginae coeli et libemus ei libamina, sicut fecimus nos et patres nostri... et saturati sumus panibus et bene nobis erat,*

ne simus sicut Hebraei qui, Deo relicto, in idolis polluebantur;

43) Io 7, 37. 44) Cf. Lv 23, 33 sqq.; 2 Esr 8, 14-17. 45) 55, 1. 46) 2, 13.

malumque non vidimus. Ex eo autem tempore, quo cessavimus sacrificare reginae coeli et libare ei libamina, indigemus omnibus et gladio et fame consumpti sumus. [47] Hac de causa magno cum studio, Deo relicto, idololatriae operam dabant, sicut idem Vates ait: *Filii colligunt ligna et patres succendunt ignem et mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas reginae coeli et libent diis alienis,* [48] existimantes illos esse multo potentiores et meliores ad eos optata felicitate donandos. Eos tamen Deus appellat *cisternas confractas,* quae tempore magnarum pluviarum implentur aquis et, cum minus opus est, tunc aquis abundant instar torrentium; sed necessitatis tempore sine aqua sunt, nam per rimas diffluxit aqua et consumpta a terra est.

Deus autem non sic, sed fons et vena aquarum perennium est, non sicut torrens, sed sicut flumen perpetuo fluens. Divites huius mundi, qui in divitiis confidunt et sperant magis quam in Deo, laetantur in messe et vindemia, cum suos proventus colligunt; sed postea nullam aliam ex his consolationem sumunt, sed potius afflictionem. Omnis mundi huius laetitia et consolatio cito transit et deficit; non sic autem divina. Deus autem, sicut amantissimus pater salutis et omnis felicitatis filiorum cupidissimus, perpetuam nobis et nunquam deficientem consolationem desiderat, sicut fuit manna Hebraeis in deserto et aqua de petra. Ideo clamat: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat,* et *fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam,* [49] et *flumina de ventre eius fluent aquae vivae,* [50] multis bonis perpetuo abundabit.

solus enim Deus est verae felicitatis perennis fons

VI. *In novissimo... die magno festivitatis stabat Iesus et clamabat...: Si quis sitit, veniat.* In templo Domini fons aquae vivae ostenditur hodie Salvator magnus et copiosus, sicut sol in coelo; nam, sicut sol dat lucem, ita *gratiam et gloriam dabit Dominus.* [51] Hac autem fontis aquae vivae metaphora ostenditur quod gratia non sit, ut nugantur haeretici, [52] externus quidam favor et benevolentia Dei erga nos, uti dicimus aulicum aliquem habere gratiam sui principis; sed quod donum Dei est, sicut aqua ex fonte, sicut radius ex sole in luna et stellis quas illustrat pulcrasque reddit. Unde Paulus:

Gratia non est externa Dei benevolentia erga nos, sed verum donum ex Deo descendens, sicut radius ex sole, aqua ex fonte.

47) Ibid. 44, 17-18. 48) Ibid. 7, 18. 49) Io 4, 14. 50) Ibid. 7, 38. 51) Ps 83, 12.
52) Calvinus et aliqui Lutherani, de quibus cf. Conc. Trident., sess. VI, *de iustif.*, cp. 7, can. XI; S. Rob. Bellarminus *De Controversiis, De Gratia et libero arbitrio*, lib. 1, cp. 3, t. 4, pag. 214; *De Iustificatione*, lib. 2, cp. 7, ibid. pag. 419-422; Thomas ex Charmes *Theologia Universa, De Gratia Christi*, dissert. 2, cp. 1, t. 1, pag. 367.

Gratia Dei *in me vacua non fuit,* [53] sed gratia eius semper in me manet. [54] Sic a Iacobo apostolo dicta est gratia *omne datum optimum et omne donum perfectum*, quoniam donum Dei in nobis est, sicut imago solis in speculo.

Huius gratiae Christus est fons verus, quia verus Deus, ipsemet qui populum in deserto beneficiis cumulavit;

Ostenditur Christus *fons aquarum viventium*, sed in templo, quia Deus auctor omnium bonorum. Hinc, cum a Ioanne in principio Evangelii sui demonstratus fuisset verus Deus, ostensus fuit statim fons omnium bonorum: *Omnia per ipsum facta sunt.* [55] Ostenditur fons *in die magno festivitatis* scenopegiae, quod festum celebrabatur in memoriam providentiae divinae erga populum quadraginta annis in deserto, ut ostenderet se illum ipsum esse Deum, qui populo providit manna de coelo, aquam de petra, qui populum maximis beneficiis cumulavit, qui pro illorum salute divina miracula operatus fuit in coelo et in terra. Ostenditur gratia homini necessaria, utilis et iucunda, sicut aqua mundo, quae necessaria est ad fecundandam terram, ad abluendasque sordes, sed ad levandam sitim et refrigerandum calorem summe utilis et delectabilis est; ita plane gratia Christi, gratia Spiritus Sancti aqua optima est.

satanas autem fons est omnium malorum;

Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Fons Christus est a quo fluvius paradisi et fluvius coelestis Ierusalem de throno Dei procedens. [56] Fons etiam satanas, de cuius ore, ut Ioannes in *Apocalypsi* ait, fluvius procedit ad perdendam coelestem mulierem. [57] Fontem se bonorum ostendere voluit, cum dixit: *Nequaquam... moriemini, sed eritis sicut dii scientes bonum et malum,* [58] et cum Christo *ostendit... omnia regna mundi et gloriam eorum et dixit...: Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* [59] Sed tamen non est fons bonorum desiderabilium. Mentitus fuit; fons est omnium malorum, omnium vitiorum mundi et carnis, superbiae, avaritiae, luxuriae et omnium peccatorum.

sed quia homines bona temporalia quaerunt, post satanam currunt,

Hae sunt aquae satanae, quae quidem mundo supra modum placent, ad quas omnes currunt, ita ut Christo opus sit multo clamore: *Stabat Iesus et clamabat...: Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* Clamore opus fuit, quia in templo erat, quia ad spiritualia bona invitabat. Si in platea fuisset, si ad corporalia et ad temporalia bona Christus in-

53) 1 Cor 15, 10. 54) Breviarium Rom. die 30 Iunii in Festo S. Pauli, tertia antiph. *ad Laudes.* 55) 1, 3. 56) Cf. Apc 22, 1. 57) Cf. 12, 15-16. 58) Gn 3, 4-5. 59) Mt 4, 8-9.

vitasset, si in Ecclesia, sicut fons gratiae et spiritualium bonorum Christus est, fons esset auri et argenti, ita ut in Ecclesia homines a Christo aurum et argentum acciperent, oratione peracta marsupium pecunia plenum invenirent, non opus esset multo clamore; omnes currerent et volarent ad Ecclesias. Quia vero nonnisi gratiae hic fons est, ut in paradiso sit fons gloriae et vitae aeternae, surdastri sunt homines, clamore opus est. Omnes currunt ad fontem satanae, paucissimi ad fontem Christi. Sed venit finis mundanae huius gloriae: *In novissimo... die magno festivitatis.* Quid proderunt in morte mundanae divitiae? Quid coram Deo omnis mundi gloria? Sola coram Deo [60] proderit gratia.

et clamore magno Christo opus est ut eos ad spiritualia trahat.

ALIA HOMILIA

Si quis sitit, veniat ad me et bibat... Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes, etc. [1]

I. Ostendit se Dominus *fontem aquae vivae,* [2] instar petrae in deserto ex qua flumina aquarum emanarunt. [3] Saepe loquuntur Divinae Litterae de aquis, ita ut Sacra Scriptura videatur mihi veluti mare aeneum in templo Salomonis. [4] Incipit nanque Divina Scriptura ab aquis et in aquis desinit in Sacra *Apocalypsi.* [5] Primo die, *Spiritus Domini* ambulat *super aquas;* [6] secundo die, dividit aquas; [7] tertio die, congregat aquas; [8] quinto die, fecundat aquas et replet piscibus; [9] sexto die, collocat hominem in paradiso, ubi magna aquarum copia; [10] vult purgare mundum a vitiis, adhibet aquas diluvii; [11] patriarchae Abraham, Isaac et Iacob non quaerunt, nisi aquas; [12] salvat Moysen ab aquis; [13] operatur miracula in aquis Aegypti, [14] in mari Rubro, [15] in Iordane, [16] in deserto; [17] in tabernaculo Moysi multa vasa aqua-

De aqua saepe loquitur S. Scriptura, quia mysteria multa per eam figurantur.

60) Ms.: *Dei.*

1) Io 7, 37-39. 2) Ier 2, 13. 3) Cf. Ex 17, 6; Nm 20, 11; Ps 77, 15; 113, 8; Sap 11, 4. 4) Cf. 3 Rg 7, 23-24; 2 Par 4, 2-15. 5) Cf. 22, 17. 6) Gn 1, 2. 7) Cf. ibid. vrr. 7-8. 8) Cf. ibid. vr. 9. 9) Cf. ibid. vrr. 20-21. 10) Cf. ibid. 2, 8-15. 11) Cf. ibid. 7, 10-24. 12) Cf. ibid. 21, 30-32; 25, 11; 26, 17-22. 32-33; 29, 2; 46, 1. 5. 13) Cf. Ex 2, 2-10. 14) Cf. ibid. 7, 17-21; 8, 5-7. 15) Cf. ibid. 14, 16 sqq. 16) Cf. Ios 4, 9-18. 17) Cf. Ex 15, 25; 17, 6-7; Nm 20, 8-11; Ps 77, 15; 104, 41; 106, 35; Sap 11, 4.

rum,[18] in templo Salomonis multae aquae;[19] probantur milites Gedeonis ad aquas;[20] ungitur Salomon iuxta aquas.[21] In Novo Testamento baptizatur Christus et declaratur Filius Dei in aquis;[22] operatur primum miraculum in aquis;[23] vocat primos Apostolos ab aquis;[24] multiplicat panes iuxta aquas;[25] illuminat caecum ad aquas Siloe;[26] operatur miracula quam plurima in aquis.[27]

symbolum est enim Spiritus S. et gratiae; ideo Deus appellatur *fons aquarum*, talemque hodie se Christus etiam dicit.

Magnopere honorasse visus est Deus elementum aquae, quoniam symbolum est Spiritus Sancti, symbolum gratiae: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Saepe in Sacris Litteris Deus appellatur *fons aquarum: Quemadmodum desiderat cervus ad fontem aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum;*[28] *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris;*[29] *Me dereliquerunt fontem aquae vivae;*[30] *Dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum;*[31] quoniam Deus fons est perennis et inexiccabilis omnium bonorum, quae sunt in mundo, in Ecclesia, in paradiso.

Variis nominibus et figuris in S. Scriptura gratia designatur;

II. Christus autem unigenitus Filius Dei, quoniam verus Deus est, *fontem* se dicit hodie: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat;* sed *fontem gratiae: Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* O utinam, fratres, intelligeremus quidnam sit! Moyses eam appellavit *Dei similitudinem: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.*[32] Regius Vates aliquando *beatitudinem* dicit: *Beati quorum remissae sunt iniquitates;*[33] aliquando *Spiritum Sanctum,*[34] *Spiritum rectum,*[35] *Spiritum principalem,*[36] quia est spiritus animae nostrae, anima spiritus nostri. Isaias eam dicit *indumentum salutis et iustitiae* ac *ornamenta sponsi et sponsae,*[37] quoniam est vestis nuptialis[38] et stola candida electorum Christi,[39] stola etiam prima, qua indutus fuit filius prodigus a patre clementissimo.[40]

18) Cf. Ex 37, 16. 30; 39, 35. 39-40. 19) Cf. 3 Rg 7, 47-48. 51; 8, 4; 2 Par 4, 16. 18-19. 20) Cf. Idc 7, 4-7. 21) Cf. 3 Rg 1, 38-39. 22) Cf. Mt 3, 13-17; Mc 1, 9-11; Lc 3, 21-22. 23) Cf. Io 2, 7-11. 24) Cf. Mt 4, 18-22; Mc 1, 16-20. 25) Cf. Mt 14, 17-22; Mc 6, 41-45; Io 6, 11-16. 26) Io 9, 6-7. 27) Mt 8, 23-27; 14, 24-33; 17, 26; Mc 4, 36 sqq.; 6, 47-51; Lc 5, 3-7; 8, 22-24; Io 6, 17-21; 21, 4-12. 28) Ps 41, 2-3. 29) Is 12, 3. 30) Ier 2, 13. 31) Ibid. 17, 13. 32) Gn 1, 26. 33) Ps 31, 1. 34) Ps 50, 13. 35) Ibid. vr. 12. 36) Ibid. vr. 14. 37) Cf. 61, 10. 38) Cf. Mt 22, 11-12. 39) Cf. Apc 3, 4-5. 18; 4, 4; 6, 11; 7, 9. 13-15; 19, 7-10; 22, 14. 40) Cf. Lc 15, 22.

Christus in Evangelio *semen bonum* appellat, [41] *pretiosam margaritam,*[42] *thesaurum absconditum;*[43] Iacobus apostolus, *datum optimum et donum perfectum;*[44] Divus Petrus, *magna et pretiosa dona per quae efficiamur divinae consortes naturae,*[45] sicut ferrum ignitum participat ignis naturam; Divus Paulus aliquando *vitam aeternam: Gratia Dei vita aeterna;*[46] aliquando *gloriam Dei: Omnes peccaverunt et egent gloria Dei;*[47] aliquando *pacem Dei, quae exuperat omnem sensum;*[48] aliquando *thesaurum: Habemus thesaurum ... in vasis fictilibus;*[49] aliquando *spiritum vitae: Lex vitae in Christo Iesu liberavit me a lege peccati et mortis;*[50] sic: *Fructus spiritus est caritas, gaudium, pax.*[51]

Hodie autem a Christo *aqua viva* dicitur et ab Evangelista *Spiritus* appellatur: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat ... et flumina de ventre eius fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu.* Hoc etiam aquae symbolo usus fuit Dominus cum samaritana: *Si scires donum Dei et quis est qui dicit tibi: da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo et dedisset tibi aquam vivam;*[52] et: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum, sed fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.*[53] Hoc symbolo usus etiam fuit Isaias dicens... *Omnes sitientes, venite ad aquas,*[54] et: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*[55] Itemque Ioannnes in *Apocalypsi: Qui sitit, veniat, et qui vult, accipiat aquam vitae gratis.*[56]

sed speciatim hodie dicitur a Christo aqua viva, quo symbolo etiam Isaias usus fuit et Ioannes apostolus.

III. Sed qualis est natura et virtus aquae huius coelestis et divinae? Naturalis aqua fecundat terram, nutrit plantas, extinguit sitim, refrigerat animalia, abluit sordes, et ad multa summe necessaria et utilis mundo est. Sic aqua divini huius [fontis]; nam hodie Christus fons ostenditur magnus et copiosissimus, sicut fons paradisi, ex quo maximus ille fluvius;[57] sicut fons in templo Domini apud Ezechielem, ex quo fluvius, qui transvadari non potuit;[58] sicut fons sub throno Domini, unde fluvius magnus coelestis Ierusalem apud Ioannem in *Apocalypsi.*[59]

Magna analogia existit inter aquam et gratiam.

41) Mt 13, 24; Lc 8, 11. 42) Cf. Mt 13, 45-46. 43) Cf. ibid. vr. 44. 44) 1, 17. 45) 2 Petr 1, 4. 46) Rom 6, 23. 47) Ibid. 3, 23. 48) Phil 4, 7. 49) 2 Cor 4, 7. 50) Rom 8, 2. 51) Gal 5, 22. 52) Io 4, 10. 53) Ibid. vrr. 13-14. 54) 55, 1. 55) Ibid. 12, 3. 56) 22, 17. 57) Cf. Gn 2, 6. 10. 58) Cf. 47, 1-12. 59) Cf. 22, 1-2.

Nil pretiosius gratia divina, quia ius confert ad divinam hereditatem, quae bonum infinitum est.

Sed natura, virtutes, qualitates divinae huius aquae inspiciendae nobis sunt. Aquae huius fontis, inquit Ioannes, clarae sunt, limpidae sicut crystallum.[60] Beatus Iob ait quod aquae huius fontis sunt pretiosiores auro, argento et lapidibus pretiosis,[61] ac propterea gratia appellatur *thęsaurus*, quoniam est adoptio filiorum Dei et ius hereditatis aeternae,[62] quod tantum valet quantum ipsa hereditas. Hinc a Christo appellata fuit *regnum*, cum ait: *Regnum Dei intra vos est;*[63] et Paulus: *Regnum Dei non est esca et potus, sed iustitia et pax*[64] in sanctificatione.

varii numerantur et expenduntur mirabiles effectus gratiae, cum effectibus aquae naturalis eos comparando.

Aqua huius fontis non solum frigida est, sicut naturalis aqua, sed etiam calida, sicut ignis. Hinc Spiritus Sanctus promissus in aqua[65] datus est in igne,[66] et propterea apud Ioannem legimus de throno Dei procedere fluvium aquae,[67] et apud Danielem fluvium ignis,[68] quoniam aqua virtute calidissima etiam est sicut ignis, uti est aqua vitae, quae ex vino fit per sublimationem. Naturalis aqua fecunda est piscium procreatione; haec autem meritis bonorum operum. Aqua fecundat terram, sed non reddit terram ex sterili, arenosa, glareosa, petricosa, bonam, pinguem, feracem; gratia autem facit hominem ex malo bonum, iustum, sanctum, ut sit terra bona quae, accepto semine, reddit centuplum.[69] Nutrit aqua arbores, sed si mortuae sint et arefactae, non vivificat; haec autem aqua et fecundat arbores virides et vivificat aridas mortuasque, propterea dicitur *aqua vitae* et *spiritus vivificans*. Aqua naturalis facit ut arbores fructificent, sed tantum semel in anno; aqua vero haec, sicut apud Ezechielem[70] et Ioannem[71] legimus, facit ut fructificent per singulos menses semper, et ut singulae arbores producant multa genera fructuum: *Fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia,*[72] etc. Naturalis aqua abluit sordes admoto aliquando etiam sapone; sed aqua haec non tantum sordes abluit, sed si corpus nigrum sit, uti in Aethiopibus, album facit supra nivem: *Asperges me*, Domine,[73] etc.; si deforme sit, reddit pulcher-

60) Cf. ibid. vr. 1. 61) Cf. 28, 4-20. 62) Cf. Rom 8, 15-17; Gal 4, 5-7. 63) Lc 17, 21. 64) Rom 14, 17. Vulg.: *Non est regnum Dei*, etc. 65) Cf. Mc 1, 8; Lc 3, 16. 66) Cf. Act 2, 3-4. 67) Cf. Apc 22, 1. 68) Cf. 7, 10. 69) Cf. Mt 13, 8. 23; Mc 4, 8. 20; Lc 8, 8. 15. 70) Cf. 47, 12. 71) Cf. Apc 22, 2. 72) Gal 5, 22. 73) Ps 50, 9. *Domine* subiungitur in aliquibus codicibus. Cf. *Biblia Lovaniensis* S. Auctoris.

rimum; si infirmum et debile, sanum, sicut corpus Naaman syri ad aquas, [74] sicut in piscina contingebat; [75] caecos etiam oculos illuminat sicut aquae Siloe. [76] Tandem naturalis aqua sitim extinguit et levat, sed non nutrit corpus, non sustentat, non satiat, non levat famem, non dat vires; sed enim aqua haec simul potus et cibus est, sicut manna. Hinc Isaias ait: *Omnes sitientes venite ad aquas et qui non habetis argentum, venite, emite absque argento vinum et lac. Quare appenditis argentum* vestrum *non in panibus et laborem vestrum non in saturitate?* [77] Regius Vates ait: *Cibavit eos ex adipe frumenti et de petra melle saturavit eos;* [78] Moyses ait: *Ut sugeret mel de petra oleumque de saxo durissimo.* [79]

Omnes autem effectus hos gratia operatur, quia eius fons Christus est

Sic continet aqua haec virtutem et saporem omnis cibi et potus et, quod amplius est, confert perpetuam sanitatem et immortalitatem vitamque aeternam, sicut *lignum vitae* in paradiso. [80] Est enim aqua haec suapte natura incorruptibilis, non sicut aqua naturalis. Hoc enim docuit Dominus, dum cum samaritana de aqua hac philosopharetur: *Qui biberit ex aqua hac sitiet iterum,* [81] quoniam haec naturali calore consumitur et [in] humores sudoresque, in flegmam flatumque et in lotium convertitur; sed: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum,* quia *fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Sic dat homini vitam sicut anima corpori, propterea enim *spiritus* appellatur, quia operatur in anima omnes effectus, quos anima operatur in corpore optime organizato atque disposito.

et cum Spiritu S. datur.

O aquam mirabilem, o divinum fontem! Nam Christus Dominus non tantum fons est gratiae creatae, sed etiam ipsius Spiritus Sancti, qui Deus est increatus, vivus et verus; et quoniam gratia cum Spiritu Sancto datur, propterea tam mirabiles operatur effectus in nobis.

74) Cf. 4 Rg 5, 9-14. 75) Cf. Io 5, 4. 76) Cf. ibid. 9, 7. 77) 55, 1-2. 78) Ps 80, 17. 79) Dt 32, 13. 80) Gn 2, 9; 3, 27. 81) Io 4, 13. Vulg.: *Qui bibit*, etc.

FERIA TERTIA DOMINICAE PASSIONIS

Ambulabat Iesus in Galilaea, non enim volebat in Iudaea ambulare, quia quaerebant eum Iudaei. [1]

Christus ob virtutem suam Iudaeis maxime invisus erat, Deo autem maxime dilectus.

I. Vere a sapientibus dictum est quod in regno voluptatis non est virtuti locus. [2] En in Iudaea, ubi festi dies agebantur, non est locus unigenito Filio Dei: *Quaerebant eum Iudaei interficere;* [3] *Me... odit* mundus, *quia ego testimonium perhibeo de eo, quia opera eius mala sunt.* [4] Quam differt mundus a Deo! Vere ait: *Non enim viae meae viae vestrae, dicit Dominus, neque cogitationes meae cogitationes vestrae;* sed *sicut exaltantur coeli a terra, ita exaltatae sunt viae meae a viis vestris, et cogitationes meae a cogitationibus vestris.* [5] Deus diligebat quam maxime Christum; hinc ait in Iordane: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi* bene *complacui;* [6] et in monte transfigurationis iterum replicavit, cum eum glorificasset: *Hic est Filius meus dilectus;* [7] et apud Isaiam, [8] ut etiam Matthaeus habet: [9] *Ecce puer meus electus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animae meae.*

Figurae Christi Isaac, Iacob, Ioseph, David et Elias fuerunt.

Sic ipse Christus est Iacob dilectus, [10] ipse Ioseph patri dilectissimus, [11] sed tamen *fratres eius... oderant eum;* [12] sicut Iacob, cum dilectus esset a Deo, a fratre tamen Esau odio habebatur; [13] sicut Isaac, [14] patri Abrahamo dilectissimus, [15] a fratre Ismaele persecu-

1) Pericope huius diei Io 7, 1-13. Cf. Missale Rom. Sic legitur in aliquibus codicibus. Cf. *Biblia Lovaniensis;* Eb. Nestle *Novum Test.*, h. l. Vulg.: *Galilaeam... Iudaeam*, etc.
2) Cf. supra, Feria Quinta Cinerum, not. 68, pag. 20.
3) Io 7, 1.
4) Ibid. vr. 7. Vulg.: *Perhibeo de illo, quod opera*, etc.
5) Is 55, 8-9. Vulg.: *Non enim cogitationes meae cogitationes vestrae, neque viae meae viae vestrae,... sic exaltatae sunt*, etc.
6) Mt 3, 17.
7) Ibid. 17, 5; Lc 9, 35; 2 Petr 1, 17.
8) Cf. 42, 1.
9) 12, 18.
10) Cf. Bar 3, 37; Mal 1, 2; Rom 9, 13.
11) Cf. Gn 37, 3.
12) Ibid. vr. 4.
13) Cf. ibid. 27, 41.
14) Ms.: *Ismael*, loco: *Isaac.*
15) Cf. Gn 22, 2.

tionem sustinebat;[16] erat David Deo carus,[17] sed Saul mortali odio persequebatur eum,[18] sicut et Iezabel sanctum Eliam[19] Deo gratissimum. Sic mundus odit et persecutus est Christum unigenitum et dilectissimum Filium Dei.

Summa dilectione dignus erat Christus apud Deum, quia eius Filius naturalis;

II. Et quidem, si consideremus, Christum vere reperiemus summa dilectione dignum apud Deum et homines. Apud Deum quidem, quoniam unigenitus est Filius Dei, quoniam est Patri simillimus: *Qui est imago Dei invisibilis;*[20] *Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius;*[21] quia Filius optimus, pulcherrimus: *Speciosus forma prae filiis hominum;*[22] *In quem desiderant Angeli aspicere;*[23] sanctissimus: *Sanctus Sanctorum*[24] et *Sol iustitiae;*[25] erga Patrem amantissimus et obedientissimus: *Ego diligo Patrem et, sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio;*[26] *Ego quae placita sunt ei facio semper.*[27]

apud Angelos et homines, quia auctor verae felicitatis et vitae aeternae.

Etiam apud homines, imo et apud Angelos summa dilectione dignus est Christus, quod in nativitate ipsius ostensum est; nam laetantes Angeli cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.*[28] Ostendit Angelus quantopere Christus diligendus hominibus sit dicens: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.*[29] Hinc Christus dicitur *Desideratus cunctis gentibus,*[30] tanquam auctor verae felicitatis, perpetuae salutis, aeternae vitae. Erat cum hominibus Christus in conversatione placidissimus: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde;*[31] praedicator acceptissimus: *Nunquam sic homo locutus est;*[32] *Mirabantur in verbis gratiae quae procedebant de ore eius;*[33] erat medicus divinus, curabat omnes infirmitates eorum, mortuos etiam suscitabat; erat thesaurus omnium desiderabilium bonorum, tanquam verus mundi Salvator, unigenitus Filius Dei, auctor et creator omnium.

In Christo reperiebatur omnis ratio amoris,

Reperiebatur in Christo omnis ratio amoris. Nam, si magni fiunt homines propter utilitatem, ut Ioseph in Aegypto,[34] propter divinas

16) Cf. Gal 4, 29. 17) Cf. 1 Rg 13, 14; Act 13, 22. 18) Cf. 1 Rg 18, 8-27, 1 sqq. 19) Cf. 3 Rg 19, 1 sqq. 20) Col 1, 15. 21) Hebr 1, 3. 22) Ps 44, 3. 23) 1 Petr 1, 12. Vulg.: *Prospicere.* 24) Dn 9, 24. 25) Mal 4, 2. 26) Io 14, 31. 27) Ibid. 8, 29. 28) Lc 2, 14. Vulg.: *In altissimis*, etc. 29) Ibid. vr. 10. 30) Agg 2, 8. 31) Mt 11, 29. 32) Io 7, 46. Vulg.: *Sic locutus est homo.* 33) Lc 4, 22. Vulg.: *De ore ipsius.* 34) Cf. Gn 41, 53 sqq.

quia in eo inveniebantur omnia dona naturae et gratiae.

virtutes, ut Moyses apud Hebraeos,[35] propter sapientiam, ut Salomon,[36] propter fortitudinem, ut Samson contra inimicos,[37] propter divinam sanctitatem, ut Prophetae et Patriarchae, propter miracula, ut Elias[38] et Eliseus;[39] haec omnia et multa alia in Christo cumulatissime reperiebantur. Nam, sicut stellae modici sunt splendoris et luminis comparatione solis, sic Ioseph, Moyses, Samson, David, qui pro decem millibus reputabatur,[40] Absalom pulcherrimus,[41] Salomon sapientissimus, Elias, Eliseus, Patriarchae, Prophetae omnes nihil fere sunt apud Christum verum Deum et hominem. Et tamen, o Deus, non solum non diligebatur, cum summo dignus esset amore, sed insuper odio habebatur: *Me... odit* mundus.

Odio autem habebatur a Iudaeis, quia iniquissimi erant

III. Sed nil mirum. Oculus infirmus et male affectus odit lucem; vespertiliones omnesque aves nocturnae oderunt, fugiunt lucem, et verum illud est:

« Veritas odium parit ».[42]

Me... odit mundus, *quia ego testimonium perhibeo quia opera eius mala sunt.*[43] Oritur odium ex mala voluntate et animo perverso, iniqua et depravata mente, quae vitia magis diligit quam virtutes, carnem quam spiritum, terram quam coelum, mundum eiusque voluptates magis quam Deum. Sic Isaac odio habebatur ab Ismaele, Iacob ab Esau, Ioseph a fratribus, David a Saule, Elias a Iezabele, Daniel a satrapis;[44] sic Christus a Iudaeis: *Quia opera eius mala sunt; Odio habuerunt me gratis.*[45]

et vano timore ducebantur ne Christus causa esset ruinae reipublicae.

Movebantur etiam odio in Christum ex vano timore: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani et tollent nostrum locum et gentem;*[46] ex caeca ambitione: Quia *dilexerunt... gloriam hominum magis quam... Dei;*[47] ex avaritia: *Hic est heres: venite, occidamus eum et habebimus hereditatem eius;*[48] ex superbia: *Nolumus hunc regnare super nos:* quia *cives... eius oderant eum;*[49] ex falso etiam zelo religionis: *Persequebantur eum Iudaei, quia haec faciebat in sab-*

35) Cf. Ex 4, 30-31. 36) Cf. 3 Rg 3, 28. 37) Cf. Idc 15, 1-16, 1 sqq. 38) Cf. 3 Rg 17, 1-21, 1 sqq.; 4 Rg 1, 1-2, 1-11. 39) Cf. 4 Rg 2, 12-13, 1-21. 40) Cf. 1 Rg 18, 7-8; 2 Rg 18, 3. 41) Cf. 2 Rg 14, 25-26. 42) Terentius *Andria*, act. 1, sc. 1, vr. 41. 43) Io 7, 7. Vulg.: *Quod opera*, etc. 44) Cf. Dn 6, 7 sqq.; 14, 1 sqq. 45) Io 15, 25. Cf. Ps 68, 5. 46) Io 11, 48. 47) Ibid. 12, 43. 48) Mt 21, 38. 49) Lc 19, 14. Vulg.: *Quod opera eius*, etc.

bato; [50] *Non est hic homo a Deo qui sabbatum non custodit;* [51] quia etiam non cognoscebant eum : *Mundus per ipsum factus est et mundus eum non cognovit;* [52] *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent;* [53] *Nesciunt quid faciunt;* [54] *Scio, fratres, quod per ignorantiam fecistis* vos *et principes vestri.* [55]

et a satanae spiritu agebantur contra eum;

Sed tandem instinctu et operatione satanae, qui ingressus fuit in Iudam ut proderet eum, [56] mundus erat veluti equus diaboli. Equus autem, si ab inimico insideatur, insilit in hominem, calcitrat, mordet, pedibus vult conculcare; sine equite autem inimico hominis, nihil horum ageret contra hominem illum, neque enim natura inimicus est hominis, sicut serpens aut truculenta bestia dum magna fames urget. Sic in mysterio legimus : *Equum et ascensorem proiecit in mare,* [57] Pharaonem cum exercitu suo. Regitur enim exercitus ab imperatore, sicut equus ab equite. Satanas autem *princeps mundi huius* [58] dicitur. Quare mundus hic equus est satanae, sicut Ecclesia equus Christi.

ideo bene figurati per Cain, Ismaelem, Esau, Pharaonem, Saulem et fratres Ioseph.

Hoc est quod I o a n n e s in suis *Revelationibus* Christum vidit super equum album, satanam vero super equum nigrum. [59] Equus hic a satana agitatus in Christum pugnavit, elisit calces, morsibus et conculcatione pedum perdere voluit, quia satanas capitalis inimicus est Christi : *Inimicus homo hoc fecit.* [60] Ipse est Cain, qui odit Abel ex invidia, quia Deus Abelem praetulerat ipsi Caino ; [61] Ismael, qui persequitur Isaac propter paternam hereditatem et propter eum domo eiectus fuit ; [62] Esau, qui oderat Iacob propter ius primogeniturae amissum amissamque benedictionem ; Esau enim propterea occidere volebat fratrem suum Iacob. [63] Pharao oderat Moysen propter Hebraeos, quos educere volebat ex Aegypto ; [64] Saul propter regnum oderat Davidem et occidere volebat, ne David regnum ipsi auferret; [65] Ioseph odio habebatur a fratribus, quia a patre *plus cunctis* diligebatur. [66]

Satanas enim Christum odit,

Sic a satana et daemonibus inimicis Dei Christus semper odio est habitus propter invidiam, propter ambitionem, propter superbiam,

50) Io 5, 16. Vulg. : *Persequebantur Iudaei Iesum,* etc. 51) Ibid. 9, 16. 52) Ibid. 1, 10.
53) 1 Cor 2, 8. 54) Lc 23, 34. Vulg.: *Non enim sciunt,* etc. 55) Act 3, 17.
56) Cf. Lc 22, 3 ; Io 13, 27. 57) Ex 15, 1. 58) Io 14, 30 ; 16, 11. 59) Cf. Apc 6, 2-5. 60) Mt 13, 28. 61) Cf. Gn 4, 4-5. 62) Cf. ibid. 21, 9-20; Gal 4, 29-30.
63) Cf. Gn 25, 32-34 ; 27, 1-42. 64) Cf. Ex 5, 1 sqq. 65) Cf. 1 Rg 18, 6-29.
66) Gn 37, 4.

quia Christus super Angelos exaltatus fuit, et in mundum venit ad destruendam illius potestatem;

propter cupiditatem, propter animi summam perversitatem; propterea quod Christus homo a Deo praepositus fuit Angelis, [67] magis dilectus fuit, [68] exaltatus super Angelos, [69] unicus Dei heres declaratus, [70] primogenitus super omnem creaturam, [71] supremus universi dominus et summus rex constitutus; [72] quia etiam in mundum venerat Christus, sicut Moyses in Aegyptum ad educendos inde Hebraeos, ad eripiendos electos Dei de potestate daemonis, imo ad ipsum deturbandum et eiciendum de principatu et regno mundi usurpato et tyrannice per vim et summam iniuriam occupato: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eicietur foras;* [73] quoniam etiam ipsius Christi causa cum angelis suis apostaticis, desertoribus Dei, eiectus fuerat de coelo in infernum; [74] et tandem, quoniam unicus erat et dilectissimus Filius Dei, quem ipse diabolus, Dei capitalis inimicus, acerrimo aeternoque odio prosequitur, ita ut nec imaginem quidem Dei aequo animo et rectis oculis videre possit, propter acceptam ab eo aeternae damnationis irrevocabilem sententiam.

quia ipse Christi causa eiectus fuit de coelo, et quia unicus Dei Filius est.

His igitur de causis satanas Christum odit et persecutus est semper; et propterea mundus satanico spiritu plenus, sicut Saul Dei spiritu destitutus, persecutus est Christum, sicut Saul nefario spiritu agitatus, Davidem persequebatur et mortali odio ad necem quaerebat. Hoc spiritu agitatus Herodes Christum infantem perdere voluit et propterea Innocentes Bethlehemitas occidit; [75] ideo in Iudaea, in regno satanae – sunt nanque Iudaei, ut Ioannes ait, *synagoga satanae,* [76] – non est locus Christo: *Quaerebant Iudaei eum interficere.*

Ideo qui Christum odio habent, spiritu satanae aguntur, sicut Iudaei.

IV. Sed tamen, si non erat Christo locus in Iudaea, erat in Galilaea; si non est Christo locus in regno satanae, est locus in regno Dei. Quare duo regna sunt Galilaea et Iudaea, regnum Israel et regnum Iuda, regnum Dei et regnum satanae: *Ambulabat... in Galilaea, non enim volebat in Iudaea ambulare, quia quaerebant Iudaei eum interficere,* quia *oderant eum; Non potest mundus odisse vos, me autem odit.* [77]

In duo regna mundus dividitur: regnum Dei et regnum satanae;

67) Cf. Ps 2, 7; Hebr 1, 4. 68) Cf. Is 5, 1; 42, 1; Mt 12, 18. 69) Cf. Ps 44, 7; 96, 7; Hebr 1, 6-14. 70) Cf. Hebr 1, 2. 71) Cf. Col 1, 15-18. 72) Cf. Ps 2, 8-9; 1 Tim 6, 15; Apc 17, 14; 19, 15-16. 73) Io 12, 31. 74) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6; S. Laurentius a Br. *Opera Omnia*, vol. 3, *Explanatio in Genesim*, pag. 257-259. 75) Cf. Mt 2, 13-18. 76) Apc 2, 9. 77) Io 7, 7.

sed regnum Dei perfectione eminet, regnum satanae perversitate;

Assignantur autem in hodierno Evangelio non solum duo regna haec, Dei et satanae, Christi et diaboli, verum etiam eorum insignia atque discrimina. Nam diversa regna sub diversis principibus regibusque maxime inimicis diversas habent leges, studia, mores. Christus autem et satanas inimici sunt: *Quae societas lucis ad tenebras?* aut *quae... conventio Christi ad Belial?* [78] Sunt autem discrimina, quoniam regnum Dei Galilaea dicitur, et interpretatur c i r c u l u s, s p h a e r a, r o t a, unde: *Vox tonitrui tui in rota,* [79] בַּגַּלְגַּל: [80] *in Galilaea.* Coelum sic dicitur propter sphaericam rotunditatem; sic etiam: *Manus eius tornatiles,* [81] גְּלִילֵי, [82] propter rotunditatem. Designat autem opera Dei perfecta, quoniam circulus et sphaera geometris figurae sunt omnium perfectissimae. Ecclesia saepe in Sacris Litteris dicta est *regnum coelorum.* [83] Regnum autem satanae dicitur Iudaea, quae interpretatur l a u s: *Quoniam laudatur peccator in desideriis animae suae, et iniquus benedicitur.* [84] Mundus laudari vult etiam cum male agat; hinc odit Christum: *Quia,* inquit, *ego testimonium perhibeo de eo, quia opera eius mala sunt.* Divinas laudes sibi tribuit mundus divinamque gloriam sibi usurpat.

regnum Dei in humilitate fundatur, regnum satanae in superbia;

Deinde, Galilaea humili loco sita est, Iudaea autem loco editiori, montes habet. [85] Proprium regni Dei humilitas est, nam: *Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.* [86] Mundus autem altitudinem superbiae habet, quam Christus humillimus renuit, nec vult hodie pro consilio suorum in Iudaeam ascendere. [87]

in regno Dei Christus honoratur, in regno satanae contemnitur

Tertio, in Galilaea Christus secure conversatur, quia diligitur; in Iudaea non item, nisi magno cum periculo, *quia quaerebant,* insidiabantur, tendebant ei laqueos et parabant insidias ut interficerent eum, quia eum oderant: *Me autem odit* mundus. Sic in regno Dei diligitur et honoratur [88] Christus tanquam unigenitus Filius, sicut legimus quod Galilaei exceperunt Christum cum honore; [89] in regno autem satanae contemnitur et odio habetur.

In hodierno Evangelio duo hominum genera ponuntur: *Alii...*

78) 2 Cor 6, 14-15. Vulg.: *Luci ad tenebras?* 79) Ps 76 (hebr. 77), 19. 80) Ms.: *In Ghilgal.* 81) Ct 5, 14. 82) Ms.: *Ghelile.* 83) Mt 13, 24-47; 20, 1; 25, 1. 84) Ps 10, 3. 85) Cf. Aug. Calmet *Dictionarium S. Scripturae,* sub his vocibus. 86) Iac 4, 6; 1 Petr 5, 5. Vulg.: *Deus superbis resistit,* etc. 87) Cf. Io 7, 1-8. 88) Ms.: *Et honoratur* repetitur. 89) Cf. Lc 4, 14-15; Io 4, 45.

Ideo duo etiam hominum genera inveniuntur: qui Christum diligunt et qui eum blasphemant,

dicebant quia bonus est; alii vero...: non, sed seducit turbas. [90] Sic in regno Dei, in Ecclesia, laudatur Christus tanquam bonus, sanctus, unigenitus Filius Dei, verus Messias, Redemptor humani generis, Salvator mundi; in regno autem satanae a Iudaeis, ab infidelibus blasphematur. Adhuc, celebratur festum in Iudaea, non autem in Galilaea. Assignavit Deus homini tempus laboris et tempus quietis in sabbato, in ultimo hebdomadis die, dies vigiliarum et dies festorum: *Tempus flendi et tempus ridendi,* [91] tempus poenitentiae et tempus laetitiae ac voluptatum.

quia duo haec regna sunt veluti duo mundi hemisphaeria inter se opposita.

Sunt autem haec duo regna sicut duo mundi hemisphaeria: quando in uno est dies, in altero nox est et, e contra, quando in uno hiems, in altero aestas. Sed post diem nox, et post noctem dies, post lucem tenebrae et post tenebras lux, post aestatem hiems et post hiemem aestas. Sic post vigiliam festivitas et, e contra, sicut manifeste accidit in divite epulone et Lazaro mendico: *Recordare,* dictum fuit epuloni, *quia recepisti bona in vita tua:* ecce dies et tempus lucis in hoc hemisphaerio, *et Lazarus similiter mala:* ecce nox et tempus tenebrarum; in altero: *Nunc autem hic consolatur:* ecce dies post noctem, *tu vero cruciaris:* [92] ecce nox post diem.

Temporalem felicitatem huius mundi aeterna infelicitas subsequitur, temporalem autem poenitentiam sempiterna felicitas;

V. Sed non sine causa renuit Christus ad diem festum ascendere. *Vos,* inquit, *ascendite ad diem festum hunc, ego autem nondum ascendam ad diem festum istum,* [93] quia *tempus meum nondum advenit;* [94] quia mundi huius felicitas temporalis est, brevissima est, momentanea est; sequitur vero eam aeterna infelicitas, ut in epulone manifestum est. E contra vero, adversitas et poenitentia mundi huius brevis est, eam tamen sequitur sempiterna felicitas et gloria in paradiso, ut in Lazaro mendico liquido patet. Quare docet Dominus expectandum esse tempus celebrandae festivitatis sine periculo.

hinc felicitas, qua in regno satanae fruitur, plena periculis est;

Docet regnum satanae, in quo festum celebratur, plenum esse periculis: *Quia quaerebant eum Iudaei* inimici *interficere.* Sunt autem hi daemones, qui saluti nostrae ad perdendos nos iugiter insidiantur. Periit Adam in paradiso propter insidias diaboli, [95] Loth in Pentapoli, quae

90) Io 7, 12. 91) Eccle 3, 4. 92) Lc 16, 25. 93) Io 7, 8. Sic legitur in aliquibus codicibus. Cf. *Biblia Lovaniensis;* Eb. Nestle *Novum Test.,* h. l. Vulg.: *Non ascendo.*
94) Ibid. vr. 6. 95) Cf. Gn 3, 1-19.

sicut paradisus Domini [96] videbatur, vix evasit incendium ignis et sulphuris; [97] David in felicitate perierat, nisi postmodum per poenitentiam saluti restitutus esset; [98] Salomon in sua felicitate aeternam felicitatem amisit lapsus in idololatriam; [99] sic etiam dives epulo in felicitate periit, quemadmodum etiam Nabal carmelus [100] et Saul factus rex, qui prius erat vir optimus. [101] Sic docet Dominus quod mundi huius felicitas multis periculis plena est salutis aeternae.

Invitatus Iacob ab Esau ut secum iret in domum et regionem suam, ire secum noluit. [102] Sic nec Dominus hodie cum fratribus suis ascendere voluit ad diem festum in Ierusalem, licet invitatus esset ab eis. Scit enim quod mundi felicitas venenum mellitum est, quod pratum est in vere virens et floridum, sed tamen serpentibus plenum, qui latent sub herba. *Tempus* inquit, *meum nondum advenit; Omnia tempus habent et suis spatiis transeunt universa sub sole.* [103]

quod significare voluit Christus renuens ad diem festum ascendere.

Sic igitur in hodierno Evangelio, fratres, duo regna habemus: regnum Dei, Galilaea, et regnum satanae, Iudaea. Haec sunt regnum Israel et regnum Syriae, regnum Ierusalem et regnum Babylonis. Magna sunt regna, quia in duo haec totus dividitur mundus. Creavit Deus hominem liberum, ut pro libito possit in alterutro horum regnorum conversari. *Vos*, inquit, *ascendite ad diem festum hunc.* Non praecipit, sed libertatem declarat: Si vultis ascendere, nullum vos retinet impedimentum. Ubi docet Dominus multos esse in Galilaea, qui tamen moribus et vita de regno Iudaeae sunt; multos in Ecclesia, qui tamen vere mundani sunt. *Non potest*, inquit, *mundus odisse vos*, quia similes mundi estis, *me autem odit*, tanquam dissimilem sibi, *quia ego testimonio perhibeo de eo, quia opera eius mala sunt.* Multi sunt in Galilaea, qui fratres Christi dicuntur, nec tamen vere credunt in Christum: *Neque enim*, inquit, *fratres eius credebant in eum.* [104] Non oderant quidem, sed tamen nec vere diligebant. Sic multi sunt Christianorum.

In cuiusvis autem arbitrio est ad regnum satanae pertinere.

Docet etiam hodiernum Evangelium quod electi Dei, qui similes Christo sunt, habent etiam suam felicitatem, suam consolationem, sed tamen occultas, non manifestas, quia spirituales, non carnales, divinas, non humanas: *Ascendit*, inquit, *ad diem festum non manifeste, sed quasi*

Iusti in hoc mundo quoque consolationibus spiritualibus gaudere possunt.

96) Ibid. 13, 10. 97) Cf. ibid. 19, 22-30. 98) Cf. 2 Rg 11, 1-12, 1-14. 99) Cf. 3 Rg 11, 1-11. 100) Cf. 1 Rg 25, 1-39. 101) Cf. ibid. 9, 2. 102) Cf. Gn 33, 9-16. 103) Eccle 3, 1. Vulg.: *Sub coelo.* 104) Io 7, 5.

in occulto;[105] *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te!*[106] Ostendit quod, post felicitatem et consolationem mundanorum, sequitur consolatio electorum Dei, nam postquam *ascenderunt fratres eius, tunc et ipse ascendit ad diem festum non manifeste.*

sed maxima prudentia illis opus est ad cavendas inimicorum insidias.

Proponitur hodie Christi prudentia in tuenda salute, in cavendis periculis et insidiis inimicorum. Prudentia christiana summe necessaria est ad salutem, non *prudentia carnis*, quae *mors est*, quae Dei *inimica est*, quoniam *legi... Dei non est subiecta*, sed *prudentia spiritus* quae *vita et pax*[107] est. Prudenter hodie Christus praefert Galilaeam Iudaeae, quoniam salus et vita praeferenda est voluptati et gloriae mundi huius. Prudenter expectat tempus celebrandi festum, eundi in Ierusalem; prudenter respondit fratribus persuadentibus ut iret in Ierusalem et manifestaret seipsum mundo;[108] prudenter *in occulto* ascendit.

Deus tempus deputavit usibus humanis dedicandum, et divino cultui;

VI. *Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum.*[109] Duo tempora hic assignantur a Christo: alterum quidem Dei, alterum vero hominis et mundi. Sic enim ab initio Deus diem sabbati sanctificavit et divino cultui consecravit.[110] Et potuisset quidem Deus plures dies hebdomadis religioni et pietati dedicare; sed tamen uno tantum contentus esse voluit, ut ostenderet discrimen inter gratiam et naturam, Deum et mundum. Nam Deus est veluti auri copiosissima vena, mundus autem et natura vena ferri. Maius lucrum acquirit homo si per horam fodiat in auri fodina, quam si per totum diem in fodina ferri.

opera autem diaboli etiam sacros dies mundus suis vitiis profanat.

Nunc autem mundus pro sua impietate tempus, divino cultui dedicatum et sanctificatum a Deo, suis usibus deputavit, profanavit, sibi usurpavit. Sicut enim Philisthaei invidia perciti repleverunt terra, glareis et ruderibus puteos Abrahami et Isaac,[111] sic mundani homines daemonum arte et opera, sacros dies, ad pietatis opera divinitus institutos, multis vitiis pravisque consuetudinibus foedarunt ac deturparunt, aliisque diebus ut plurimum Deo execrabiliores reddiderunt.

105) Ibid. vr. 10. 106) Ps 30, 20. 107) Rom 8, 6-7. 108) Cf. Io 7, 4.
109) Ibid. vr. 6. 110) Cf. Gn 2, 2. 111) Cf. ibid. 26, 15.

Hinc invitatus hodie Christus ad diem festum, ire noluit cum fratribus, idest consanguineis suis, sed ascendit postea veluti *in occulto.*

Cavendum ergo est ne dies festi ad salutem animae instituti, in perniciem vertantur.

Sic *prudentia carnis . . . inimica Deo* inventionibus suis dies sacros daemoni dedicavit, Cereri, Baccho, Veneri, cultui idolorum, turpissimorum vitiorum, ut vix paucissimi reperiantur qui cum Christo dies sacros sanctificent, sed veluti *in occulto.* Nam ostendit Dominus quod vel maxime in diebus festis multi tenduntur laquei ad perdendum ipsum Christum in fidelium cordibus per peccatum, opera daemonum inimicorum Christi. Nam hi sunt Iudaei, qui etiam nunc quaerunt Christum interficere, qui Christum in membris ipsius accerrimo odio persequuntur. Ita sacrum tempus, quod in salutem hominis divinitus institutum fuit ac veluti in medelam ad purgandas animas, a mundo et satana versum est in perniciem, in venenum, ita ut magna prudentia opus sit.

sed omnia tempora pro usibus convenientibus prudenter distribuantur.

Tempus meum nondum advenit. Prudens homo agit omnia temporibus suis, sicut motus coeli ordinatissimus et regulatissimus est. Vita Christi fuit sicut motus solis in coelo: omnia suis temporibus agit. Expendit autem Christus partem temporis in Galilaea, in salutem hominum, partem etiam in Iudaea, in Ierusalem, nam *quasi in occulto* ascendit ad diem festum ad adorandum Patrem in Ierusalem. Ita agendum nobis est, sicut Iacob patriarcha dixit: Tempus est *ut aliquando provideam domui meae,* [112] cum multis annis servisset Labano in Mesopotamia extra domum patris sui. [113]

A prudentia mundi valde differt prudentia Christi, qui per humilitatem consecutus est summam gloriam.

Transi hinc et vade in Iudaeam . . .; nemo enim in occulto quicquam facit et quaerit . . . in palam esse. [114] Prudentia carnis et mundi arguit prudentiam Christi, quod ad finem optatum consequendum non uteretur convenientibus mediis. Nam, inquiunt, quisquis quaerit *in palam esse,* agnosci, honorari et celebrari ab hominibus; non operatur quae laude et honore digna sunt, in occulto, sed manifestat seipsum mundo et opera sua invulgat; tu autem, inquiunt, oppositum [115] facis: ergo imprudenter; nescis quid agas. *Si haec facis, manifesta teipsum mundo.* [116] Sic Evangelium Christi reputabatur stultitia, et tamen Christus per humilitatem consecutus est summam gloriam.

112) Ibid. 30, 30. 113) Cf. ibid. 29, 1-31, 1-17. 114) Io 7, 3-4. Vulg.: *In occulto quid facit,* etc. 115) Ms.: *Oppositus.* 116) Io 7, 4.

Me... odit mundus. Quam caeca est mundi prudentia! Summum bonum et bonorum omnium fontem odio prosequuntur: *Quaerebant Iudaei illum interficere.* [117]

ALIA HOMILIA

Ambulabat Iesus in Galilaea, non enim volebat in Iudaea ambulare, quia quaerebant eum Iudaei. [1]

Christus fugit Iudaeorum persecutionem, ut discipulos suos prudentiam doceret;

I. Ostenditur in hodierno Evangelio Christus Dominus noster tanquam verus homo. Nullus in eo hodie fulget aut emicat divinitatis splendor; videtur esse Iacob fugiens persecutionem Esau fratris sui in Mesopotamiam, [1a] David fugiens insidias regis Saul in regionem Philisthaeorum, [2] Elias fugiens percecutiones Iezabel in desertum; [3] ita Christus ambulabat per Galilaeam, non per Iudaeam, *quia quaerebant eum Iudaei interficere.* Fuga tamen haec non fuit ex impotentia; sed ex prudentia, ut facto ipso fideles suos prudentiam doceret; sicut enim legimus quod dedit Deus Salomoni sapientiam et prudentiam multam valde, [4] ita et Christo.

Ipse enim Rex erat et summus Sacerdos, Propheta et Dux exercitus Domini.

Iussit David ut Salomon filius suus ungeretur rex a Sadoch sacerdote, Nathan propheta et Banaia filio Ioiadae, qui dux erat militum regem perpetuo custodientium. [5] Christus autem natus fuit Rex; hinc Magi dicebant quaerentes Christum: *Ubi est qui natus est rex Iudaeorum?* [6] Unctus fuit a Sanctissima Trinitate in utero Virginis, ita tamen unctus fuit Rex, ut simul esset summus Sacerdos, summus Propheta et summus Dux exercitus Domini. Interpretatur autem Sadoch i u s t i t i a, Nathan d o n u m, Banaias p r u d e n t i a D o m i n i. Dicitur autem *filius Ioiadae,* quod est c o g n o s c e n s D o m i n u m, quoniam dedit Deus Christo summam sanctitatem, omnem plenitudinem Spiritus Sancti et humanam etiam prudentiam perfectissimam numerisque omnibus absolutam. In Sacris

117) Ibid. vr. 1. Vulg.: *Quaerebant eum Iudaei,* etc. Cf. supra, not. 1, praec. hom., pag. 438.

1) Io 7, 1. Cf. supra, not. 1 praec. hom., pag. 438. 1a) Cf. Gn 27, 41-28, 1-5. 2) Cf. 1 Rg 27, 1-29, 1 sqq. 3) Cf. 3 Rg 19, 2-9. 4) Cf. ibid. 3, 5-12. 5) Cf. ibid. 1, 32-39. 6) Mt 2, 2.

Litteris laudatur de prudentia Iacob,[7] Ioseph[8] et David.[9] Christus autem apud Zachariam dicitur *lapis* habens septem oculos,[10] in *Apocalypsi* vero *agnus habens cornua septem et oculos septem.*[11] Prudentem virum dicunt oculatum et per Argum centoculum vir prudens a poetis designatus fuit.[12] Sic Christus dicitur septem oculos habere. In *Apocalypsi* ait Ioannes quod oculi Christi sunt *sicut flamma ignis,*[13] hoc est ardentes, perspicaces, acuti. Per oculos autem in corpore designatur intellectus in anima.

II. Fuit autem in Christo perfectissima prudentia, non quidem purgatoria aut animi purgati, sed animi purissimi, unde in Sacris Litteris *serpens*[14] appellatur et *agnus.*[15] Fuit prudentia exemplaris et divina, sicut omnis alia virtus in eo. Fuit in Christo perfectissima memoria quoad praeterita, intelligentia quoad praesentia, providentia quoad futura. Fuit in eo perfectissima prudentia, non tantum monastica quoad regimen sui ipsius, et oeconomica quoad regimen domesticorum et familiarium suorum, sed etiam politica quoad regimen totius Ecclesiae. Fuit in eo perfectissima prudentia quoad partem illam, quam Graeci σύμβουλίαν[16] dicunt, idest boni consilii, ad invenienda media necessaria ad finem consequendum, quoad eam etiam partem, quam σύνεσιν dicunt, et consistit in sano iudicio ac recta dispositione et ordinatione eorum, quae inventa sunt, mediorum ad finem ; ac tandem quoad eam partem, quam γνώμην appellant, et consistit in perspicacitate mentis quoad media extraordinaria, extra communes canones et regulas prudentiae.

Ideo perfectissima prudentia donatus fuit, monastica, oeconomica, politica.

Non fuit autem in Christo *prudentia carnis,* quam dixit Apostolus quod *mors est,* quoniam *legi ... Dei non est subiecta, neque ... potest* esse subiecta, sed *inimica Deo est.*[17] Haec nanque satanica prudentia est, calliditas ad decipiendum, ad dolos, ad fraudes, sicut serpens decepit Evam ;[18] sed *prudentia spiritus,* de qua idem Apostolus ait quod est *vita et pax.*[19] Haec autem oritur ex cognitione Dei ; sic enim Banaias fuit *filius Ioiadae.* Sic Dominus dixit Iosue, cum

In Christo fuit perfectissima prudentia monastica,

7) Cf. Gn 32, 1 sqq. 8) Cf. ibid. 40, 16. 9) Cf. 1 Rg 18, 5. 14-15. 30. 10) 3, 9. 11) 5, 6. 12) Cf. Ovid. *Amorum,* lib. 3, eleg. 4, vrr. 19-20 ; Lud. Caelius *Lect. Antiq.,* lib. 18, cp. 6, col. 973. 13) 19, 12. 14) Cf. Io 3, 14. 15) Cf. Is 16, 1 ; 53, 7 ; Io 1, 29. 36 ; Apc 5, 6 sqq. 16) Ms.: *Symboliam,* et infra : *Synesim,* et : *Gnomin.* 17) Rom 8, 6-7. 18) Cf. Gn 3, 1-13. 19) Rom 8, 6.

eum, post Moysi obitum, principem constituit populi sui: *Confortare . . . et esto rubustus valde, ut custodias et facias omnem legem, quam praecepit tibi Moyses servus meus: non declines ab ea ad dexteram neque ad sinistram, ut intelligas cuncta quae agis.* [20] Manifeste docuit quod ex divina lege oritur vera prudentia. Cui etiam subiunxit: *Non recedat volumen legis huius de ore tuo, et meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia, quae scripta sunt in eo. Tunc diriges vias tuas et intelliges eam.* [21] Nonnulli hebraicam vocem interpretantur וְאָז־תַּשְׂכִּיל: [22] *tunc feliciter ages;* [23] nam, qui prudentes sunt, res suas sapienter dirigunt et feliciter administrant; unde vel semper optatum finem assequuntur et voti compotes fiunt. Praeterea, ea vox quae intelligere significat – nam שֶׂכֶל [24] intellectus dicitur, – significat etiam prosperari, fortunari, feliciter agere. Ita interpretantur illud, quod in *1 Regum* de David scriptum est: *In omnibus . . . viis suis David prudenter agebat et Dominus erat cum eo;* [25] et: *Vidit Saul quod prudens esset nimis,* [26] hebraice מַשְׂכִּיל: [27] *quod felix fortunatus;* et item: *Prudentius se gerebat David quam omnes servi Saulis et celebre factum est nomen eius nimis;* [28] *prudentius se gerebat:* שָׂכַל: [29] *felicius rem administrabat.* Cum negotium aliquod pro voto successit, dicimus quod bene intellectum fuit; cum vero male, dicimus fuisse male intellectum. Ita plane Divina Scriptura loquitur: *Tunc intelliges universa quae agis.* [29a] Sic de Christo apud Ieremiam legimus: *Suscitabo David germen iustum et regnabit rex et sapiens erit:* [30] וְהִשְׂכִּיל: [31] *intelliget, prospere, feliciter aget.* Sic apud Isaiam: *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur . . . elevabitur et sublimis erit valde.* [32] Reperitur pru-

quae oritur ex cognitione Dei et divinae voluntatis,

quia intellectus eius superior erat humano et angelico;

20) Ios 1, 7. Vulg.: *Ne declines... vel ad sinistram*, etc. 21) Ibid. vr. 8. Vulg.: *Ab ore tuo, sed meditaberis.* 22) Ms.: *Az taschil.* 23) Cf. Rab. David Kimchi *Liber Radicum*, sub voce: שכל, et in *Biblia Rabbinica, Comment. in Lib. Iosue*, h. l. Sic et Rab. Salomon ibid. Vatablus: « Alii vertunt: *Prosperaberis in omnibus viis tuis*, ut אח accipiatur pro ב, et verbum sit intrasitivum, ut admonet doctus inter Hebraeos ». *Critici Sacri*, t. 2, col. 2. Masius: « Verbum תַּשִׂיכִּל, quod reddidi *prudens sis*, interpretantur Hebraeorum magistri: *felix sis* ». Ibid. col. 19. Ita et Drusius ibid. col. 33; Pagnini *Thesaurus Linguae Sanctae*, sub voce: שָׂכַל. 24) Ms.: *Scechel.* 25) 18, 14. 26) Ibid. vr. 15. 27) Ms.: *Maschil.* 28) 1 Rg 18, 30. 29) Ms.: *Schacal.* 29a) 3 Rg 2, 3. Vulg.: *Quae facis.* 30) 23, 5. 31) Ms.: *Veiaschil.* 32) 52, 13.

dentia, sicut intellectus, in hominibus, in Angelis et in Deo. Christus prudentior hominibus, prudentior Angelis, prudens ut Deus, ideo dicitur: *Intelliget... exaltabitur... elevabitur et sublimis erit valde.*

Ostenditur autem hodie de Christo monastica prudentia. Nam, sicut Paulus docet non posse habere prudentiam politicam eum qui oeconomica caret – iubet enim ut Episcopus instituatur homo domui suae bene praepositus, [33] nam, ait: *Qui domui suae praeesse nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit?* [34] – ita qui monastica prudentia destitutus est, nesciens regere et moderari seipsum, oeconomica et politica basilicaque praeditus esse non poterit.

Ideo etiam perfectissima fuit prudentia oeconomica et politica, quarum monastica basis est.

III. Ostenditur autem Christi prudentia hodie tum in opere, quia ambulabat per Galilaeam, non autem per Iudaeam, quoniam *quaerebant eum Iudaei interficere;* maxime elucet prudentia in cavendis periculis et in eligenda semper tutiori ac securiori parte; in verbis autem, nam fratribus suis prudenter respondit: *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam..., quia tempus meum nondum impletum est;* [35] *Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum.* [36] Ubi ostendit quod tempore convenienti omnia agenda sunt, sicut horologium bene temperatum suis temporibus pulsat et dat signa horarum. Prudentis est hominis non accipere mala consilia, quae ipsum in discrimen magnum adducere possent, licet prima facie bona et utilia videantur consilia, uti sunt consilia hominum ad acquirendam apud omnes gloriam in mundo: *Si haec facis, manifesta teipsum mundo, nemo enim in occulto quicquam facit et quaerit... in palam esse.* [37] Si, inquiunt, cognosci vis ut verus Messias et sic apud omnes celebrari, vade et fac opera, quae agis, in celeberrima Iudaeae metropoli Ierusalem, quo hoc tempore omnes conveniunt.

Elucet hodie haec Christi prudentia tam in opere quam in verbis.

IV. Ostenditur in hodierno Evangelio duplex prudentia: christiana et mundana, sicut in coelo duo sunt luminaria magna; in homine duo sunt lumina: corporale et spirituale, duo oculi: dexter et sinister; sic est *prudentia carnis* et *prudentia spiritus*, nam: *Filii*

Haec est vera prudentia christiana, spiritum carni praeferre.

33) Cf. 1 Tim 3, 4. 34) Ibid. vr. 5. 35) Io 7, 8. Vulg.: *Non ascendo... meum tempus,* etc. Cf. not. 93, praec. hom., pag. 444. 36) Ibid. vr. 6. 37) Ibid. vr. 4. Vulg.: *Nemo quippe in occulto,* etc.

Deum mundo, vitam aeternam temporali.

huius saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. [38] Prudentia Christi praefert spiritum carni, vitam temporalem postponit aeternae, mundum Deo; *prudentia carnis* agit totum oppositum; solum praetendit agere diem festum in Iudaea et in palam esse, manifestare seipsum mundo, non quaerit nec praetendit nisi temporalia bona. Naas, rex Ammonitarum, voluit Hebraeis dextros eruere oculos; [39] ita satanas fideles Dei destituere [vult] spirituali prudentia, sicut cum primis parentibus egit, ut mundana praeferant divinis, temporalia aeternis, terrena coelestibus; veluti si quis pecuniam praeferat honori, libertati, vitae ipsi; si praeferat stabulum honestissimae domui, ubi omnis eorum substantia.

38) Lc 16, 18. 39) Cf. 1 Rg 11, 2.

FERIA QUARTA DOMINICAE PASSIONIS

Facta sunt encaenia in Ierosolymis et hiems erat. Et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis. [1]

Festum encaeniorum mysterium renovationis ac reformationis Ecclesiae figurabat;

I. Honorare voluit hodie Dominus festum renovationis et dedicationis templi praesentia et praedicatione sua, tanquam auctor divinae renovationis in mundo. Templum Domini dirutum fuit et combustum igne a rege Babylonis [2], sed postea reparatum fuit et pristinae integritati restitutum [3] a principe Zorobabel et Iosue summo pontifice. [4] Divini huius templi reaedificatio potest designare resurrectionem corporis Christi, nam ait: *Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud;* ... hoc *autem dicebat de templo corporis sui.* [5] Sed etiam Ecclesia corpus Christi mysticum est et templum Dei: *Vos ... estis templum Dei:* [6] *Templum ... Dei sanctum est, quod estis vos;* [7] *Nescitis quia templum Dei estis et Spiritus Sanctus habitat in vobis?* [8] Quare mysterium hic latet renovationis et reformationis Ecclesiae.

Christus enim venit ad renovandam Ecclesiam,

Renovavit Deus mundum in diebus Noe; [8a] renovavit populum suum per Moysen; [9] David renovavit tabernaculum Moysi; [9a] Salomon renovavit civitatem Gazer, quam a rege Aegypti accepit in dotem uxoris; [10] Christus venit ad renovandam Ecclesiam *per lavacrum renovationis et regenerationis Spiritus Sancti.* [11] Missus a Deo fuit Ieremias ad renovandum populum: *Constitui te ... super gentes et ... regna, ut evellas et destruas et disperdas et dissipes et aedifices et plantes.* [12] Utitur duplici metaphora: hortulani et aedificatoris; nam Ecclesia

1) Pericope huius diei Io 10, 22-38. Cf. Missale Rom. 2) Cf. 4 Rg 25, 1-9. 3) Ms.: *Reparatum* repetitur, loco: *Restitutum.* 4) Cf. 1 Esr 3, 1-10; 6, 1-15. 5) Io 2, 19-21. 6) 2 Cor 6, 16. 7) 1 Cor 3, 17. 8) Ibid. vr. 6. Vulg.: *Et Spiritus Dei habitat,* etc. 8a) Cf. Gn 6, 1-7, 1 sqq. 9) Cf. Ex 3, 1 sqq. 9a) Cf. 2 Rg 6, 1-17. 10) Cf. 3 Rg 9, 16-17. 11) Tit 3, 5. 12) Ier 1, 10.

quae hortus et domus Dei dicitur.

hortus Dei est et domus Dei. Unde Paulus ad *Corinthios: Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis.*[13] Renovat hortulanus et agricola hortum, vineam, campum, evellendo et plantando novas bonasque plantas. Renovat aedificator domum, diruens vetustatem et reparans ruinas, vel a fundamentis reaedificans. Ad hoc venit Christus in mundum.

Renovavit autem eam per fidem.

De Iosue legimus quod ex terra promissionis evulsit Chananaeos et in ea veluti plantavit Hebraeos[14] tanquam vineam *Domini exercituum.*[15] De eo item legimus quod destruxit civitatem Iericho et aedificavit in monte Ephraim civitatem Thamnath Saraa,[16] quae interpretatur meridies superabundantiae. Haec est civitas Ecclesiae, ubi copia lucis divinae gratiae et superabundantia donorum coelestium. Sic in meridie magna copia lucis et caloris coelestis. Hoc operatus est Christus in mundo. Sic renovavit Ecclesiam per fidem, quae a Paulo dicta est *nova creatura: In Christo... Iesu nec circumcisio,* idest lex Moysi, *aliquid valet, neque praeputium,* idest lex naturalis, *sed nova creatura.*[17] Nunc enim nemo salvari potest per legem Moysi aut per legem naturalem, sicut ante adventum Christi, sed per solam fidem Iesu Christi patet aditus ad salutem: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei;*[18] *Neque enim datum est aliud sub coelo nomen hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri,*[19] nisi in nomine Iesu. Propterea Baptismus, qui Sacramentum est fidei,[19a] dicitur a Paulo *lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti,* quia per fidem regeneramur et renovamur. Hoc est quod Paulus ait: *Renovamini... spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.*[20] Sed per fidem induimus Christum, sicut idem etiam Paulus ait: *Quicunque in Christo* Iesu *baptizati estis, Christum induistis.*[21] Sic legimus in *Apocalypsi* mulierem sole amictam,[22] per quam utique Sancta Ecclesia designatur, quae per fidem Christo, sole iustitiae,[23] amicta est. *Fides* autem, inquit Paulus, *ex auditu* est, *auditus autem per verbum Christi.*[24]

per quam solam, post Christi adventum, aditus patet ad salutem.

13) 1 Cor 3, 9. 14) Cf. Ios 24, 1-13; Ps 43, 3-4; 79, 9-16. 15) Is 5, 7. 16) Cf. Ios 19, 50. 17) Gal 6, 15. 18) Io 3, 5. 19) Act 4, 12. Vulg.: *Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus*, etc. 19a) Conc. Trident., sess. 6, *de iustif.*, cp. 7. 20) Eph 4, 23-24. 21) Gal 3, 27. 22) Cf. 12, 1. 23) Cf. Mal 4, 2. 24) Rom 10, 17.

Vera fides est ut Christus credatur verus Messias et Filius Dei consubstantialis;

II. In hodierno autem Evangelio nonnisi de recta in Christum fide agitur, an ipse sit verus Messias et an sit verus Filius Dei consubstantialis Patri: *Si tu es Christus, dic nobis palam; quousque animam nostram tollis?* [25] Christus autem: *Dixi vobis et non creditis; opera, quae ego facio..., ipsa testimonium perhibent de me,* [26] quod sim verus Messias. Quod autem maxime Iudaeos scandalizabat et a fide Christi avertebat, illud erat quoniam praedicabat se esse unigenitum Filium Dei, verum Deum. Hinc nanque, cum audissent eum hodie dicentem: *Ego et Pater unum sumus,* [27] tulerunt lapidem *ut lapidarent eum* [28] tanquam blasphemum, qui divinitatem sibi usurpabat et arrogabat: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia..., quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum.* [29] Sic etiam alibi refert Ioannes dicens: *Propterea... magis quaerebant eum Iudaei interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo.* [30] Quare hodie veluti compulsus fuit Christus divinitatem suam argumento probare: *Nonne scriptum est in lege vestra:... Ego dixi: Dii estis? Si ergo illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura, quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas, quia dixi: Filius Dei sum?* [31]

Iudaei vero, sicut et posteriores haeretici, divinitatem eius negare contendunt.

Quare manifeste loquitur hodie Christus de sua divinitate et argumento probat; et quidem ob hanc eandem causam Iudaei ad hunc usque diem non credunt in Christum, quia divinitatem eius non intelligunt nec credere volunt, sed omnino negant. Nec solum Iudaei, verum etiam haeretici; hanc negarunt Ebion et Cerinthus, [32] hanc Paulus Samosatenus [33] et Photinus, [34] hanc Eunomius [35] et Arius [36]

25) Io 10, 24. 26) Ibid. vr. 25. Vulg.: *Loquor vobis ... Haec testimonium*, etc.
27) Ibid. vr. 30. 28) Ibid. vr. 32. 29) Ibid. vr. 33. 30) 5, 18. 31) Ibid. 10, 34-36. 32) Cf. S. Irenaeus *Contra Haereses*, lib. 1, cp. 26, (P. G. 7, 686-687); S. Epiphanius *Adversus Haereses*, haeres. 28, ibid. 41, 378-379; Tertullianus *De Praescriptionibus*, cp. 49, (P. L. 2, 67); S. Hilarius Episc. *De Trinitate*, lib. 1, ibid. 10, 41-52; S. Philastrius *De Haeresibus*, haeres. 36-37, ibid. 12, 1152-1155. 33) Cf. S. Epiphanius *Adversus Haereses*, haeres. 45, (P. G. 42, 11-15); S. Philastrius *De Haeresibus*, haeres. 64, (P. L. 12, 1178); S. Augustinus *De Haeresibus ad Quodvultdeum*, haeres. 44, ibid. 42, 34; Marius Mercator epist. *De Discrim.*, ibid. 48, 774. 34) Cf. S. Epiphanius *Adversus Haereses*, haeres. 71, (P. G. 42, 374-375); S. Philastrius *De Haeresibus*, haeres. 65, (P. L. 12, 1179); S. Augustinus *De Haeresibus ad Quodvultdeum*, haeres. 44, ibid. 42, 34; Marius Mercator epist. *De Discrim.*, ibid. 48, 774. 35) Cf. S. Philastrius *De Haeresibus*, haeres. 68, (P. L. 12, 1182-1183); S. Augustinus *De Trinitate*, lib. 15, cp. 20, ibid. 42, 374-375; Marius Mercator epist. *De Discrim.*, ibid. 48, 773-774. 36) Cf. S. Epiphanius *Adversus Haereses*, haeres. 69, (P. G. 42, 210-334); S. Philastrius *De Haeresibus*, haeres. 66, (P. L. 12, 1179-1180); S. Augustinus *Tract. 26 in Ioannem*, cp. 6, ibid. 35, 1609; *Sermo 176*, ibid. 39, 2081.

et adhuc sunt novi in Germania Ariani a Michaele Serveto, [37] Francisco Davidis [38] et aliis [39] huius farinae sectariis edocti.

Nil clarius in S. Scriptura Christi divinitate; de ea enim multa testimonia extant tam in Veteri quam in Novo Testamento,

III. Sed, bone Deus, quaenam est caecitas solem in medio coeli lucidissime fulgentem et radiantem non videre! Nihil est clarius in Sacris Litteris divinitate Christi tum in Veteri tum in Novo Testamento, in quibus Christus appellatur clarissime et luculentissime divinis nominibus: *Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis;* [40] *Deus ipse veniet et salvabit vos;* [41] *Hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus iustus noster;* [42] *Veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis;* [43] *Salvabo eos in Domino Deo suo.* [44] In Novo autem Testamento: *In principio erat Verbum;* [45] *Dominus meus et Deus meus;* [46] *Ut... simus in vero Filio eius; hic est verus Deus,* [47] habet Ioannes in sua *Canonica;* et Paulus ad *Romanos: Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula.* [48] Sic Paulus illud Isaiae: *Mihi curvabitur omne genu,* [49] de Christo interpretatur scribens ad *Romanos;* [50] sic Ioannes in suo Evangelio [51] illud Isaiae: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum;* [52] et in *Apocalypsi* tribuit Christo [53] id quod apud Isaiam Deus de seipso dicit: *Primus et novissimus ego sum.* [54] Sic Evangelistae omnes illud Isaiae: *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini,* [55] de Christo interpretati sunt et Ioanne Praecursore eius. [56] Et Christus [57] illud Malachiae: *Ecce ego mitto Angelum meum,* etc.; [58] Paulus etiam ad *Hebraeos* illud *Psalmi: Adorate Deum omnes Angeli eius,* [59] de Christo interpretatus est; [60] et illud: *Sedes tua, Deus, in saeculum*

ut patet in Prophetis, in Evangeliis et in D. Paulo.

37) Rohrbacher *Storia Universale della Chiesa Cattolica*, vol. XII, lib. 84, par. 8, pag. 504.
38) Hungaricus, praeses vel episcopus Unitariorum Transylvaniae, saec. XVI. Huius haeretici existit epistola latina scripta Ecclesiis Poloniae de regno millenario Christi et plurimae theses (contra Georgium Blandrata), quibus probare conatur Christum hominem tantum, non Deum fuisse. *Biblioteca Universale*, vol. 15, pag. 43. 39) V. g. Simeon Buddaeus, vel Buddee, aut Buddy, discipulus Michaelis Serveti, Lituanus, scripsit brevem demonstrationem cui titulus: *Quod Christus non sit Deus.* Cf. ibid. vol. 8, pag. 269. Iacobus Palaeologus, Graecus, ex insula Chio, qui in Germaniam profectus, doctrinam Buddaei professus est. Cf. ibid. vol. 42, pag. 238-239. De his omnibus cf. S. Rob. Bellarminus *Controversiae*, t. 1, *De Christo, Praefatio*, pag. 107 sqq.; lib. 1, cp. 1-12. pag. 117-147; cp. 14-15, pag. 150-151. 40) Is 9, 6.
41) Ibid. 35, 4. 42) Ier 23, 6. 43) Mal 3, 1. 44) Os 1, 7. 45) Io 1, 1.
46) Ibid. 20, 28. 47) 1 Io 5, 20. 48) 9, 5. 49) 45, 24. 50) 14, 11.
51) Cf. 12, 41. 52) 6, 1. 53) Cf. 1, 17; 22, 13. 54) 41, 4. 55) 40, 3.
56) Cf. Mt 3, 3; Mc 1, 3; Lc 3, 4; Io 1, 23. 57) Cf. Mt 11, 10. 58) 3, 1.
59) 96, 7. 60) Cf. 1, 6-8.

saeculi. [61] Et Christus ipse illud: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis,* [62] ad probandum quod Messias est non tantum filius verum etiam dominus Davidis; [63] quo ostendit Christus se non esse puram creaturam, quod etiam Isaias demonstravit dicens: *Vocabitur nomen eius Emmanuel;* [64] *Parvulus... natus est nobis et filius datus est nobis... Deus, fortis*; [65] et Michaeas: *Ex te mihi exiet dux qui regat populum meum Israel, et egressus eius a diebus aeternitatis.* [66] Sic Ioannes cum ait: *Verbum caro factum est;* [67] sic Paulus: *Cum in forma Dei esset, non rapinam,* etc.; [68] et alibi: *Cum esset dives, egenus propter nos factus est.* [69] Sic etiam docet quod Christus *tanto melior* est *Angelis effectus quanto differentius prae illis nomen hereditavit,* [70] *sedens ad dexteram maiestatis in excelsis.* [71] Sic Dominus: *Exivi a Patre et veni in mundum;* [72] *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo.* [73] Haec enim et alia innumera ostendunt Christum non esse puram creaturam, per quem facta est omnis creatura. [74]

Insuper in S. Scriptura Christo tribuuntur idiomata et proprietates divinae;

Adhuc autem attribuuntur Christo in Sacris Litteris idiomata et proprietates divinae: immensitas, aeternitas, potentia, sapientia, bonitas. Ab Isaia dictus est *Deus, fortis* et *pater aeternitatis;* [75] a Michaea, *natus ab aeterno: Egressus eius a diebus aeternitatis;* a Paulo dicitur *virtus* et *sapientia Dei.* [76] Ipse Christus ait: *Antequam Abraham fieret, ego sum;* [77] *Ut... sciatis quia Filius hominis habet potestatem... dimittendi peccata,* [78] cum illi dicerent in cordibus suis: *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* [79] Sic: *Ego sum alpha et omega, principium et finis.* [80]

tribuuntur opera Dei propria et maxime creatio mundi,

Praeterea, tribuunt Divinae Scripturae Christo opera Dei: creationem, conservationem mundi, operationem miraculorum, praedestinationem, vocationem, iustificationem, glorificationem, quae solus Deus operari potest. Ex fructibus autem cognoscitur arbor, ex effectibus causa, ex radiis sol, ex calore ignis, ex claritate coelum, ex candore nix. Maxime vero creationis opus Christo tribuitur. Apud Salomonem in *Proverbiis* Sapientia ab aeterno genita cum Deo

61) Ps 44, 7. 62) Ps 109, 1. 63) Cf. Mt 22, 45. 64) 7, 14. 65) 9, 6. 66) Cf. 5, 2. 67) 1, 14. 68) Phil 2, 6. 69) 2 Cor 8, 9. Vulg.: *Propter vos egenus factus est, cum esset dives.* 70) Rom 1, 4. 71) Ibid. vr. 3. Vulg.: *Sedet,* etc. 72) Io 16, 28. 73) Ibid. 3, 13. 74) Cf. ibid. 1, 3. 10; 1 Cor 8, 6. 75) 9, 6. Ex hebraico. 76) Cf. 1 Cor 1, 24. 77) Io 8, 58. 78) Mt 9, 6; Lc 5, 24. 79) Lc 5, 21. 80) Apc 1, 8; 22, 13.

omnia creat; [81] Regius Vates ait: *Verbo Domini coeli firmati sunt,* [82] hebraice: *Per Verbum Domini coeli facti sunt;* per Isaiam ait: *Ego ipse primus et novissimus ego sum;* [83] *Manus quoque mea fundavit terram, et dextera mea mensa est coelos;* [84] deinde addit: *Non a principio in abscondito locutus sum; ex tempore antequam fieret, ibi eram, et nunc Dominus Deus misit me et spiritus eius.* [85] Ioannes ait: *Omnia per ipsum facta sunt;* [86] Paulus: *In ipso condita sunt universa... visibilia et invisibilia;* [87] ad Christum dictum ait: *Et: Tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli;* [88] de Christo ait: *Locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula.* [89] Nec dicant Ariani veteres et novi illud *per* significare instrumentum; [90] nam de Deo Paulus ait quod: *Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia;* [91] et item: *Fidelis Deus per quem vocati estis;* [92] et: *Quod si filius, et heres per Deum;* [93] item: *Paulus apostolus... per voluntatem Dei.* [94] Significat ergo principalem effectionem, sicut ait ipse Dominus: *Pater meus usque modo operatur et ego operor;* [95] et: *Sicut Pater suscitat mortuos..., et Filius quos vult vivificat;* [96] et: *Quaecunque* Pater facit, *similiter et Filius facit.* [97] Si igitur Christus creator et conditor est universi, ergo Deus verus.

eiusque conservatio,

Opus etiam Dei est universi conservatio, nam: *In ipso... vivimus, movemur et sumus.* [98] De Christo autem Paulus ait quod: *In ipso omnia constant;* [99] et item: *Portans... omnia verbo virtutis suae.* [100]

praedestinatio et electio,

Opus Dei est praedestinatio et electio: *Quos praescivit et praedestinavit;* [101] *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* [102] Christus vero ait: *Ego scio quos elegerim;* [102*] *Ego elegi vos.* [103]

vocatio ad fidem,

Opus Dei vocatio: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* [104] Vocavit Christus Apostolos; [105] *Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere.* [106]

81) Cf. 8, 22-30. 82) Ps 32 (hebr. 33), 6. 83) 41, 4. Vulg.: *Ego Dominus, primus,* etc. 84) Ibid. 48, 13. 85) Ibid. vr. 15. 86) 1, 3. 87) Col 1, 16.
88) Hebr 1, 10. Ex Ps 101, 26. 89) Ibid. vr. 2. 90) S. Laurentius a Br. *Opera Omnia,* vol. 2, *Lutheranismi Hypotyposis,* part. 1, *Hypotyposis Martini Lutheri,* pag. 448.
91) Rom 11, 36. 92) 1 Cor 1, 9. 93) Gal 4, 7. 94) 2 Cor 1, 1.
95) Io 5, 17. 96) Ibid. vr. 21. 97) Ibid. vr. 19. 98) Act 17, 28.
99) Col 1, 17. Vulg.: *Omnia in ipso constant.* 100) Hebr 1, 3. 101) Rom 8, 29.
102) Eph 1, 4. 102*) Io 13, 18. 103) Ibid. 15, 16. 19. 104) Ibid. 6, 44.
105) Cf. Mt 4, 18-21; 9, 9; Mc 3, 13-19; Lc 6, 13-16; Io 1, 42-44. 106) Io 10, 16.

iustificatio et peccatorum remissio,

Opus Dei iustificatio et peccatorum remissio: *Ego sum... qui deleo iniquitates tuas;*[107] *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?*[108] De Christo tamen I s a i a s ait: *Iustificabit ipse iustus servus meus multos;*[109] *Ecce Agnus Dei... qui tollit peccata mundi;*[110] *Purgationem peccatorum faciens;*[111] *Ut sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata.*[112]

salus animarum,

Opus Dei salus animarum: *Deus noster Deus salvos faciendi.*[113] Christus salvat: *Ipse... salvum faciet populum suum a peccatis eorum;*[114] *Hic est vere Salvator mundi;*[115] *Salvatorem expectamus Dominum nostrum.*[116]

glorificatio electorum

Opus Dei glorificatio: *Gratiam et gloriam dabit Dominus.*[117] *Reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae;*[118] *Ego sum ostium: per me, si quis introierit, salvabitur;*[119] *Vitam aeternam do eis.*[120]

et sanctificatio,

Opus Dei sanctificatio: *Ego Dominus qui sanctifico vos.*[121] De Christo ait P a u l u s quod dilexit et sanctificavit Ecclesiam.[122]

operatio miraculorum propria virtute,

Tandem, opus Dei est operatio miraculorum propria virtute.[123] Christus autem solo imperio et nutu voluntatis innumera operatus est miracula.

Tribuitur etiam divina consubstantialitas et aequalitas,

IV. Nec tantum opera divinitatis tribuunt Christo Sacrae Litterae, verum etiam divinam consubstantialitatem et aequalitatem. Hoc enim est: *Dixit Dominus*[124] *Domino meo: Sede a dextris meis.*[125] Hoc quod P a u l u s ait: *Qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo... semetipsum exinanivit.*[126] Forma Dei natura Dei est, sicut forma hominis natura et essentia hominis. Et sine rapina, inquit, *arbitratus est esse se aequalem Deo,* nihil sibi usurpans aut arrogans quod non vere esset, *exinanivit semetipsum formam servi accipiens.*[127] Et I o a n n e s manifeste dicit quod pro-

107) Is 43, 25. 108) Lc 5, 21. 109) 53, 11. 110) Io 1, 29. Sic legitur in aliquibus codicibus, quos hanc pericopen afferens S. Auctor constantissime sequitur. Cf. *Biblia Lovaniensis*; Eb. Nestle *Novum Test.*, h. l. Vulg.: *Peccatum mundi.* 111) Hebr 1, 3. 112) Lc 5, 24. 113) Ps 67, 21. 114) Mt 1, 21. 115) Io 4, 42. 116) Phil 3, 20. 117) Ps 83, 12. 118) Phil 3, 21. 119) Io 10, 9. 120) Ibid. vr. 28. 121) Lv 20, 8. 122) Cf. Eph 5, 25-26. 123) Cf. Ex 15, 11; Iob 5, 9; Ps 71, 18; 76, 15; 85, 10. 124) Ms.: *Domino.* 125) Ps 109, 1. 126) Phil 2, 6-7. 127) Ibid.

pterea Iudaei occidere volebant Christum, quia aequalem se faciebat Deo.[128]

ideo nominatur verus et naturalis Filius Dei, cui debetur eadem gloria Patris,

Saepe etiam Christus in Sacris Divinisque Scripturis *Filius Dei naturalis* et verus nominatur: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.*[129] Quem locum illustrans Paulus dixit: *Cui Angelorum aliquando dictum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te?*[130] Et tamen etiam Angeli *filii Dei* dicuntur: *Cum me laudarent... astra matutina, et iubilarent omnes filii Dei.*[131] Sed Angeli per adoptionem, non per naturam filii, sicut et homines. Unde idem Paulus: *Misit Deus Filium suum... ut adoptionem filiorum reciperemus.*[132] Sic ad ostendendum Christum naturalem Filium Dei ait: *Multifarie multisque modis olim Deus locutus est patribus in Prophetis,* idest per Prophetas sanctos, qui Dei filii per adoptionem erant, sed *novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula: qui, cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.*[133] Sic dictus est in Iordane: *Filius meus dilectus,*[134] sic in transfiguratione inter Moysen et Eliam;[135] sic a Paulo dictus est: *Primogenitus omnis creaturae*[136] et: *Primogenitus in multis fratribus;*[137] sic *Filius unigenitus: Vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti a Patre;*[138] *Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret;*[139] *Unigenitus... qui est in sinu Patris, ipse enarravit;*[140] sic *Filius Altissimi: Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur;*[141] sic Petrus: *Tu es Christus Filius Dei vivi.*[142] Sic Filio tribuitur gloria Patris: *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis;*[143] *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, et omnes Angeli* eius *cum eo.*[144]

eique tribuitur idem cultus Deo debitus,

Tandem, ad ostendendam divinitatem Christi requirunt Divinae Scripturae ut cultum Deo debitum Christo tribuamus. Debetur Deo fides: *Credidit Abraham Deo;*[145] debetur Christo: *Omnis qui credit*

128) Cf. 5, 18. 129) Ps 2, 7. 130) Hebr 1, 5. Vulg.: *Cui... Angelorum dixit aliquando*, etc. 131) Iob 38, 7. 132) Gal 4, 4-5. 133) Hebr 1, 1-3. Vulg. *Multifariam... loquens patribus*, etc. 134) Mt 3, 17; Mc 1, 11; Lc 3, 22. 135) Mt 17, 5; Lc 9, 35; 2 Petr 1, 17. 136) Col 1, 15. 137) Rom 8, 29. 138) Io 1, 14. 139) Ibid. 3, 16. 140) Ibid. 1, 18. 141) Lc 1, 32. Ms.: *Vocaberis.* 142) Mt 16, 16. 143) Ibid. vr. 27. 144) Ibid. 25, 31. *Eius* subiungitur in aliquibus codicibus Cf. *Biblia Lovaniensis*; Eb. Nestle *Novum Test.*, h. l. 145) Gn 15, 6; Rom 4, 3.

in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam; [146] *Creditis in Deum, et in me credite,* [147] nam : *Qui videt me, videt et Patrem meum.* [148] Debetur Deo spes et fiducia ; sic et Christo : *Beati omnes qui confidunt in eo;* [149] *In eum gentes sperabunt;* [150] nam alioquin : *Maledictus homo qui confidit in homine,* [151] et : *Beatus vir qui sperat in Domino,* [152] et : *Erit Dominus fiducia eius.* [153] Debetur Deo caritas : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo;* [154] sic et Christo : Qui diligit aliquid *plus quam me, non est me dignus.* [155] Debetur Deo adoratio et cultus latriae : *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies;* [156] debetur Christo, quem Magi *procidentes adoraverunt,* [157] et caecus illuminatus *procidens adoravit eum,* [158] et *Angeli accesserunt et ministrabant ei,* [159] et : *In nomine Iesu omne genu flectatur ... et omnis lingua confiteatur, quia Dominus* noster *Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* [160]

idest fides et spes, caritas et adoratio.

V. Sic multis modis in Sacris et Divinis Scripturis ostenditur Christi divinitas. Sed omnibus hisce in hodierno Evangelio, ubi, argumento sumpto ex libro *Psalmorum,* Christus probat divinitatem suam, quod si Prophetae et iusti appellati sunt dii, multo magis Messias. [161] Sic intellexerunt Iudaei quod Christus seipsum faceret Deum. [162] Sic ostendit se non purum hominem, non meram creaturam, ut videbatur ambulans *in templo, in porticu Salomonis,* circumdatus a Iudaeis, sed etiam Deum omnium creatorem. Sic docuit divinam potentiam se habere : *Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est;* [163] divinam consubstantialitatem et aequalitatem : *Ego et Pater unum sumus;* [164] sic Filium [Dei] naturalem se esse : *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum dicitis* blasphemare, *quia dixi: Filius Dei sum.* [165] Ostendit opera divinitatis : *Opera, quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me;* [166] sic ait : *Ego vitam aeternam do eis,* [167] quod solius Dei est opus. Sic exigit divinum cultum, fidem, obedientiam, servitutem : *Loquor vobis et non creditis; ... vos*

Christus ipse in hodierno Evangelio, probat se Deum esse omnium creatorem,

consubstantialem Filium Dei, opera divina facientem et cultum latriae exigentem.

146) Io 3, 15. 147) Ibid. 14, 1. 148) Ibid. vr. 9. 149) Ps 2, 12. 150) Is 11, 10. Ex Translat. Septuaginta ; Rom 15, 12. 151) Ier 17, 5. 152) Ps 33, 9. 153) Ier 17, 7. 154) Dt 6, 5 ; Mt 22, 37 ; Mc 12, 30 ; Lc 10, 27. 155) Mt 10, 37. 156) Ibid. 4, 10 ; Lc 4, 8. Ex Dt 6, 13. 157) Mt 2, 11. 158) Io 9, 38. 159) Mt 4, 11. 160) Phil 2, 11. 161) Cf. Mt 22, 43-46. 162) Io 10, 33. 163) Ibid. vr. 29. 164) Ibid. vr. 30. 165) Ibid. vr. 36. 166) Ibid. vr. 25. 167) Ibid. vr. 28.

autem *non creditis, quia non estis ex ovibus meis: oves meae vocem meam audiunt... et sequuntur me.* [168] Hoc est: Veri electi Dei credunt mihi, obediunt, serviunt, diligunt et colunt me ex animo; credunt et *agnoscunt me* verum esse Messiam, *et ego cognosco eas* ut proprias oves, *et vitam aeternam do eis et non peribunt in aeternum et non rapiet eas quisquam de manu mea,* [169] quia *ego et Pater,* qui Deus est maior omnibus, Deus omnipotens, *unum sumus,* una essentia, una substantia, una natura.

Haec est vera fides, quae spiritum renovat et Deo dedicat.

Haec igitur fides in Christum pura, viva, vivax renovat templum Dei et Deo soli dedicat consecratque aeternum. Haec facit oves Christi: *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis: oves meae vocem meam audiunt... et sequuntur me;* ideo *vitam aeternam do eis;* nam: *Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae.* [170] Haec fides renovat templum destruens vetustatem vitiorum: *Qui vult venire post me abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me,* [171] seipsum divino cultui perpetuo dedicet.

Opus est ergo renovatione et reformatione, quia prisca sanctitas in Ecclesia iam nimis defecit;

VI. *Facta sunt... encaenia in Ierosolymis, et hiems erat,* quoniam annus renovari incipit per accessum solis ad nos; in hieme nanque incipit novus annus in ingressu solis ad capricornum. Opus est renovatione et reformatione vitae, fratres. Quae in mundo sunt, omnia veterascunt et antiquantur, ad interitum tendunt sive artificialia sint sive naturalia sive moralia. Magna licet aedificia, prae vetustate collabuntur, licet aeterna videri potuissent. In natura « omnia orta occidunt et aucta senescunt [172] »: plantae, animalia, homines. Moralia item in rebuspublicis et regnis: leges, statuta, mores, vires, potentia, disciplina, virtutes, scientiae, studia. Ita plane in Ecclesia antiquata est sanctitas vitae christianae. De primitiva et nova Ecclesia inquit Lucas in *Actis Apostolicis* quod: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una* [173] et quod erant *perseverantes in doctrina Apostolorum* et fractione panis et oratione; [174] libentissime audiebant verbum Dei, sacram Communionem devotissime frequentabant per singulos dies, nonnisi divino cultui operam dabant, vitam ducebant dignam filiorum Dei.

168) Ibid. vrr. 25-27. 169) Ibid. vr. 28. 170) Ibid. 8, 12. 171) Mt 16, 24.
172) Sallustius *De Bello Iugurt.*, pag. 48. 173) 4, 32. 174) Ibid. 2, 42.

Nunc autem, ubi haec vitae sanctitas, o fratres? ubi vita vere christiana? De Iudaeis ait Ioannes quod: *Dicunt se Iudaeos esse et non sunt, sed sunt synagoga satanae.*[175] De nobis quid dicendum? De Iudaeis hodie dicitur quod in templo circumdederunt Christum, quod palam audire voluerunt ab eo an ipse esset Messias: *Si tu es Christus, dic nobis palam,*[176] dolose loquentes. De eis ait Christus quod erant increduli: *Loquor vobis et non creditis;... vos* autem *non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* Ubi assignat Christus discrimina inter electos et reprobos, signa dat quibus electi et reprobi dignosci possint.

multi enim inveniuntur christiani nomine tantum, cum tamen ab operibus quisque agnoscatur utrum electus vel reprobus sit.

Voluit Dominus hodie ab operibus cognosci an ipse esset verus Messias: *Opera, quae ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me;*[177] *Si mihi non vultis credere, operibus credite.*[178] Sic vult ab operibus agnosci veros[179] fideles et electos Dei, nam a fructibus cognoscitur arbor. Hinc dat signa electorum et reproborum. Signum reproborum est perfida incredulitas, incredula perfidia: *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis;* signum reprobationis, impietas: *Sustulerunt lapides Iudaei, ut lapidarent eum*[180] de bono opere. Summa ingratitudo, abusus beneficiorum Dei, abuti anima, corpore, corde, lingua, manibus, sensibus, membris, facultatibus et creaturis Dei, pugnare contra Deum armis ipsius Dei!

Signa reproborum sunt: perfida incredulitas, impietas et ingratitudo;

Signa autem electorum sunt primo quidem fides: *Oves meae vocem meam audiunt;* deinde vita sancta ad exemplum Christi composita: *Et sequuntur me.* Quod si aliquando in peccata inciderint, sicut David,[181] sicut Petrus,[182] resurgere per veram poenitentiam; hoc enim est hodie celebrare festum encaeniorum templi. Magnum autem divinae electionis signum videtur esse bona agere in hoc mundo et mala perpeti, sicut Christus, sicut oves saepe multa incommoda patiuntur a lupis; nam: *Omnes qui volunt pie vivere in Christo Iesu persecutiones patiuntur.*[183] Neque enim est in hoc mundo Abel sine Caino, et electos suos probat Deus *sicut* in *igne probatur aurum.*[184]

signa vero electorum fides, vita sancta, bona semper agere et mala patienter sustinere.

175) Apc 2, 9. 176) Io 10, 24. 177) Ibid. vr. 25. 178) Ibid. vr. 38. 179) Ms.: *Vero.* 180) Io 10, 31. Sic habet *Biblia Lovaniensis;* in sequentibus autem editionibus iussu Clementis VIII emendatis subiunctum fuit: *Sustulerunt ergo*, etc. Cf. Fortunatus Fanensis *Praefatio in S. Bibliis.* 181) Cf. 2 Rg 11, 1-12, 1-13. 182) Cf. Mt 26, 69-75; Mc 14, 54-72; Lc 22, 54-62; Io 16, 16-27. 183) 2 Tim 3, 12. Vulg.: *Qui pie volunt*, etc. 184) Prv 17, 3; Eccli 2, 5.

Cum enim apud Deum nullum malum remaneat impunitum nec bonum irremuneratum, si bona agentes hic mala patimur, manifestum est signum quod Deus non vult remunerare opera nostra in hoc mundo: ergo in paradiso.

ALIA HOMILIA

Oves meae vocem meam audiunt et ego cognosco eas et sequuntur me et ego vitam aeternam. [1]

Insinuatur his verbis mysterium divinae praedestinationis omnibus imperscrutabile, etiam electis;

I. Aperire videtur hodie Salvator librum illum in *Apocalypsi signatum sigillis septem,* [2] quem nulla creatura in coelo aperire potuit, nisi solus Agnus. [3] Attingit enim mysterium divinae praedestinationis, quod omni creaturae est imperscrutabile: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius! Quis enim cognovit sensum Domini?* [4] Est mysterium hoc fluvius ille apud Ezechielem, qui transvadari non potuit; [5] est vertex montis, ad quem solus Moyses permissus est accedere; [6] est sanctum sanctorum, quo nonnisi pontifici summo licebat intrare; [7] sic solus Christus haec mysteria novit. Ignota sunt etiam electis sanctisque animabus. Hinc fideles in Ecclesia videntur esse sicut Seraphim apud Isaiam, qui operta habebant capita, opertos etiam pedes. [8] Per caput autem et pedes principium et finis designantur. Principium salutis nostrae divina praedestinatio est; finis autem gloria paradisi vitaque aeterna. Haec nobis ignota sunt.

nam per oves Christus fideles designat, qui fidem et opera habent,

Idem autem sunt apud Isaiam *Seraphim* et in hodierno Evangelio *oves* Christi. In Seraphim illis duo singulariter observata sunt a Propheta: quod volabant coram Domino et quod clamabant canentes divinum trisagium. [9] Per haec autem fides et opera significantur. Nam fidei confessio necessaria est: *Corde enim creditur ad*

1) Io 10, 27. 2) 5, 2. 3) Cf. ibid. vrr. 3 sqq. 4) Rom 11, 33-34. 5) Cf. 47, 5. 6) Cf. Ex 19, 9-23. 7) Cf. ibid. 30, 10; Hebr 9, 7. 25. 8) Cf. 6, 2. 9) Cf. ibid. vr. 3.

iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.[10] Opera item necessaria sunt, nam: *Fides sine operibus mortua est.*[11] Quisque autem fidem vivam habet et opera sancta, hic Seraph est ardens caritate, nam *fides* viva *per* dilectionem et *caritatem operatur.*[12]

Christus etiam hodie de ovibus suis duo dicit: *Oves meae vocem meam audiunt... et sequuntur me,*[13] iuxta illud: *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud,*[14] et: *Non... auditores verbi iusti sunt apud Deum, sed factores verbi iustificabuntur,*[15] nam: *Si quis auditor est verbi et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suae in speculo: consideravit enim se et abiit et statim oblitus est qualis fuerit.*[16] **ut ipsemet etiam declarat.**

II. In his autem verbis Dominus: *Oves meae vocem meam audiunt et ego cognosco eas... et... vitam aeternam do eis,* attingit divini huius mysterii principium finemque et media ad consequendum finem. *Ego cognosco eas,* hoc est principium; *vitam aeternam do eis,* hic finis; *vocem meam audiunt et sequuntur me,* haec media. Sic Paulus ad *Romanos* tria haec complexus fuit dicens: Deus *quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui...; quos autem praedestinavit, hos et vocavit; quos autem vocavit, hos et iustificavit; quos autem iustificavit, illos et magnificavit.*[17] Cum ait: *Praescivit et praedestinavit,* principium docet; finem vero cum ait: *Illos et magnificavit,* idest *glorificavit;* media autem: *Illos vocavit et iustificavit; vocavit* fide, *iustificavit* operibus sanctis, gratia, caritate, virtutibus et donis Spiritus Sancti replens. Et idem Paulus ad *Ephesios: Elegit nos,* inquit, in Christo *ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate, qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum.*[18] Tria haec ipse aperit; finem enim statuit docens adoptionem filiorum, filii enim ad hoc adoptantur, ut sint heredes bonorum. **Indicantur etiam his verbis principium, finis et media praedestinationis.**

In hoc autem mysterio totum negotii pondus consistit in mediis. Nam quoad principium, Deus potest, scit et vult salvare omnes, quo- **Ab usu mediorum pendet omnis nostra salus.**

10) Rom 10, 10. 11) Iac 2, 26. 12) Gal 5, 6. 13) Io 10, 27. 14) Lc 11, 28. 15) Rom 2, 13. Vulg.: *Auditores legis... factores legis,* etc. 16) Iac 1, 23-24. 17) 8, 29-30. Vulg.: *Imaginis Filii sui... et quos vocavit... illos et glorificavit. Magnificavit* legitur in S. Hieronymo *Comment. in Epist. ad Romanos,* (P. L. 30, 685), et in aliquibus codicibus. Cf. supra, Feria Quarta Dom. Secundae Quadr., not. 6, pag. 205. 18) 1, 4-5.

quia Deus omnes salvare vult, sed neminem cogit nec salvat invitum.

niam suapte natura Deus infinita potentia, sapientia et bonitas est, neminem vult perire :[19] *Nolo mortem peccatoris;*[20] *Nunquid voluntatis meae est mors impii ? dicit Dominus.*[21] Sicut enim, creatis omnibus, providit necessaria quaeque ad conservationem naturae ita, pro salute animarum. Sed tamen neminem cogere vult ad salutem. Hinc Christus languido in piscina dixit : *Vis sanus fieri ?*[22] Hebraeos omnes ex captivitate Aegypti salvare voluit, sed volentes. Neminem Deus cogit. Aperuit coelum et paravit scalam ad ascendendum, ut quisquis ascendere voluerit et consequi vitam et gloriam sempiternam, facile possit ; nolentes autem non cogit.

Indicantur etiam signa electorum Dei,

III. Videtur autem Dominus hodie indicare signa praedestinatorum et electorum Dei. Licet apud Deum nullum sit signum, sed tota ratio pendeat a divino pectore, ubi sunt omnes electi suis locis ordinatissime distributi et collocati, sicut nomina tribuum Israel supra pectus pontificis in *Rationali* iudicii, [23] legimus tamen apud Ezechielem[24] et apud Ioannem in suis *Revelationibus*[25] signatos electos Dei, qui eripiendi sunt ab interitu et damnatione aeterna. Docet autem Ioannes in *Apocalypsi* electos habere *signum Dei vivi in frontibus suis,* [26] reprobos vero signatos esse charactere bestiae infernalis. [27]

ipsi enim speciatim vocantur *oves*

Dominus igitur in hodierno Evangelio prodit et indicat signa electorum Dei, quorum nomina scripta sunt in libro vitae :[28] *Oves meae vocem meam audiunt.* Voluit Dominus Hebraeos signis quibusdam distinctos esse a nationibus aliis, non solum circumcisionis et legis, [29] verum etiam in ipsis vestibus voluit esse signatos vittis quibusdam hyacinthinis, [30] sicut etiam in Aegypto signari voluit eorum domos sanguine agni paschalis ne ab Angelo percutiente laederentur. [31] Ipsi autem electi Dei saepe in Sacris Litteris *oves Dei* appellantur, [32] unde Dominus : *Non sum missus, nisi ad oves, quae perierunt, domus Israel.* [33] Sic omnes electi per oves designantur ; unde in die iudicii *statuet oves . . . a dextris . . ., haedos autem a sinistris,* [34] nonnisi ovibus dicet:

19) Cf. 2 Petr 3, 9. 20) Ez 33, 11. 21) Ibid. 18, 23. 22) Io 5, 6. 23) Cf. Ex 28, 6-21. 24) Cf. 9, 4. 25) Cf. Apc 7, 3. 26) 9, 4. 27) Cf. 14, 9 ; 16, 2 ; 19, 20. 28) Cf. Lc 10, 20. 29) Cf. Gn 17, 9-27. 30) Cf. Nm 15, 38. 31) Cf. Ex 12, 7-23. 32) Cf. Ps 73, 1 ; 78, 13 ; 99, 3 ; Ez 34, 5-15 ; Zach 13, 7 ; Mt 25, 33 ; Io 10, 27 ; 21, 17 ; Hebr 13, 20. 33) Mt 15, 24. 34) Ibid. 25, 33.

Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum; [35] haedis autem dicet: *Ite, maledicti, in ignem aeternum.* [36]

Oves autem dicuntur electi non a stoliditate et indocili fatuitate – hinc enim dictae sunt oves satanae, oves Laban, non Iacob: [37] *Sicut oves in inferno positi sunt: mors depascet eos;* [38] hinc virgines fatuae exclusae a nuptiis sponsi, [39] – sed oves dicuntur a mansuetudine. Est enim ovis animal admodum cicur; [40] scriptum est autem: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram;* [41] *Mansueti autem hereditabunt terram et delectabuntur in multitudine pacis;* [42] est animal sociale et pacificum: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur;* [43] animal innocens et fecundum, secundum legem mundum, aptum ad sacrificia, aptum ad cibum quoniam et ruminat et ungulas habet divisas; [44] animal innocens et fecundum; hae nanque sunt duae partes iustitiae: *Oves meae,* inquit, *vocem meam audiunt,* idest credunt mihi: *vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* [45] Sic alias dixit: *Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* [46] Non omnes habent aures ad audiendum verbum Dei, quomodo habent veri fideles, de quibus Paulus ad *Thessalonicenses* dicit: *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum; sed, sicut vere est, verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidistis.* [47] Fidelis verusque electus Dei ita audit verbum Christi, dum praedicatur Evangelium, ac si ipse Christus, ipse Deus coram loqueretur. Neque enim minor est vis praecepti principis per litteras aut internuncium, quam si principis ore proferretur. Sic inquit: *Vocem meam audiunt... et sequuntur me.* Non audiunt *vocem alienorum,* [48] non vocem mundi, carnis, satanae, daemonum; sed *vocem meam,* qui verus et bonus sum earum pastor; [49] *et sequuntur me,* non solum obediunt mihi, sed etiam imitantur, sicut populus sequebatur per desertum ductum nubis et ignis. [50]

a mansuetudine animi, a lenitate cordis, a fidelitate in audiendo et sequendo Christo et eos qui eius vices in mundo gerunt;

Haec igitur signa sunt electorum Dei: *Sobrie... iuste et pie vivere,* abnegando *impietatem et saecularia desideria.* [51] Non quod

35) Ibid. vr. 34. 36) Ibid. vr. 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti,* etc. 37) Cf. Gn 30, 38-42. 38) Ps 48, 15. 39) Cf. Mt 25, 12. 40)) Ms.: *Cicure.* 41) Mt 5, 4. 42) Ps 36, 11. 43) Mt 5, 9. 44) Cf. Lv 11, 3. 45) Io 10, 26-27. 46) Ibid. 8, 47. 47) 1 Thess 2, 13. 48) Io 10, 5. 49) Ibid. vr. 14. 50) Cf. Ex 13, 21; 40, 33-36. 51) Tit 2, 12.

si vero aliquando peccant, cito per poenitentiam resurgunt et renovantur, quod significatur per festum encaeniorum.

electi Dei nunquam peccent, nam: *Septies* in die *cadit iustus*; [52] sed cadens cito resurgit per poenitentiam, sicut Petrus. [53] Hinc celebratur hodie festum encaeniorum, festum renovationis et dedicationis templi. Fuit templum illud aedificatum et dedicatum Deo in perpetuum; [54] sed tamen postea dirutum et eversum fuit a Chaldaeis et Babyloniis. [55] Sed tamen non perpetuo ita mansit ruina templi; reaedificatum fuit et iterum Deo dedicatum. [56] In iustificatione prima aedificatur in nobis templum Dei; fit enim homo templum Spiritus Sancti; dedicatur Deo cor, lingua, manus, anima, corpus, totus homo in Baptismo; similiter etiam cum per Poenitentiam iustificatur a peccato.

O utinam, fratres, quotidie festum hoc celebraremus, quotidie dedicantes nos Deo! Hoc enim proprium munus est electorum Dei: iugiter Deo animam, cor, linguam, manus, omnia dedicare.

52) Prv 24, 16. Cf. Io De La Haye *Biblia Maxima Versionum*, h. l. 53) Cf. Mt 26, 75; Mc 16, 72; Lc 22, 62. 54) Cf. 3 Rg 8, 12; 9, 3; 2 Par 7, 16. 55) Cf. 4 Rg 25, 9. 56) Cf. 1 Esr 3, 1-4, 1 sqq.; 6, 1 sqq.

FERIA QUINTA DOMINICAE PASSIONIS

Rogabat Iesum quidam pharisaeus, ut manducaret cum eo. Et ingressus domum pharisaei. [1]

I. Ecce verum Dei templum reparatum et renovatum, vera encaeniorum festivitas: [2] Magdalena peccatrix ad Christum conversa ac vere sanctificata divinoque cultui perpetuo dedicata. Cum templum Domini post babylonicam captivitatem fundatum fuit, cum dirutum fuisset a rege Babylonis adeo ut vix ruinae remanserint, [3] magna fuit laetitia in populo, et sacerdotes et levitae in cymbalis et organis suis canebant et concinebant laudantes Dominum: [4] *Quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius.* [5] Sic etiam cum laetitia fecerunt dedicationem domus [Domini], sicut etiam in prima dedicatione novi templi a Salomone aedificati similiter canebant sacerdotes et levitae in cymbalis et organis Deumque laudabant dicentes: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius.* [6] In utraque dedicatione eadem decantata est laus divinae bonitatis et misericordiae.

Festivitas dedicationis templi mystice figurat conversionem Magdalenae,

Templum Dei homo est; nam ad hoc conditus homo fuit, ut esset per gratiam Dei et Spiritus Sancti templum. Prima dedicatio in Eva est, secunda in Magdalena. In utraque elucet magna Dei bonitas et misericordia: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius.* In Magdalena clarum est quod P a u l u s

quia in ea elucet bonitas et misericordia divina,

1) Pericope huius diei Lc 7, 36-50. Sic legitur in Missali Rom. Clementis VIII; sequens vero Urbani VIII emendatum fuit iuxta Vulg.: *Quidam de Pharisaeis... cum illo*, etc.
2) Cf. 1 Esr 3, 1-9; 6, 13 sqq.; 1 Mach 4, 52. 3) Cf. 4 Rg 25, 8-17; 2 Par 36, 18-19.
4) Cf. 1 Esr 3, 10-11. 5) Ps 135, 1. 6) Cf. 2 Par 5, 12-13.

qua Magdalena gloriosior in Ecclesia facta est, quam si nunquam peccasset.

ait: *Ubi... abundavit delictum superabundavit* et *gratia*,[7] quod in mysterio Aggaeus propheta dixit: *Magna erit gloria domus istius novissimae magis quam primae.*[8] Non minor fuisset gloria Magdalenae in coelo, quam fuisset Evae, si innocentiam servasset, si nunquam peccasset. Gloriosior est in Ecclesia Magdalena, quam soror ipsius Martha, quae virgo pura sanctaque fuit; nam: *Cui minus dimittitur, minus diligit;*[9] qui minora sibi videtur beneficia accepisse, minus etiam sibi videtur ad diligendum benefactorem teneri. Magdalena, quae per multorum peccatorum remissionem visa sibi est maximum a Christo beneficium accepisse, maxime diligebat: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*[10]

Proponitur hodie imago verae poenitentiae.

II. Proponitur autem in hoc Evangelio imago pulcherrima salutaris poenitentiae vivis coloribus ad naturale a Spiritu Sancto in tela ac tabula mulieris huius depicta. Ostenditur quidnam sit poenitentia, qualis esse oporteat, quam grata sit Deo, quam utilis et salutaris nobis, imo quam necessaria omnino ex miris eius effectibus.

Multis figuris Spiritus S. imaginem verae poenitentiae exhibuit.

Spiritus Sanctus in Divinis Scripturis nunc tanquam sculptor summus sacris figuris, nunc tanquam pictor excellentissimus vivis verborum coloribus salutaris poenitentiae multa simulacra, multas imagines naturales nobis sculpsit atque depinxit: altare sacrificiorum;[11] Maria soror Moysi leprosa et emundata postmodum a lepra,[12] Naaman syrus,[13] synagoga ipsa egressa ex Aegypto et in sacrum desertum ingressa ad colendum Deum,[14] vas magnum aquae lustratoriae in templo,[15] sanitas Ezechiae regis,[16] reparatio templi, reditus populi de captivitate babylonica in Ierusalem, Nabuchodonosor in bestiam mutatus ex rege et postea pristino statui restitutus,[17] veluti simulacra erant poenitentiae; sicut in Novo Testamento piscina in Ierusalem,[18] natatoria Siloe,[19] caeci illuminati,[20] leprosi mundati,[21] infirmi curati,[22] daemones ab hominibus expulsi,[23] mor-

7) Rom 5, 20. 8) 2, 10. Vulg.: *Plusquam primae.* 9) Lc 7, 47. 10) Ibid. 11) Cf. Ex 27, 1-8; 38, 1-7. 12) Cf. Nm 12, 1 sqq. 13) Cf. 4 Rg 5, 9-14. 14) Cf. Ex 14, 1 sqq. 15) Cf. 3 Rg 7, 23; 2 Par 4, 2-5. 16) Cf. 2 Par 32, 24-26; Is 38, 1 sqq. 17) Cf. Dn 4, 28-33. 18) Cf. Io 5, 2. 19) Cf. ibid. 9, 7. 20) Cf. Mt 9, 28-30; 20, 30; 21, 14; Mc 8, 22-25; Io 9, 1. 21) Cf. Mt 8, 2-3; Lc 17, 12-14. 22) Cf. Mt 4, 23-24; 8, 6-16; 9, 2-7. 35; 14, 35-36; Lc 4, 38-40; 8, 2. 23) Cf. Mt 4, 24; 8, 16. 28-32; 9, 32-33; 12, 22; Mc 7, 26-30; 16, 9; Lc 8, 2; 9, 38-43.

tui resuscitati,[24] aliaque permulta, veluti cum Dominus semel et iterum templum Domini purgavit, eiectis inde impiis profanatoribus.[25]

Aliquando verbis depicta est nobis imago poenitentiae. Moyses ait in suo *Deuteronomio: Si quaesieris... Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen quaesieris* eum in *toto corde* tuo *et* in *tota tribulatione animae tuae.*[26] Sic Regius Vates cum ait: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.*[27] Sic Deus per Ioelem: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio et... fletu et... planctu, et scindite corda vestra.*[28] Sic Ieremias: *Filia populi mei, accingere cilicio et conspergere cinere, luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.*[29] Per *luctum unigeniti* designatur in Sacris Litteris maximus dolor. Sic apud Amos legimus: *Ponam eam quasi planctum unigeniti;*[30] sic apud Zachariam: *Plangent eum... quasi... unigenitum et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.*[31] Parentes nanque maximum experiuntur et acerbissimum animi dolorem in morte carissimorum pignorum, maxime cum unici sunt, ut patet in vidua sareptana,[32] in muliere sunamitide,[33] in vidua naimita.[34] sic igitur Ieremias in poenitentia requirit *planctum* quasi *unigeniti, planctum amarum.* Omnia ad amussim elucent in poenitentia Magdalenae.

vivis etiam verborum coloribus depinxit,

Depinxit Dominus poenitentiam verbis in parabola filii prodigi[35] et in parabola publicani in templo;[36] sed viva idea poenitentiae in Magdalena perfectissime elucet. In David,[37] in Manasse,[38] in Ninivitis[39] eluxerat imago poenitentiae et veluti exemplar, sicut etiam in Zachaeo,[40] in Matthaeo,[41] in Petro,[42] in Paulo,[43] in multis aliis; sed perfectissime omnium in Magdalena. Contemplemur igitur divinam hanc imaginem, quam etiam Christus in domo pharisaei contemplatur et ad eam contemplandam et laudandam cibum intermittit et potum, ut fieri solet cum res aliqua nova et mirabilis principi in mensa praesentatur.

multisque parabolis;

sed in Magdalena ostenditur undequaque perfectissima.

24) Cf. Mt 9, 18-25; Lc 7, 12-15; Io 11, 1-44. 25) Cf. Lc 19, 45-46; Io 2, 14-16.
26) 4, 29. Vulg.: *Toto corde quaesieris,* etc. 27) Ps 50, 19. 28) 2, 12. 29) 6, 26.
30) 8, 10. Vulg.: *Luctum unigeniti.* 31) 12, 10. 32) Cf. 3 Rg 17, 17-23.
33) Cf. 4 Rg 4, 18-37. 34) Cf. Lc 7, 11-15. 35) Cf. ibid. 15, 11 sqq. 36) Cf. ibid. 18, 10-14. 37) Cf. 2 Rg 12, 13. 38) Cf. 2 Par 33, 11-17. 39) Cf. Ion 3, 5-10.
40) Cf. Lc 19, 2-9. 41) Cf. Mt 9, 9-10. 42) Cf. ibid. 26, 43 sqq. 43) Cf. Act 9, 1-22.

In Magdalena elucet natura verae poenitentiae, per gratiam enim trahitur ad Christum,

III. Fuit autem Magdalena divinum munus a Deo praesentatum Christo per manus Angelorum, nam ait: *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum;* [44] et: *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet, et eum, qui venit ad me, non eiciam foras.* [45] Videtis munus: *Quod dat mihi Pater, ad me veniet.*

sed libera voluntate, quia sicut poenitentia peccatum praesupponit, sic peccatum liberum arbitrium.

Etiam tabula huius imaginis miranda est: *Ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix.* [46] Praesupponit poenitentia peccatum; si enim nullum esset peccatum, nulla opus esset poenitentia; hinc nulla poenitentia in coelo, quia nullum ibi peccatun; hinc homines innocentes collocavit Deus in paradiso deliciarum. [47] Poenitentia igitur sequitur peccatum, quia poenitudo et dolor est in animo ob admissum peccatum. Peccatum vero liberum arbitrium praesupponit, nam non est peccatum nisi voluntarium. Inanima, astra coeli, elementa, lapides, metalla non sunt peccati capacia, nec plantae, nec bruta et irrationalia animalia; solus homo et Angelus *ad imaginem et similitudinem Dei* [48] conditi.

Poenitentia per cognitionem peccati excitatur,

Ecce mulier, creata similis Adamo *ad imaginem et similitudinem Dei,* sicut Adam: *Ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix.* Mulier fuit in terra primus locus, primus nidus et primum receptaculum peccati, [49] caverna serpentis antiqui. *Mulier... peccatrix,* peccatis onerata: *Iniquitates meae supergressae sunt caput meum et sicut onus grave gravatae sunt super me.* [50] *Mulier peccatrix* spiritu carnis, mundi et satanae repleta, omnibus peccatis, omnibus vitiis propter fragilitatem carnis, propter ignorantiam mentis, propter infirmitatem sexus, propter diaboli tentamenta, propter peccatorum occasiones, *in civitate* facta est *peccatrix.* Sed tamen ex fragilitate et ignorantia peccabat, non ex malitia. Hinc: *Ut cognovit quod Iesus accubuit in domo pharisaei.* [51] Peccatum ex ignorantia ortum habuit: *Serpens decepit me.* [52] Sic P a u l u s ait quod *mulier... seducta... fuit.* [53] Ita et poenitentia a cognitione incipit: *Cogitavi vias meas et converti gressus meos in testimonia tua.* [54] Agnito veneno, quaeritur antidotum et efficax remedium. *Ut cognovit* peccati perniciem, gravitatem, damna,

quia sicut peccatum ex ignorantia oritur, ita poenitentia ex cognitione peccati exurgit;

44) Io 6, 44. Vulg.: *Nemo potest venire,* etc. 45) Ibid. vr. 37. 46) Lc 7, 37. 47) Cf. Gn 2, 15-25. 48) Ibid. 1, 26; 5, 1; 9, 6. Cf. Ez 28, 12. 49) Cf. Gn 3, 1 sqq. 50) Ps 37, 5. 51) Lc 7, 37. Vulg.: *Quod accubuisset,* etc. *Iesus* subiungitur in aliquibus codicibus. Cf. *Biblia Lovaniensis*; Eb. Nestle *Novum Test.*, h. l. 52) Gn 3, 13. 53) 1 Tim 2, 14. 54) Ps 118, 59. Vulg.: *Converti pedes meos,* etc.

effectus pessimos; *ut cognovit* periculum damnationis aeternae, iram Dei et odium contra peccatum, severam iustitiam et tremendum iudicium; *ut cognovit* sibi clausum paradisum, apertum infernum, iratum Deum, paratos daemones tanquam ministros divinae iustitiae ad pertrahendam eam in carcerem infernalem, ad luendas poenas aeternas; tunc ad asylum divinae misericordiae cucurrit, sicut sunamitis ad Eliseum agnita morte unici filii, [55] cucurrit ad divinum propitiatorium: cognitio.

Fides etiam poenitentiae fundamentum et basis est: *Fides tua te salvam fecit; vade in pace.* [56] Nisi populus Moysi credidisset, nunquam excussisset de cervicibus suis iugum Pharaonis, nunquam ex Aegypto egressus fuisset ad serviendum Deo viventi; Ninivitae non egissent poenitentiam, nisi Ionae praedicationi credidissent; homines illi qui ad Christum attulerunt paralyticum, non attulissent, nisi credidissent posse Christum conferre salutem infirmo: *Quorum fidem ut vidit, dixit paralytico: Confide, fili, dimittuntur tibi peccata tua.* [57]

per fidem accenditur, quae fundamentum poenitentiae est.

Sed non sufficit fides. *Attulit,* inquit, *alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes eius, lacrimis coepit rigare pedes eius, et capillis* suis *tergebat, et osculabatur pedes eius, et unguento ungebat.* [58] In dedicatione tabernaculi in deserto, post exitum de Aegypto, abierunt principes synagogae et obtulerunt vasa plena haec quidem incenso, illa vero simila conspersa oleo, simulque animalia pro sacrificiis. [59] Et Dominus praecepit in *Exodo: Non apparebis vacuus coram me.* [60] Sic Magdalena non apparet coram Christo vacua, sed mentem plenam habet cognitione, animum amore: *Dilexit multum,* [61] cor dolore, oculos lacrimis, manus unguento: *Attulit alabastrum unguenti.* Vere venit ad Christum in toto corde suo, *in ieiunio et... fletu et... planctu;* non venit ad mensam ad comedendum cum pharisaeo, sed ad plangendum. Manducabat pharisaeus ad mensam suam, Magdalena autem ad pedes Christi plangebat. Pedes Christi erant mensa Magdalenae referta illo cibo et potu: *Cibabis nos pane lacrimarum et potum dabis nobis in lacrimis in mensura.* [62]

simul et per caritatem quae ad verum dolorem divinae offensae commovet.

55) Cf. 4 Rg 4, 18-36. 56) Lc 7, 50. 57) Mt 9, 2, cum Lc 5, 20. Vulg.: *Remittuntur tibi*, etc. 58) Lc 7, 37-38. In nova edit. Bib. S. A. Gramatica expunxit verba: *Et capillis capitis sui tergebat.* 59) Cf. Nm 7, 1 sqq. 60) 23, 15; 34, 20. Vulg.: *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* 61) Lc 7, 47. 62) Ps 79, 6.

Sic conversa fuit ad Dominum *in toto corde* suo et in tota amaritudine animae suae; sic fecit planctum *quasi super unigenitum, planctum amarum.* Isaias ait: *Convertimini, sicut in profundum recesseratis;* [63] Ioannes praedicat: *Facite... fructus dignos poenitentiae;* [64] Paulus monet: *Sicut... exhibuistis membra vestra servire iniustitiae et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem.* [65]

et pro mensura peccatorum ex corde vere contrito lacrimas elicit.

IV. Magdalena omnia servat, omnes implet poenitentiae numeros. Exultaverat in rebus pessimis: [66] nunc amarissime plangit; corde, ore, manibus, oculis, capillis, unguentis, toto corpore peccaverat: nunc tota ad pedes Christi iacet, omnia exhibet in ministerio Christi in satisfactionem peccatorum suorum. Sacris illis osculis dicebat, sicut anima David ad pedes Dei prostrata et indulgentiam ac remissionem peccatorum suorum petens: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam:* [67] Tu, inquit, mare oceanum, diluvium noeticum es infinitae misericordiae: *Secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam;* [68] frequentabat oscula cum lacrimis; *Amplius lava me ab iniquitate mea et a peccato meo munda me; quoniam iniquitatem meam ego cognosco* quam gravis sit, *et peccatum meum contra me est semper:* [69] haec tantarum erat causa lacrimarum; quoniam etiam *tibi soli peccavi*, tantum coram te, in abscondito hominum, *et malum coram te feci,* [70] non veritus faciem tuam et oculos maiestatis tuae ut oculos hominum. Sed scis, Domine, quod *in iniquitatibus conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea;* [71] quare, obsecro, aspergas *me hyssopo*, ut summus sacerdos agebat, [72] *et mundabor:* si laveris me, *super nivem dealbabor.* [73]

Omnia haec in Magdalenae poenitentia elucent;

Sic, inquam, Magdalena ad pedes Christi prostrata orabat non ore, sed corde, sicut Moyses, [74] sicut Anna mater Samuelis. [75] Fuit poenitentia Magdalenae similis poenitentiae Dei: *Poenitet... me fecisse* hominem: *Videns* Dominus *Deus quod multa malitia hominum esset in terra... poenituit eum quod hominem fecisset in terra, et tactus*

nam ipsa diluvio lacrimarum omnes penitus cordis sui maculas tersit,

63) 31, 6. 64) Lc 3, 8. 65) Rom 6, 19. Vulg.: *Servire immunditiae et iniquitati*, etc. 66) Cf. Prv 2, 14. 67) Ps 50, 3. 68) Ibid. 69) Ibid. vrr. 4-5. 70) Ibid. vr. 6. 71) Ibid. vr. 7. 72) Cf. Ex 34, 8; Nm 14, 5; 16, 22. 73) Ps 50, 9. 74) Cf. Ex 17, 11-12. 75) Cf. 1 Rg 1, 9-20.

dolore cordis intrinsecus et praecavens in futurum: [76] *Delebo, inquit, hominem quem formavi.* [77] Sic diluvium misit mundumque purgavit omnesque peccatores perdidit, nullo penitus relicto. [78] Sic Magdalena hodie veluti diluvium facit lacrimarum, in quo perdidit omnia peccata, sicut in mari Rubro perdidit Deus cunctum exercitum Pharaonis, nec uno quidem relicto. [79] Nullum omnino peccatum Magdalena reservavit, sicut Saul contra praeceptum Domini servavit multos Amalecitas. [80] Deus autem vel omnia simul peccata dimittit, sicut servo dimisit omne debitum, [81] et in hodierno Evangelio utrique debitori totum quod debebant, [82] vel nullum omnino. Neque enim simul homo in gratia et in peccato esse potest, templum Spiritus Sancti et satanae, sicut nec in hoc mundo simul dies et nox, lux et tenebrae.

quia impossibile est gratiam simul cum peccato convenire.

Est ergo Magdalenae poenitentia omni ex parte perfecta, numeris omnibus absoluta; ideo perfecta salute donata est, sicut *qui prior descendisset in piscinam, post* Angeli descensum et *motionem aquae, sanus fiebat a quacunque detinebatur infirmitate.* [83] Non fuit sicut poenitentia Saulis ficta, quae veniam a Deo non obtinuit, [84] sed sicut poenitentia David; [85] non sicut poenitentia Iudae, cum desperatione coniuncta,[86] sed sicut poenitentia Petri, qui *egressus foras flevit amare,* postquam respexit eum Dominus. [87] Magdalena ad pedes Domini prostrata ambos rigabat lacrimis, ambos tergebat capillis, ambos osculabatur, ambos ungebat, non alterum tantum. Pedes Domini sunt misericordia et iustitia, quibus ad nos accedit promittendo veniam et comminando iram; ostendendo hinc quidem paradisum apertum, hinc vero infernum, ut in nobis generet timorem simul et spem, ut recta tendamus, non declinantes sive ad dexteram sive ad sinitram.

nec Deus misericordiam concedit nisi prius iustitiae satisfiat.

V. Quattuor autem recenset Dominus in Magdalenae poenitentia: lacrimas, capillos, oscula et unguentum; quod pedes Domini rigavit, tersit, unxit et osculata est. In iustificatione nanque duo

In Magdalenae poenitentia ostenditur etiam ad iustificationem

76) Verba: *Praecavens in futurum,* quae in antiquis editionibus inveniebantur, in sequentibus iussu Clementis VIII emendatis expuncta fuerunt. Cf. Fortunatus Fanensis *Praefatio in S. Bibliis.* 77) Gn 6, 5-7. Vulg.: *Quem creavi.* 78) Cf. ibid. 7, 10-23. 79) Cf. Ex 14, 23-15, 2-8. 80) Cf. 1 Rg 15, 7-9. 81) Cf. Mt 18, 23-27. 82) Cf. Lc 7, 41-42. 83) Io 5, 4. 84) Cf. 1 Rg 15, 19 sqq. 85) Cf. 2 Rg 12, 13-17. 86) Cf. Mt 27, 3-5; Act 1, 18. 87) Lc 22, 61-62.

requiri gratiam purificantem a vitiis et virtutes infundentem.

sunt: gratia et caritas. Gratiae sunt partes duae: puritas a vitiis, et coelestium virtutum infusio una cum ipso Spiritu Sancto. Hinc Regius Vates: *Asperges me,* Domine, *hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor;* [88] et item: *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.* [89] Hinc sacerdos in die consecrationis lavabatur aqua et ungebatur oleo; [90] hinc Deus apud Ezechielem aiebat lavisse se synagogam aqua et unxisse oleo; [91] hinc: *Unge caput tuum et faciem tuam lava.* [92] Sic de David legimus quod lavit se et unxit se oleo. [93]

caritatem quoque a mundo avertentem et ad Deum perpetuo convertentem.

Caritatis item duae sunt partes: conversio ad Deum, et aversio a mundo; Deum super omnia diligere, et mundum ac pretiosissima quaeque propter Deum contemnere; affectu et animo soli Deo adhaerere, ipsum amplecti, cum ipso velle perpetuo pacem habere, cetera quaeque nihili pendere. En Magdalena in signum veri amoris et verae pacis amplectitur et osculatur Christi pedes. Capillos autem capitis sui, quos pretiosissimos habent mulieres, contemnit, illis Christi pedes tersit. Quattuor igitur haec sunt in vera perfectaque poenitentia.

Haec vera poenitentia Christo gratissima,

Sed quam grata haec poenitentia Christo! Ad eam contemplandam et commendandam intermittit cibum et potum, non eicit eam Christus, non torvis oculis aspicit, non duris verbis alloquitur, sicut Heli sacerdos Annam matrem Samuelis, [94] non improperat peccata et superioris vitae turpitudinem; sed opere ostendit quod per Ezechielem dixerat: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur.. et vivat;* [95] si *conversus fuerit* impius *ab impietate sua,... vita vivet;* [96] et iterum: *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est... et fecerit iudicium et iustitiam,... omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.* [97] Sic egit in parabola clementissimus pater cum filio prodigo: non punivit nec reprehendit eum, sed benignissime suscepit et opiparum convivium instruxit magna cum laetitia et gaudio. [98]

qui non solum Magdalenam de vita anteacta non increpat,

Christus hodie non solum non increpavit Magdalenam, sed etiam defendit a pharisaeo, sed eam illi anteposuit, sed poenitentiam eius laudavit, [99] sicut Booz laudavit Ruth moabitidem; [100] sicut Deus

88) Ps 50, 9. Cf. supra, Feria Secunda huius Dom., not. 73, pag. 436. 89) Ps 50, 12. 90) Cf. Ex 29, 1-7. 91) Cf. 16, 9. 92) Mt 6, 17. 93) Cf. 2 Rg 12, 20. 94) Cf. 1 Rg 1, 10-14. 95) 33, 11. Vulg.: *Mortem impii*, etc. 96) Ibid. vrr. 12-16. 97) Ibid. 18, 21-22. 98) Cf. Lc 15, 20-24. 99) Ibid. 7, 44-47. 100) Cf. Ruth 2, 11-12.

honoravit poenitentiam David dans illi in solio suo post se regem Salomonem divinis muneribus cumulatissimum;[101] sicut honoravit poenitentiam Petri dans illi pontificatum et summum principatum Ecclesiae;[102] sicut manna de coelo pavit synagogam post captivitatem,[103] eamque in sponsam accepit,[103a] cum tamen idola coluisset in Aegypto.[104] Sic laudavit poenitentiam Magdalenae, perfectamque poenitentiam Christus hodie praefert imperfectae iustitiae et sanctitati; sic Magdalenam praetulit pharisaeo, qui vitae sanctitatem magnamque religionem pietatemque profitebatur.

quin etiam a malignantibus defendit eiusque conversionem laudat.

VI. Ostenditur etiam in hodierno Evangelio quam utilis et iucunda etiam nobis sit poenitentia, quoniam affert nobis remissionem peccatorum, pacem et salutem: *Dimittuntur tibi peccata tua... Fides tua te salvam fecit: vade in pace.*[105] Tres effectus tribuit Dominus poenitentiae: remissionem peccatorum, pacem et salutem, cui addere possumus quartum: quod sit laudata a Christo.

Ostenduntur insuper in Magdalena poenitentiae effectus.

Homo peccator vera poenitentia agit cum Deo veram pacem, sicut veram a Deo accipit remissionem peccatorum. Multis autem contingit sacris hisce diebus ad Christum accedere ad percipiendam remissionem peccatorum in sacramentali Confessione, ubi Christus est principalis sacerdos, uti inducias cum Christo agant trium vel quattuor dierum, non ut veram agant pacem. His autem a Christo non dicitur, ut Magdalenae: *Dimittuntur tibi peccata tua... Fides tua te salvam fecit: vade in pace;* sed ad maiorem perditionem reservantur, sicut Pharao, sicut Saul.

Vera poenitentia perseverans esse debet;

Salubris est vera poenitentia, quoniam purgat animam a peccato, quod est letale venenum ducens ad perditionem aeternam; utilis est, quoniam dat homini salutem; iucunda est, quoniam affert homini gratiam et amicitiam Dei, pacem etiam animi, quietem et serenam tranquillitatem conscientiae, abicit autem omnem vitam sensus et carnis, ita ut ipsa opera poenitentiae multo iucundiora reddat nobis quibusvis deliciis corporis; sicut hodie multo beatior erat Magdalena ad pedes Christi, quam pharisaeus cum ceteris discumbentibus

haec est quae, purgans animam a peccato, pacem conscientiae restituit et a mundanis deliciis cor avertit;

101) Cf. 2 Rg 12, 13-25; 3 Rg 3, 1-13. 102) Cf. Io 21, 15-17. 103) Cf. Ex 16, 4 sqq.; Nm 11, 7-9. 103a) Cf. Os 2, 1 sqq. 104) Cf. Ios 24, 14; Ez 20, 4-10; 23, 3-24. Cf. supra, Feria Tertia Dom. Secundae Quadr., not. 248, pag. 187. 105) Lc 7, 48-50. Vulg.: *Remittuntur tibi*, etc.

ad mensam. Hinc Magdalena vere et ex animo ad Christum conversa, reliquit penitus omnes vitae superioris vanitates atque delicias, sola Christi gratia felix et beata. Talem enim vere se existimabat et erat, sicut Dominus illi ait: *Fides tua te salvam fecit: vade in pace.*

contemptus enim vanitatum indicium est verae caritatis.

Multae sunt saeculares mulieres quae vitam spiritualem amplexatae videntur, sed tamen vanitates mundi non relinquunt; signum manifestum quod non ex animo sunt abalienatae a mundo, ut Deo vere adhaereant. Fumus signum est ignis; contemptus vanitatum mundi fumus est indicium ignis divinae caritatis, verae dilectionis in Deum; fumus autem mundanae vanitatis signum et indicium est cupiditatis et carnalitatis. Patet in Magdalena cum diligeret mundum et cum Deum vere diligere coepit.

Hoc praesertim in mulieribus difficile est, quia facilius tentantur a satana et naturali ambitione pulcritudinis vincuntur.

VII. *Ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix.* Res nova et mirabilis, digna miraculo, ut mulier resipiscat *a laqueis diaboli;* [106] nec tantum a peccatis magnis, manifestis et certis, verum etiam a vanitatibus, pompis et voluptatibus, quibus veluti ex ipsa natura mulieres supra modum sunt deditae. Et quidem duplici ex capite. Sicut enim Evae peccatum duplici ex capite processit, tum ex suggestione satanae tum ex naturali ambitione, ita vanitas haec mulierum, quae, ut R e g i u s V a t e s ait, *compositae* sunt et *circumornatae ut similitudo templi,* [107] oritur ex duplici hoc capite: ex arte et opera satanae qui, sicut Eva usus fuit ad decipiendum hominem, ita mulieribus utitur tanquam laqueis retibusque ad capiendas animas peccatisque perdendas; tum etiam ex naturali ambitione mulierum. Cum enim honoris et laudis sint cupidissimae, nec possint vel a prudentia politica in regimine civitatum, vel a scientia et doctrina per publicam doctrinam, vel a militari fortitudine aut aliis nobilibus disciplinis laudem sortiri et honorem; a pulcritudine nomen et famam quaerunt, cum tamen S a p i e n s dicat: *Fallax gratia et vana est pulcritudo; mulier timens Dominum ipsa laudabitur.* [108] Sic enim hodie Magdalena nobili encomio laudata a Christo est virtutum sanctarum titulo: a lacrimis, osculis, unguento, a fide, a caritate: *Quoniam dilexit multum.*

106) 2 Tim 2, 26. 107) Ps 143, 12. 108) Prv 31, 30.

ALIA HOMILIA

Ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod Iesus accubuit in domo, etc. [1]

Mirabilis ostenditur conversio Magdalenae a Christo hodie sanctificatae;

I. Sicut Eva prima mulier a Deo innocens sanctaque formata, satanae antiqui serpentis opera peccatrix facta est [2] ex immaculata et pura, sic hodie Magdalena, a satana corrupta ac mille peccatis foedata, hodie a Christo sanctificata est factaque ex peccatrice pura sanctaque; sicut Maria soror Moysi, lepra infecta, divinitus curata fuit, [3] sic hodie Magdalena mundata est a lepra. O mirabilem conversionem! Magdalena t u r r i s interpretatur; ex turri Babel [4] facta est *turris David..., quae aedificata est cum propugnaculis: mille clipei pendet ex ea, omnis armatura fortium;* [5] ex templo idolorum et habitatione daemonum facta est templum Dei et habitaculum Spiritus Sancti. [5a]

maius enim miraculum est conversio animae a peccato, quam resuscitatio defuncti;

Mirabilis conversio, magnum miraculum, multo maius suscitatione Lazari; [6] nam ibi caro mortua reviviscit, hic autem spiritus est divinitus suscitatus. Mulier illa carnalis et impudica meretrix, quae *Babylon* in *Apocalypsi* appellatur, [7] conversa est in coelestem mulierem sole amictam. [8] Hodie enim Magdalena lacrimarum aqua baptizata a Christo est et Christo ipso induta est, nam: *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* [9] Astitit coram Deo tunc Eva, astitit coram Christo vero Deo Magdalena; sed illa punita, cum unum tantum peccatum admisisset, ista absoluta, post multa, quoniam illa astitit coram Deo irato, ista coram placato; illa coram tribunali iustitiae, haec coram throno misericordiae. Ignis arsit tunc in Eva cupiditatis; [10] ignis hodie in Magdalena caritatis: *Quoniam dilexit multum;* [11] אִשָּׁה [12] fuit tunc Eva, אִשָּׁה nunc Magdalena; in utroque statu ignea Eva, [13] in utroque statu ignea Magda-

1) Lc 7, 37. Vulg.: *Quod accubuisset*, etc. Cf. not. 51 praec. hom., pag. 472. 2) Cf. Gn 3, 1-6. 3) Cf. Nm 12, 1 sqq. 4) Cf. Gn 11, 4. 5) Ct 4, 4. 5a) Cf. 1 Cor 3, 16-17. 6) Cf. Io 11, 1 sqq. 7) 14, 8; 18, 2. 8) Cf. ibid. 12, 1. 9) Gal 3, 27. 10) Cf. Gn 3, 6-16. 11) Lc 7, 47. 12) Ms.: *Ischah*. et sic infra. 13) Quia אֵשׁ, ex quo nomen mulieris deducitur, ignem significat.

lena; sed e contrario accidit. Magnum miraculum, mulier peccatrix conversa est divinitus in mulierem sanctam.

maxime si agatur de conversione mulieris mundanae.

Quoniam autem res nova est, insolita, valde rara, ut mulier vere et ex animo a mundo ad Deum convertatur, propterea ait Evangelista: *Ecce mulier*, ecce rem novam, ecce miraculum. Prius mulier erat, de qua Salomon in concione: *Inveni amariorem morte mulierem, quae laqueus venatorum est, et sagena cor eius, vincula sunt manus illius;* [14] de qua item in *Proverbiis: Ecce occurrit ornatu meretricio, praeparata ad decipiendas animas.* [15] Unde ait de infelici iuvene quod: *Statim sequitur eam, sicut bos ductus ad victimam... ignorans quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta iecur eius; velut si avis festinet ad laqueum, et nescit quod de periculo animae illius agitur;* [16] nam ait quod *viae inferi domus eius.* [17] Erat igitur *in civitate peccatrix*, scandalum civitatis, pestis et pernicies iuventutis; *mulier... in civitate peccatrix*, tota vanitati, lasciviae et muliebri mundo dedita, iuxta morem fatuarum mulierum, de quibus comicus ille ait:

« Nosti mores mulierum :
Dum moliuntur, dum comuntur, annus est ». [18]

Attamen Magdalenae conversio perfectissima fuit, quia omnino mundum abiecit et uni Christo tota adhaesit.

Sed conversa ad Christum omnia abiecit ex animo, oculos convertit in fontes lacrimarum, [19] unguenta effudit supra pedes Christi, capillos adhibuit *in obsequium Christi;* [20] denique totam seipsam Christo dedicat, sicut prius tota fuerat mundo et carni dedita. Et sicut mulier bello capta, quae ab hebraeo ducenda in uxorem erat, abiciebat vetera omnia, vestes et crines, et sic desponsabatur; [21] ita hodie a Christo desponsata est Magdalena. Conversa ad Christum nihil aliud curavit, nisi ut placeret Christo et sancta esset spiritu et corpore. [22] Non amplius operam dedit mundo muliebri, sed tota intenta fuit ad ornandam virtutibus animam et ad opera pietatis, ut mulier non amplius mundana, quaerens placere mundo, sed ut vere christiana, quaerens placere sponso suo Christo, vivo ac vero Deo.

14) Eccle 7, 27. 15) 7, 10. Vulg.: *Ad capiendas animas.* 16) Ibid. vrr. 22-23. Vulg.: *Statim eam sequitur*, etc. 17) Ibid. vr. 27. 18) Terentius *Comoediae, Heaut.*, act. 2, sc. 2, vrr. 10-11. 19) Cf. Ier 9, 1. 20) 2 Cor 10, 5. 21) Cf. Dt 21, 10-13. 22) Cf. 1 Cor 7, 34.

II. Mulieris autem huius hodie duplex status proponitur, sicut Evae in paradiso, sed e converso: in altero, tota terrena, carnalis, mundana, *peccatrix*, tota vitiis plena, tota satanae inferno digna; in altero, tota spiritualis, coelestis, divina, tota sancta, virtutibus plena, tota Dei et Christi, paradiso dignissima. In illo, tota dedita erat mundo muliebri, cultui corporis et carnis; in hoc autem, tota dedita spiritui, tota incumbit spiritualibus ornamentis; unde a Christo multis laudibus, nobilissimo encomio laudatur. In priori statu, exemplar vanitatis; in posteriori, speculum sanctitatis; in priori, omnis vanitas muliebris; in posteriori, omnis sanctitas.

Considerandus est duplex status huius mulieris: sub iugo satanae et sub Christi amore.

Mulier hebraice אִשָּׁה appellatur, sic enim vocata fuit ab Adamo;[23] dicitur autem ab igne. Omnis mulier ignis; media tenere non novit, sed vel ignis caritatis et coelestium desideriorum, vel ignis carnalitatis. Mulier nanque suapte natura ambitiosa valde est, avida laudis et honoris, cupida autem supra modum est laudis pulcritudinis, nam verum est quod dicitur:

Media tenere mulier non novit: vel igne divino tota flagrat, vel mundano et carnali omnimo exardescit;

« Delectant etiam castas praeconia formae ».[24]

Hinc emendicata pulcritudo a stibio, cerussa, purpurisso, ab ementito colore cutis et crinium, ab externis ornamentis.

Omnis mulier sicut Magdalena t u r r i s est, arx est; sed vel vanitatis et insipientiae, vel sanctitatis et prudentiae. Arces cognoscuntur quorum principum sint ab insigniis et stemmatibus principum supra portas. A leone cognoscuntur civitates et arces Venetorum, ab aquila civitates et propugnacula Imperii; ita ab ornatu et externa figura habitus et vestitus ostenditur mulier. Sed quis non videt nostras mulieres turres esse vanitatis, quod veluti turres Babel deferunt super capita? quod studio ambitiosi ornatus superant Sybaritarum mulieres?[25] Opus esset Syracusiorum legem innovare, qua cautum ab eis fuit, ut nonnisi publica amica posset se auro, lapillis et sericis vestibus ornare, ut A t h e n a e u s refert.[26] Et quidem Magdalena, quoniam immodico huic ornatui operam dabat, a septem

ab externo autem ornatu dignoscitur an sit arx sanctitatis, aut turris vanitatis.

23) Cf. Gn 2, 23. 24) Ovid. *Artis Amatoriae*, lib. 1, vr. 623. 25) Cf. Paulus Mannuccius *Adagia*, col. 724-726. Sybaris urbs in Magna Graecia, haud procul ab ora sinus Tarentini, famosa civium suorum luxu ac mollitie. Ideo Sybaritae in proverbium venere de iis qui crapulantur et foedis voluptatibus se dedunt. Cf. Ios. Perin *Onomast.*, sub hac voce. 26) *Dipnosophistarum* sive *Coenae Sapientum*, lib. 12, cp. 6, pag. 211.

daemonibus possidebatur.[27] O quot mulieres a daemonibus possessae sunt per vanitatem, superbiam et vanam gloriam!

Immodicus ornatus signum manifestum est superbiae et vanae gloriae, et incitamentum libidinis;

Nam ornatus immodicus manifestum est signum superbiae et vanae gloriae, inventum diaboli est, incitamentum libidinis. Divus Gregorius Nazianzenus [ait] ambitiosum istum ornatum opus esse invitans salaces homines ad libidinem, sicut de pavone fertur invitare feminas ad libidinem, cum gemmantibus pennis rotam efficit et curvato collo seipsum miratur, sicut mulier ornat se ad convertendos in se oculos virorum carnalium.[28] Divus Augustinus appellat habitum adulterinum indicium adulterini cordis;[29] Divus Ambrosius in *Hexaemeron* grave crimen tollere ac foedare picturam Dei et assumere picturam vel imaginem meretricis.[30] Divus Hieronymus *ad Furiam* inquit quod «ornatus iste non Domini est, sed velamen antichristi»;[31] Divus Cyprianus, «adulterare plasma Dei».[32] Naturae auctor Deus maiorem ornatum contulit masculino sexui quam feminino, ut manifestum est in pavone, in gallo, in leone, in homine. Mulieres autem, non contentae naturali ornatu, externum ambitiose quaerunt fucato colore genarum, crinibus etiam fucatis et supposititiis usae, sicut ethnicus ille Ovidius ait:

«Femina canitiem germanis inficit herbis
Et melior vero quaeritur arte color;
Femina procedit densissima crinibus emptis,
Proque suis alios efficit aere suos».[33]

Miror si non ad eam etiam dementiam deventurae sunt ut etiam supposititiis barbis velint se ornare, sicut et supposititiis crinibus.

non omnino tamen damnatur mulierum ornatus, modo sobrius et verecundus sit.

Non damno omnem ornatum mulierum. Nam Paulus ad *Timotheum* ait: *Mulieres cum habitu ornato, cum verecundia et sobrietate ornantes se et non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis vel veste pretiosa; sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.*[34] Concedit Paulus christianis mulieribus ornatum, sed sobrium et verecundum; prohibet autem tortos crines, aurum et margaritas vestesque pretiosas. Divus Petrus, cum requi-

27) Cf. Mc 16, 9; Lc 8, 2. 28) *Carminum*, lib. 1, sect. 2, moralia, (P. G. 37, 889-890). 29) *Sermo 74*, (P. L. 39, 1888). 30) Lib. 6, cp. 8, ibid. 14, 260. 31) Epist. 54, ibid. 22, 553. 32) *De Habitu Virginum*, ibid. 4, 454. In edit. Migne ponitur in nota alia lectio, quam S. Auctor secutus est: «Plasma adulterare». 33) *Artis Amatoriae*, lib. 3, vrr. 163-166. 34) 1 Tim 2, 9-10. Vulg.: *In habitu*, etc.

sisset a christianis mulieribus subditas esse viris castamque conversationem,[35] subiunxit dicens: *Non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus; sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.*[36] Sic enim aliquando et sanctae mulieres sperantes in Deo ornabant se, subiectae propriis viris. Ipse etiam Petrus igitur, paradisi clavicularius, concedit christianis mulieribus ornatum pudicum. Sed tamen principaliter requirit ornatum animae et spiritus per sanctas virtutes.

35) Cf. 1 Petr 3, 1. 36) Ibid. vrr. 3-4.

FERIA SEXTA DOMINICAE PASSIONIS

Collegerunt pontifices et Pharisaei concilium... et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa. [1]

Synagoga hebraica ante Christum erat vera Ecclesia Dei, in qua vera fides reperiebatur,

I. Proponitur concilium principum et senatorum seniorumque et patrum reipublicae Iudaeorum, coactum ex officio pro salute et optimo reipublicae regimine. Nam est respublica quaelibet in mundo sicut navis in medio maris: opus habet optimis nautis, quia, nisi optima moderatione regatur et gubernetur, facile naufragium patitur et perit. Pontifices autem et Pharisaei, patres conscripti reipublicae Iudaeorum, moderatores erant totius synagogae, quae adhuc erat Ecclesia veri Dei, nondum aedificata Ecclesia Christi. Mansit enim cultus Dei in tabernaculo Moysi, quousque aedificatum fuit templum Salomonis. [2] Sic mansit vera fides Dei et vera religio in synagoga, quousque ablatum fuit Iudaeis regnum Dei et datum Gentibus. [3]

et duplex regimen: humanum et divinum.

Proponitur autem in hodierno Evangelio duplex regimen synagogae: alterum manifestum, et alterum occultum; unum visibile, alterum invisibile; unum humanum, alterum divinum, quod Evangelista declaravit luculenter, cum, posita conclusione et determinatione concilii ex Caiphae sententia: *Expedit... ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat,* [4] subiunxit: *Hoc autem a semetipso non dixit; sed, cum esset pontifex anni illius, prophetavit quia Iesus moriturus erat pro gente,... ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* [5] Prophetia autem opus Spiritus Sancti est, verba prophetae Dei verba sunt. Dei igitur haec sententia fuit, non tantum Caiphae; nam Deus est summus mundi et Ecclesiae moderator:

1) Pericope huius diei Io 11, 47-54. Cf. Missale Rom. 2) Cf. 2 Rg 7, 1 sqq.; 3 Rg 8, 1 sqq.; 1 Par 17, 1 sqq.; 2 Par 5, 1 sqq. 3) Cf. Mt 21, 43; Act 13, 46. 4) Io 11, 50. 5) Ibid. vrr. 51-52. Vulg.: *Quod Iesus moriturus*, etc.

Rex regum et Dominus dominantium. [6] Ait igitur: *Collegerunt pontifices et Pharisaei concilium.*

II. In omni republica et regno necessarii sunt magistratus, necessaria prudentia politica, usus rerum, consilia prudentum senatorum. Rex Assuerus habebat secum septem consiliarios, viros sapientes, qui regni habenas moderabantur. [7] Salomon, licet rex esset sapientissimus, [8] habebat tamen suos consiliarios, viros sapientes et prudentes. [9] Cum instituisset Deus Iudaeorum rempublicam eique Moysen praefecisset, instituit etiam senatum septuaginta seniorum, qui una cum Moyse onus regiminis sustinerent. [10] Deus ipse in *Apocalypsi* visus fuit Ioanni sedens in throno maiestatis, in medio viginti quattuor seniorum, [11] qui videbantur supremi principes paradisi summique senatores et patres conscripti. Sicut corpori necessarium est caput, imo anima, navi nauta, domui paterfamilias; sic reipublicae supremus magistratus et concilium, qui praediti sint auctoritate, prudentia rerum gerendarum et optima voluntate, [12] ut non privatis affectibus rempublicam moderentur, sed publicae utilitati studeant et invigilent.

In quavis republica necessarii sunt magistratus auctoritate, prudentia et optima voluntate praediti;

Sed quale est hodiernum concilium? Plane coetus virorum magnae auctoritatis, quoniam pontificum et Pharisaeorum, concilium prudentum iurisperitorum, legisdoctorum et scribarum. Hinc prudenter quaerunt: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Sed utinam reperta fuisset in eis optima voluntas!

sed tales non erant principes synagogae.

III. Reperiuntur in mundo tres respublicae: una in coelo, in paradiso; altera in terra, in mundo; tertia sub terra, in inferno. In prima praesidet Deus, in secunda homo, in tertia satanas. Prima respublica est tantum bonorum vere optimatum, omnes enim nobilissimi optimi sunt; tertia malorum tantum, imo pessimorum; media est mixta ex bonis et malis; sicut in coelo semper purissima lux est; sub terra obscurissimae tenebrae; super terram nunc lux nunc tenebrae; sicut in paradiso summa felicitas, omne bonum; in

Tres respublicae noscuntur: bonorum in coelo, malorum in inferno, et tertia in terra, bonis et malis composita.

6) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 7) Cf. Est 1, 12-14. 8) Cf. 3 Rg 3, 12; 4, 30 sqq.; 2 Par 1, 11-12. 9) Cf. 3 Rg 12, 5; 2 Par 10, 6. 10) Cf. Nm 11, 16-17. 11) Cf. 4, 1-4. 12) Ms.: *Voluntati.*

inferno summa infelicitas, omne malum, in mundo mixtio est bonorum et malorum, divitiarum et paupertatis, voluptatum et poenarum, honorum et ignominiarum, sanitatum et infirmitatum, vitae et mortis.

Sic hodiernum concilium mixtum erat bonis et malis, quia aderant qui Christi partes tuebantur.

Ita hodiernum concilium, mixtum erat ex bonis et malis; nam aderat Gamaliel, vir bonus et sanctus; [13] aderat Nicodemus, discipulus Christi, licet occultus; [14] aderat *Ioseph ab Arimathaea, nobilis decurio,* [15] qui *non consenserat consilio et actibus eorum.* [16] Licet totum malum videatur – sicut concilium satraparum contra Danielem, ut mitteretur in lacum leonum, quoniam Deum colebat; [17] sicut concilium regis Syriae contra regem Israel, cuius mysteria et secreta consilia ab Eliseo revelabantur, [18] totum videbatur malum, – quia nemo in favorem Christi vel verbum dixit – sicut locutus fuit Ionathas regi Sauli in favorem David, ostendens non tantum innocentiam David, verum etiam merita, quod benemeritus de rege erat; [19] sicut locutus fuit Ruben in concilio fratrum contra Ioseph, *qui nitebatur liberare eum de manibus eorum,* [20] sicut etiam Iudas: *Quid nobis prodest si occiderimus fratrem nostrum, et celaverimus sanguinem ipsius?... Manus nostrae non polluantur* sanguine, *frater enim et caro nostra est,* [21] – aderant tamen qui secreto partes Christi tuebantur, qui favebant Christo. Sicut in concilio Absalom contra David patrem suum, aderat Chusai [22] arachites pro David, qui secreto eum per fideles nuncios certiorem [faciebat] omnium quae gesta erant in concilio, et consilii quod dederat Achitophel contra ipsum David; [23] ita in hoc concilio, licet nemo sit pro Christo locutus ad ostendendam eius vel innocentiam vel merita in rempublicam et universum populum – sicut in altero concilio locutus fuit Nicodemus, quando principes et Pharisaei miserunt ministros ut comprehenderent Christum, [24] – aderant tamen nonnulli, qui secreto favebant Christo et qui nunciaverunt ei, saltem pro naturali pietate et civica caritate, quod iam conclusum erat in concilio contra eum; nam, audita Caiphae sententia, *ab illo... die cogitaverunt* principes *ut interficerent eum.* [25]

13) Cf. Act 5, 34-39. 14) Cf. Io 7, 50-51. 15) Mc 15, 43. 16) Lc 23, 51. 17) Cf. Dn 6, 6-16. 18) Cf. 4 Rg 6, 8 sqq. 19) Cf. 1 Rg 19, 4-7. 20) Gn 37, 21. 21) Ibid. vrr. 26-27. Vulg.: *Quid prodest nobis*, etc. 22) Ms.: *Chusi.* 23) Cf. 2 Rg 17, 5-16. 24) Cf. Io 7, 44-51. 25) Ibid. 11, 53.

Quare non defuisse existimarim aliquos qui, soluto concilio, per secretos internuncios Christum certiorem fecerint determinationis concilii, ut sibi prospiceret et saluti suae consuleret. Tamen, quia in conciliis numeri habetur ratio et maior pars vincit, deterior meliorem, sicut in concilio contra Ioseph,[26] propterea impie in hoc concilio damnatus est Christus, nullo observato caritatis aut iuris ordine, imo contra omnem caritatem omnemque iustitiam; ideo perversum iniquumque, daemoniacum, satanicum, vere diabolicum concilium extitit. Hinc in Sacris Litteris *concilium malignantium* appellatur.[27]

eumque forte certiorem fecerant iniquae determinationis concilii.

IV. Et tamen etiam in hoc concilio reperitur Deus, reperitur Spiritus Sanctus: *Deus stetit in synagoga deorum; in medio autem Deus diudicat.*[28] Nam in Sacris Litteris iudices et magistratus *dii* appellantur,[29] utpote qui divina auctoritate pollent et super alios homines eminent. Nam, ut in *Deuteronomio* Moyses ait: *Dei iudicium est,*[30] ideo iuste docet omnes aeque iudicandos esse, absque acceptione personarum, attendentes ad ius et merita causarum, non ad personas. Sic Iosaphat, rex Iudaeorum, dixit iudicibus et ministribus suis: *Videte . . . quid faciatis; non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini.*[31] Sic inquit quod Deus est *in medio deorum*, in medio iudicum etiam inique iudicantium. Nam sequitur: *Usquequo iudicatis iniquitatem*, inique, iniuste, *et facies peccatorum sumitis?*[32] sive facies impietatum sumitis, iudicantes secundum faciem, secundum apparentiam, non secundum veritatem et iustitiam? Sic repertus fuit Deus in concilio contra Ioseph; unde ait: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum:*[33] *Vos cogitastis adversum me malum, sed Deus convertit illud in bonum.*[34] Sic etiam repertus est in hodierno Iudaeorum concilio contra Christum: *Hoc autem a semetipso non dixit; sed, cum esset pontifex . . ., prophetavit.* En divinum regimen, divinum iudicium, invisibilis magistratus.

Vere satanicum fuit hoc concilium; in eo tamen Deus quodammodo reperiebatur, quia ipse Caiphae prophetiam inspiravit.

Sed magnum discrimen interest inter utrunque regimen et iudicium: *Non enim viae meae viae vestrae neque cogitationes meae cogitationes vestrae, dicit Dominus; sed sicut exaltantur coeli a terra, ita*

Cogitationes Dei semper ad bonum nostrum diriguntur,

26) Cf. Gn 37, 18 sqq. 27) Ps 21, 17. 28) Ps 81, 1. 29) Cf. Ex 21, 6; 22, 8. 28; Ps 46, 10. 30) 1, 17. 31) 2 Par 19, 6. 32) Ps 81, 2. 33) Gn 45, 8. 34) Ibid. 50, 20.

nam ipse sibi sufficit et nullius eget.

exaltatae sunt viae meae a viis vestris, et cogitationes meae a cogitationibus vestris, ait per Isaiam. [35] Per Ieremiam vero: *Ego... scio cogitationes, quas ego cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis et non afflictionis, ut dem vobis finem et patientiam.* [36] Cogitationes Dei super nos cogitationes sunt pacis, prosperitatis, felicitatis; nonnisi ad bonum nostrum intentus est; in seipso beatissimus est, bonorum nostrorum non eget. [37] Sicut pro nostra utilitate mundum creavit, ita pro nobis servat, moderatur, regit. Sic Paulus ait: *Omnia... vestra sunt,* [38] idest propter vos creata sunt, propter vos facta.

et omnia in mundi regimine non sibi, sed ad utilitatem nostram operatur.

Est Deus sicut sol in coelo, qui non sibi lucet, non sibi diem agit, non sibi operatur perpetuo motu et actione sua in natura universali, nihil sibi acquirit, nullum capit emolumentum vel ex plantis et animantibus, quae generantur in terra vel in mari, neque ex stellis, quae splendent in coelo. Sic Deus propter nos operatur omnia, nihil propter seipsum, quia nullius rei indigus est, nullam omnino ex creatis rebus utilitatem aut voluptatem capere potest; quidquid in mundo operatus est in natura universali, in Ecclesia Sancta ac tandem in beato paradiso, omnia propter nos operatus est. *Filium suum... misit in mundum,* [39] utique propter nos, nostri causa, ad utilitatem nostram: *Propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos;* [40] *Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* [41] Hoc est quod ait: *Expedit... ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat,... quia Iesus moriturus erat pro gente..., ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* [42] Scopus divini regiminis est: Hoc *expedit,* non mihi, sed *vobis.* Regimen Dei est sicut solis regimen. Sol enim veluti rex siderum est, rex coeli, rex naturae; sed qui a suo regno nihil accipit, sed tantum dat; ipse mundum locupletat divitiis et bonis omnibus replet.

Deus supremus est mundi gubernator,

V. In hoc divino regimine summa est auctoritas, nam per pontificem summum designatur: *Cum esset pontifex;* summa prudentia, quia *prophetavit: Vos nescitis quicquam, nec cogitatis.* [43] Dei nanque

35) 55, 8-9. Vulg.: *Non enim cogitationes meae cogitationes vestrae, neque viae vestrae viae meae... quia sicut exaltantur.* 36) 29, 11. 37) Cf. Ps 15, 2. 38) 1 Cor 3, 22. 39) 1 Io 4, 9. 40) Eph 2, 4. 41) Io 3, 16. 42) Ibid. 11, 50-52. Vulg.: *Quod Iesus moriturus,* etc. 43) Ibid. vrr. 49-50.

comparatione vel homines vel Angeli nihil sciunt, sicut comparatione solis stellae omnes nullius splendoris sunt.

cuius scientia infinita, cuius vigilantia perspicacissima, cuius prudentia sagacissima, praevidentissima et providentissima:

Duo autem dicit: *Nescitis..., nec cogitatis*, quoniam in principe duo requiruntur pro regimine: habitualis scientia prudentiaque, et actualis diligentia, studium et cogitatio, quod in quolibet negotio gerendo melius, opportunius et expedientius sit, ne per incogitantiam perturbatio aliqua oriatur in rebus belli vel pacis, civilibus aut criminalibus. In Deo autem summa est tum sapientia: *Sapientiae eius non est numerus*,[44] tum etiam vigilantia: *Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel.*[45] Apud Zachariam dicitur habere septem oculos,[46] sicut Agnus in *Apocalypsi*.[47] Vigilantissimus, inquit, oculatissimus princeps noster est, sicut et sapientissimus, ita ut nullum omnino vel per imprudentiam vel per incogitantiam aut dormitantiam non videat malum, quod vel per insidias adoriri nos possit. Ubi periculum aliquod imminet, statim adhibet opportunum remedium. Praevidit diluvium, providit arcam;[48] praevidit famen septem annorum, providit Iosephum patriarcham;[49] praevidit captivitatem populi sui in Aegypto, providit Moysen et Aaronem;[50] praevidit serpentes ignitos, providit serpentem aeneum;[51] praevidit famem et sitim populi, providit manna et aquam de petra;[52] praevidit persecutiones Aman contra Iudaeos, providit Esther et Mardochaeum.[53] Sic princeps prudentissimus et providentissimus est.

ideo providit ut Christi morte genus humanum salvaretur.

Sic hodie imminebat periculum a Romanis idololatris,[54] a principibus mundi huius, a rectoribus tenebrarum,[55] contra rempublicam electorum suorum, contra populum fidelium; providit remedium: *Expedit... ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.* Periisset totum genus humanum sub potestate daemonum, nisi Christus mortuus fuisset. O summam prudentiam! *Expedit... ut unus moriatur homo pro populo, unus* pro multis patiatur et moriatur in corpore ad modicum tempus in hoc mundo, pro salute, vita, felicitate et gloria aeterna tum animarum tum corporum in paradiso. Sic igitur in principe hoc nostro, vere optimo maximo, summa auctoritas, summa

44) Ps 146, 5. 45) Ps 120, 4. 46) Cf. 3, 9; 4, 10. 47) Cf. 5, 6. 48) Cf. Gn 6, 1 sqq. 49) Cf. ibid. 41, 1 sqq. 50) Cf. Ex 3, 1 sqq. 51) Cf. Nm 21, 6-9. 52) Cf. Ex 16, 1-17, 1-6; Nm 20, 2-11. 53) Cf. Est 3, 7-7, 1 sqq. 54) Cf. Io 11, 48. 55) Cf. Eph 6, 12.

prudentia et optima voluntas, cum ad summam utilitatem nostram tum corporalem tum spiritualem, tum temporalem tum aeternam omnia operetur in mundo: *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam;* [56] *Ut vitam habeant, et abundantius habeant.* [57]

Magistratus humanus necessarius est reipublicae,

VI. Humanus autem magistratus non talis est, divino valde dissimilis est, nisi divino spiritu regatur et gubernetur. Necessarius est reipublicae humanae sicut cibus et potus. Hinc ubi apud I s a i a m legimus: *Ecce... dominator Dominus exercituum auferet a Ierusalem et a Iuda validum et fortem, omne robur panis et omne robur aquae;* [58] hebraice est: *Ecce Dominus aufert scipionem et scipionem, scipionem panis et scipionem aquae.* Cibus et potus dicuntur b a c u l i ad sustentandum senes et infirmos, qui pedibus consistere non possunt erecti, quoniam sic vita in homine cibo et potu in hoc saeculo sustentatur; sine his fulcimentis homo naturaliter vivere minime potest.

sed divino spiritu regi debet, secus enim ad ruinam rempublicam perducet,

Sed declarans V a t e s metaphoram ait: *Auferet... fortem et virum bellatorem, iudicem et prophetam et ariolum et senem, principem super quinquaginta, et honorabilem vultu et consiliarium, et sapientem de architectis, et prudentem eloquii mystici;* hoc est: auferet optimos principes, iudices et magistratus, nervos totius reipublicae; *et dabo,* inquit, *pueros principes eorum et effeminati dominabuntur eis;* [59] unde necesse est ut sequatur reipublicae ruina; unde sequitur: *Irruet populus, vir ad virum et unusquisque ad proximum suum: tumultuabitur puer contra senem, et ignobilis contra nobilem.* [60] En ruina reipublicae, imo manifestis verbis dicit: *Ruit enim Ierusalem et Iudas concidit, quia lingua eorum et adinventio eorum contra Dominum, ut provocarent oculos maiestatis eius.* [61] Sicut palatium supra columnas positum, sublatis columnis, necesse est collabatur, sicut palatium Philisthaeorum, sublatis a Samsone columnis; [62] sic respublica, sublatis optimis magistratibus, non potest consistere.

ut accidit Iudaeorum reipublicae,

En veritas rei huius in hodierno Evangelio luce clarior. Concilium hoc Iudaeorum, supremus hic magistratus reipublicae eorum visibilis, erat quidem praeditus auctoritate, principes et iudices legitimi

56) Io 3, 15. 57) Ibid. 10, 10. 58) 3, 1. 59) Ibid. vrr. 2-4. 60) Ibid. vr. 5.
61) Ibid. vr. 8. Vulg.: *Adinventiones eorum*, etc. 62) Cf. Idc 16, 26-30.

erant, de quibus Dominus ait: *Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei;... quaecunque dixerint vobis, servate et facite.* [63] Erat in eis legis peritia, iuris prudentia, erat vigilantia: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Sed tamen, quia deerat iustitia, deerat optima voluntas, ambitione et avaritia obcaecati erant, et propterea in mortem Christi conspirarunt; profecto in causa fuerunt extremae et irreparabilis ruinae totius reipublicae.

cuius magistratus non Dei spiritu, sed iniquis passionibus agebatur;

Extitit magistratus hic reipublicae perniciosus, exitialis, sicut aliquando homini cibus et potus veneno infectus. Necessarius est cibus, necessarius potus; sed, si veneno infectus sit, occidit hominem. Sic est magistratus perversus, vitiis labefactatus. Fuit magistratus hic sicut statua Nabuchodonosor: caput habebat aureum, pectus cum brachiis ex argento; sed quia pedes fictiles habebat, lapide percussa ex alto, tota corruit et confracta contritaque fuit. [64] In magistratu hoc aureum caput erat divina auctoritas; pectus argenteum, legisperitia, divini iuris prudentia, nam: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum;* [65] venter aeneus et tibiae ferreae, potentia et vires. Sed qui pedes fictiles habuit, affectus terrenos, quia pleni erant avaritia et ambitione, corruit tota statua, infelix synagoga amisit omnia bona, omni gloria, omni honore privata est. Sicut enim ambitio et superbia in causa fuit ruinae tum Angelorum [66] tum hominum, [67] sic in causa etiam fuit irreparabilis ruinae reipublicae Iudaeorum. *Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes; vos autem sicut Adam moriemini et sicut unus,* sive *primus de principibus, cadetis.* [68] Concilium hodiernum videtur mihi concilium Philisthaeorum contra Samsonem, [69] utique in ipsorum perniciem, nam Samson moriens plures occidit, quam vivens; [70] sic et Christus Iudaeis.

nam in eo quidem reperiebatur divina auctoritas, peritia divini iuris, sed avaritia, invidia et superbia dominabatur.

VII. *Collegerunt pontifices et Pharisaei concilium, et dicebant: Quid facimus?* Theatrum videatur mundanae sapientiae et prudentiae humanae, quae secundum carnem est, quae *mors est*, quae inimica Dei est et legi subiecta minime est, neque enim potest, sicut vitium non potest esse virtus, nec obscuritas tenebrosa clara et lucida. Tria

Inde ostenditur prudentiam carnis inimicam esse Deo.

63) Mt 23, 2-3. 64) Cf. Dn 2, 31-35. 65) Ps 11, 7. 66) Cf. Is 14, 4-19; Ez 28, 17. 67) Cf. Gn 3, 1 sqq. 68) Ps 81 (hebr. 82), 6. 69) Cf. Idc 16, 23. 70) Cf. ibid. vv. 29-30.

dicit Paulus de prudentia carnis: quod *mors est,* quod inimica Dei est, quod legi Dei subiecta non est.[71] Omnia patent in hoc concilio. Christus Dominus noster verus Messias, verus Deus est; sapientes synagogae, prudentes secundum carnem, fidei et Evangelio Christi subiecti esse nolebant, et Christi inimici erant: *Cogitaverunt ut interficerent eum;*[72] *Principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius: Dirumpamus vincula eorum,* Dei et Christi, *et proiciamus a nobis iugum ipsorum.*[73] Sed tandem mors eis fuit, causa irreparabilis ruinae ipsorum.

et maxime errare qui hac ducuntur contra voluntatem Dei et conscientiam propriam.

Discant hinc principes temperare a prudentia carnis, abstinere ab iniustitia et iniquitate ne in eundem lapidem offendant. Discant patres familiarum ne opibus male partis, bonis male, iniuste, inique acquisitis velint stabilire domos et familias suas prudentia carnis contra voluntatem Dei, contra Evangelium Christi, contra conscientiam propriam; nam Deus perdit sapientiam sapientum,[74] comprehendit prudentes in astutia sua,[75] sicut Samson vulpes astutas.[76]

Deus autem impium pontificum propositum non impedivit, ut ex Christi morte Ecclesia surgeret;

Collegerunt . . . pontifices et Pharisaei concilium, sed contra Christum, contra Deum, et cogitaverunt interficere eum, nec destiterunt, donec pessimam hanc determinationem opere compleverunt, sicut qui aedificabant turrim Babel non destitissent, nisi Deus descendisset ad impediendum opus illud, nisi linguas eorum confudisset;[77] sic vel inviti destiterunt. Mirabile autem est cur opus illud impedivit Deus, non autem hoc tantae impietatis et infinitae sceleritatis. Sed: *Quia Iesus moriturus erat pro gente . . . ut filios Dei . . . congregaret in unum.*

et ita prophetia Caiphae, mortem Christi necessariam dicentis ad salvandam rempublicam, inexpectatum exitum sortita est.

VIII. *Expedit vobis ut unus . . . homo.* Istud *expedit* secundum Caiphae mentem a satana est, et ita verum est sicut illud quod primis parentibus satanas ipse dixit: *Nequaquam . . . moriemini,* sed *eritis sicut dii scientes bonum et malum.*[78] Accidit enim totum oppositum; promisit lucem et dedit tenebras, causa fuit ruinae totius humani generis. Ita istud *expedit* Iudaeis. Quare hic adimpletum videtur quod Ieremias de synagoga ait: *Olivam uberem, pulcram, fructiferam, speciosam vocavit Deus nomen tuum; ad vocem loquelae grandis exarsit ignis in ea, et combusta sunt fruteta eius; et Dominus exercituum, qui plan-*

71) Cf. Rom 8, 6-7. 72) Io 11, 53. 73) Ps 2, 2-3. 74) Cf. 1 Cor 1, 19. 75) Cf. Ibid. 3, 19; Iob 5, 13. 76) Cf. Idc 15, 4-5. 77) Cf. Gn 11, 3-9. 78) Ibid. 3, 4-5.

tavit te, [79] *locutus est super te malum.* [80] An non vox grandis hodie vox ista Caiphae: *Vos nescitis quicquam, nec cogitatis quia expedit vobis ut unus homo moriatur pro populo, et non tota gens pereat?* Ad hanc enim vocem *exarsit ignis* infernalis *in synagoga,* [81] nam ab hac die *cogitaverunt,* idest firmiter decreverunt, Christum interficere; quod quidem causa fuit eversionis et irreparabilis ruinae totius synagogae, sicut in parabola vineae Dominus vaticinatus fuit, [82] praedicens hodiernum concilium. Nam: *Agricolae,* inquit, *videntes filium* patrisfamilias *dixerunt . . . : Hic est heres: venite, occidamus eum et habebimus hereditatem eius.* [83] In cuius facinoris poenam, inquit, dominus vineae *malos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis.* [84]

Expedit vobis ut unus homo moriatur pro populo. D i v u s P a u l u s in epistola ad *Romanos* de hoc uno homine multa philosophatur pertractans elegantissimam antithesim inter Christum et Adam, quod sicut *unus homo* causa perditionis fuit, ita *unus homo* causa salutis. [85]

Sicut *unus homo,* Adam, causa perditionis fuit, sic *unus homo,* Christus causa salutis.

IX. *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. Hoc autem,* etc. Sicut filii Iacob patriarchae, satana suggerente, simul consiliati fuerunt ut fratrem suum Ioseph occiderent dicentes: *Ecce somniator venit: venite, occidamus eum,* [86] invidia moti, quoniam a patre plus cunctis fratribus amabatur; [87] ita hodie pontifices et Pharisaei collegerunt concilium contra Christum. Sicut autem Ioseph singularis erat filius Iacob et unice amatus, [88] ita Christus Filius Dei, de quo Pater ait: *Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* [89]

Christus dicitur *unus homo,* quia filius Dei dilectissimus,

Singulari autem titulo hodie Christus dictus est *unus homo: Expedit vobis ut unus . . . homo;* et quidem merito, quoniam inter omnes homines Christus unus est et singularis, sicut sol inter stellas, sicut imperator exercitus inter milites, sicut rex inter principes et nobiles regni. Aliquando in Sacra Pagina *unus* idem est ac p r i m u s, [90] sicut legimus: *Factus est vespere et mane dies unus;* [91] et postea sequitur *dies secundus, dies tertius, quartus, quintus* et *sextus.* [92] Quare

quia primus omnium hominum, similem non habens,

79) Ms.: *Eam.* 80) 11, 16-17. 81) Cf. Ps 105, 18. 82) Cf. Mt 21, 33-44. 83) Ibid. vr. 38. 84) Ibid. vr. 41. 85) Cf. 5, 12 sqq. 86) Gn 37, 19. 87) Cf. ibid. vr. 4. 88) Cf. ibid. vr. 3. 89) Mt 17, 5. 90) Cf. Sanctes Pagnini *Thesaurus Linguae Sanctae,* sub radice: אֶחָד. 91) Gn 1, 5. 92) Ibid. vrr. 8. 13. 19. 23. 31.

illud יוֹם אֶחָד,[93] *dies unus*, idem est ac d i e s p r i m u s: יוֹם רִאשׁוֹן.[94] Sic *unus homo*, p r i m u s h o m o , sicut Papa unus est inter omnes sacerdotes et Episcopos, et primus omnium est dignitate, auctoritate et honore. Cum aliquem virtute aliqua, disciplina vel arte excellentem insigniter laudare volumus, dicimus quod primus est homo mundi; ita Christus dicitur *unus homo*, idest p r i m u s h o m o , parem aut similem non habet, singularissimus homo.

quia imago Dei consubstantialis et connaturalis,

Homo in Sacris Litteris appellatur *imago Dei: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;*[95] appellatur *princeps mundi: Dominetur piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae;*[96] appellatur etiam *compendium universi: Praedicate Evangelium omni creaturae;*[97] sic etiam dicitur: *Mundus per ipsum factus est et mundus eum non cognovit.*[98] Hinc Adam graece per acrostichides continet quattuor mundi partes: 'Ανατολή oriens dicitur; Δύσις, occidens; Ἄρκτος, septentrio, et Μεσημβρία,[99] meridies. Homo enim in seipso, tanquam ἀνακεφαλαίωσις universi, totum veluti continet mundum. Sic Christus dicitur *unus homo*, quia imago Dei non solum artificialis, ut imago principis in numismate, nec solum naturalis, ut imago hominis in speculo, sed connaturalis et consubstantialis, ut imago hominis in filio sibi simillimo, imo imago non solum consubstantialis, sed etiam coaequalis et coaeterna, sicut radius, qui solis imago est, ipsi soli est aequalis et coaevus; nam si sol esset aeternus, etiam radius esset aeternus. Hinc dictus est Christus a P a u l o: *Splendor gloriae et figura substantiae eius.*[100] Quamvis autem homo sit imago Dei, similiter Angelus; non tamen sic imago. Hinc Christus ergo dicitur *unus homo*.

et dominus supremus omnis creaturae,

Et etiam quia princeps universi: *Gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius;*[101] *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra;*[102] *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae,*[103] idest princeps. Nec tantum princeps est, sed Dominus absolutus omnis

93) Ms.: *Iom echad.* 94) Ms.: *Iom rizon.* 95) Gn 1, 26. 96) Ibid. Vulg.: *Praesit piscibus*, etc. 97) Mc 16, 15. Cf. S. Gregorius M. *Hom. 29 in Evang.*, (P. L. 76, 1214). 98) Io 1, 10. 99) Ms.: *Anatoli, disis, arctos, mesimbria* et infra: *Anacephalaeosis.* Cf. S. Laurentius a Br. *Opera Omnia*, vol. 3, *Explanatio in Genesim*, pag. 192. 100) Hebr 1, 3. 101) Ps 8, 6-8. 102) Mt 28, 18. 103) Col 1, 15.

creaturae, imo conditor, quoniam: *Omnia per ipsum facta sunt;* [104] *In ipso condita sunt universa in coelo et in terra, visibilia et invisibilia... omnia per ipsum et in ipso creata sunt.* [105]

quia compendium universi.

Tertio, dicitur *unus homo*, quia compendium universi. Ita docet Paulus ad *Ephesios: Instaurare omnia in Christo, quae in coelis et quae in terra sunt in ipso;* [106] ubi graece est, ut etiam Hieronymus tradit, [107] ἀνακεφαλαιώσασθαι, [108] compendio, colligere omnia in Christo, omnia quae in mundo, omnia quae in hominibus, omnia quae in Ecclesia, omnia quae in paradiso, omnia quae in Deo. nam: *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* [109] O qualis homo Christus!

quia in eo inveniuntur quattuor status hominis: innocentiae, miseriae, gratiae et gloriae.

Et adhuc *unus homo*, quia perfectus homo. Reperiuntur in Sacris Litteris quattuor status humanae naturae: status innocentiae in paradiso, status miseriae in hoc mundo, status gratiae in Ecclesia et status gloriae in coelo. In nullo hominum simul fuerunt hi quattuor status, nisi in Christo, qui semper fuit innocens, sicut Adam ante peccatum; semper afflictus in hoc mundo, sicut Adam post peccatum; semper sanctus, sicut Adam iustificatus; semper beatus, sicut Adam glorificatus. Sic igitur dictus est *unus homo*. Quanquam non desunt qui interpretantur: Deus homo; [110] saepe enim Deus apparuit Patriarchis et Prophetis ut homo in humana figura et effigie. [111]

Adhuc dicitur *unus homo*, quia singularissimus humilitate, patientia, fortitudine et gloria.

X. *Expedit... ut unus... homo.* Hebraice *homo* dicitur aliquando אָדָם, [112] idest terrenus; aliquando אֱנוֹשׁ, [113] idest dolens, afflictus; aliquando גֶּבֶר, [114] idest fortis; et aliquando אִישׁ, [115] quasi igneus, quo nomine vir nobilis appellatur, vir genere clarus et illustris. Christus *unus homo*, singularissimus humilitate, patientia, fortitudine et gloria. Sic igitur a Spi-

104) Io 1, 3. 105) Col 1, 16. Vulg.: *In coelis et in terra*, etc. 106) 1, 10.
107) *Comment. in Epist. ad Ephes.*, lib. 1, (P. L. 26, 453-454). 108) Ms.: *Anachephaleosaste.* S. Hieronymus vero scribit: Ἀνακεφαλαίωσις. 109) Col 2, 9. 110) Nonnullos expositores consuluimus, sed neminem invenimus qui hanc interpretationem aperte exhibeat.
111) Cf. Gn 18, 1 sqq.; Ex 33, 11; Is 6, 1-6; Ier 1, 4 sqq.; Ez 10, 8 sqq.; Dn 7, 13 sqq.
112) Ms.: *Adam*, et infra: *Enosc*, *Gheber*, *Isc.* Cf. Gn 1, 26-27; 2, 7. 15; Ps 8, 5; Ez 2, 1 sqq.
113) Cf. Gn 17, 27; Nm 13, 3; 1 Rg 10, 8; Iob 10, 5; Ps 8, 5. 114) Cf. Ex 10, 11; Dt 22, 5; Idc 5, 30; Iob 4, 17; Ps 33 (hebr. 34), 29; Ier 17, 5; Hab 2, 5. 115) Cf. Gn 3, 6. 16; 11, 3; Ex 25, 20; Ps 1, 1; 40, 26; Prv 8, 4; Is 40, 26; 53, 3.

ritu Sancto hodie dictus est *unus homo* superior Angelis, Cherubim, Seraphim; homo, mirabile dictu! aequalis Deo, ut ex operibus manifesto liquet. Hinc aiunt hodie etiam pontifices et Pharisaei: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* [116] idest multa miracula operatur, cum Lazarum Dominus ad vitam revocasset. [117]

quia homo vere admirabilis,

Expedit... ut unus... homo. In Sacris Litteris homo veluti magnum miraculum proponitur. Iob aiebat: *Quid est homo, quod reputas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* [118] Regius Vates similiter: *Quis est homo, quod memor es eius?* [119] et alibi iterum: *Quid est homo, quia innotuisti ei,* quia cognovisti eum, *aut filius hominis, quia magnificas eum?* [120] Sic Christus magnum miraculum: *Qualis est hic?* [121] *Quis est hic?* [122] *Vocabitur nomen eius admirabilis,* miraculum, quia utique *consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis:* [123] לְמַרְבֵּה הַמִּשְׂרָה וּלְשָׁלוֹם אֵין־קֵץ: [124] *ad ampliandum imperium et pacem sine fine; Ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* [125]

quia unicus inter omnes cum divinitate substantialiter coniunctus,

Expedit... ut unus... homo. Dicitur Christus *unus homo,* quia omnis homo duplici substantia constat: corpore et anima; hic autem homo triplici, nam habet etiam divinitatem. Sic unus est homo, quia nonnisi Christus hoc habet; quare homo est, sed Angelis multo superior, quoniam etiam verus Deus, et propterea dicitur *unus homo,* superior omnibus aliis hominibus, imo et creaturis omnibus, sicut Adam in paradiso unus erat homo, sed princeps.

quia auctor, exemplar, finis et causa salutis omnium hominum,

Expedit... ut unus... homo. Humili titulo videtur hodie Christus a Spiritu Sancto honestatus, veluti si princeps Venetiarum homo venetus diceretur, aut filius regis Hispaniarum, homo hispanus. Et tamen honestissimus est titulus; quoniam *unus homo,* sed auctor omnium hominum, exemplar omnium hominum, finis omnium hominum, princeps et rector omnium hominum, causa salutis omnium hominum: *Et non tota gens pereat.* [126] Honestissimus est titulus, quia hominem Deus super omnes alias creaturas maxime dilexit, quia

116) Io 11, 47. 117) Cf. ibid. vrr. 1-44. 118) 7, 17. 119) Ps 8, 5.
120) Ps 143, 3. Vulg.: *Quia reputas eum.* 121) Mt 8, 27. 122) Ibid. 21, 10.
123) Is 9, 6. Ex hebraico. 124) Ms.: *Lemarbe hamisrah ulsalom en kez.* 125) Io 11, 52.
126) Ibid. vr. 50.

homo perfecta est imago Dei in natura, perfectior in gratia supernaturali, perfectissima in gloria.

Et tamen multi natura humana abutuntur in suam perniciem, sicut Saul qui suo usus fuit gladio ad occidendum seipsum, [127] cum tamen gladius datus illi esset ad defensionem sui et offensionem inimicorum. Vel nemo est qui in peccati excusationem non dicat: homo sum; veluti si quis noxia comederet et diceret: haec comedo, quia infirmus sum; aut si vir nobili genere clarus, in civitate sordidam exercere artem vellet et diceret: quia nobilis sum et liber, possum facere quod volo. Imo homo nobilis, quia nobilis est, non debet exercere artes mechanicas et sordida ministeria; et infirmus, quia infirmus, abstinere debet a noxiis cibis, qui corpus replent malis humoribus et cacochimum [128] reddunt; infirmus autem purgatione opus habet noxii humoris, non repletione. Sic, inquam, homo, quia homo est, vivere debet secundum virtutem et rationem ut homo, non secundum sensum carnis ut brutum animal; omne nanque vitium et peccatum est contra ipsam rationem, qua homo est homo; nam homo animal est rationale.

quorum ideo vera dignitas est non secundum sensum vivere, sed secundum rationem et virtutem;

Expedit... ut unus... homo. Multa dici possunt de homine ex promptuariis philosophiae, ex decem categoriis et quinque universalibus; multa ex archiviis sacrae theologiae, ex decem praerogativis hominis, quas in *Genesi* legimus: [129] ab efficiente, materiali, formali, finali, ab exemplari, a scopo, a tempore, a loco, a dotibus et facultatibus naturalibus, et a donis supernaturalibus, quae quidem omnia in Christo sunt perfectissima. Sed *unus homo,* sicut primus homo divinitus formatus; *unus homo,* vere homo, totus humanus, ipsamet humanitas: *Apparuit benignitas et humanitas.* [130]

tandem *unus homo* Christus, quia naturaliter et supernaturaliter perfectissimus sicut et benignissimus.

127) Cf. 1 Rg 31, 4. 128) Haec vox in Lexicis a nobis consultis non invenitur. Deducitur quidem a *cacochimia* quae morbum significat ex superfluitate malorum humorum. Cf. Du Cange *Glossarium,* sub voce: *Cacochimia.* 129) Cf. 1, 27-2, 15 sqq. 130) Tit 3, 4. Vulg.: *Benignitas et humanitas apparuit.*

DOMINICA IN RAMIS PALMARUM

Cum appropinquasset Iesus Ierosolymam et venisset Bethphage ad montem Oliveti, etc.[1]

Hoc solemni ingressu in Ierusalem Christus se ostendit verum Messiam, a Zacharia praenunciatum humilem et gloriosum.

Ostendit Dominus in hodierno Evangelio non verbis, sed opere, ingrediens in Ierusalem cum triumpho simul celebri et humili, se esse verum Messiam a Deo promissum et missum. Hinc Zacharias: *Exulta satis, filia Sion, iubila, filia Ierusalem; ecce Rex tuus venit tibi iustus et salvator; ipse pauper.*[2] Hoc est: Ecce venit tibi Christus, venit tibi verus Messias, auctor salutis, auctor omnis desiderabilis felicitatis. Plenum est autem Evangelium hoc humilitate et gloria Christi: humilitate, quoniam *pauper et sedens super asinum;*[3] gloria, quoniam: *Ecce Rex tuus,* et sicut rex cum ovatione populi et triumpho exceptus est in Ierusalem, acclamantibus pueris Hebraeorum et turbis humilibus sanctisque: *Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel, hosanna Filio David.*[4]

Hanc gloriam et humilitatem Christi Angeli praedicaverunt in nativitate eius, et D. Paulus celebrat;

In nativitate Christi duo haec Angelus pastoribus praedicavit: gloriam et humilitatem: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus:*[5] ecce gloria, Angelis etiam cantantibus: *Gloria in excelsis Deo;*[6] sed: *Invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio:*[7] ecce humilitas. Duo haec de Christo Paulus praedicat dicens: *Qui descendit, ipse est et qui ascendit... descendit... in inferiores partes terrae,... ascendit super omnes coelos, ut impleret omnia.*[8] Et alibi:

1) Pericope huius diei Mt 21, 1-9. Cf. Missale Rom. quod habet iuxta Vulg.: *Ierosolymis,* etc. Homiliae in hanc Dominicam S. Auctor tantum hoc fragmentum reliquit. 2) 9, 9. 3) Ibid. Affert ex Mt 21, 5. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis* S. Auctoris; in posterioribus autem iussu Clementis VIII expurgatis, emendatum fuit: *Super asinam.* 4) Mt 21, 9; Io 12, 13. 5) Lc 2, 10-11. 6) Ibid. vr. 14. Vulg.: *In altissimis.* 7) Ibid. vr. 12. 8) Eph 4, 9-10.

Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum... usque ad mortem, mortem autem crucis: [9] ecce humilitas; sed ecce etiam gloria · *Propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur.* [10]

Christus enim humilis esse voluit et gloriosus, figuratus per David et Moysen,

Voluit Christus esse in mundo sicut David, sicut Moyses, de quibus prius magnam legimus humilitatem, nam uterque fuit pastor ovium; [11] sed postea magnam gloriam, nam Moyses institutus fuit a Deo summus princeps totius Israelis, divina tum auctoritate et potestate, tum etiam gloria donatus; David etiam factus fuit rex gloriosissimus et vere serenissimus.

per Adam et populum Israel.

De Adamo etiam duo haec legimus: humilitatem, nam: *Formavit... Dominus Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae et factus est homo in animam viventem;* [12] gloriam vero: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram et dominetur piscibus,* etc. [13] De populo Israel, qui dictus est *filius Dei: Filius meus primogenitus Israel,* [14] prius magnam legimus humilitatem in Aegypto, [15] et postea magnam gloriam in terra promissionis; de Iacob magnam humilitatem in domo Laban, in qua pro uxoribus multis annis servivit, [16] et magnam gloriam in domo propria.

Eandem gloriam et humilitatem eius vaticinatus fuerat etiam Isaias;

Sic de Christo Domino haec duo vaticinati fuere Divini Vates. Isaias ait: *Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis:* [17] ecce humilitas; *Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis:* [18] ecce gloria. Et alibi: *Ascendet sicut virgultum coram eo et sicut radix de terra sitienti. Non est species ei neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum; despectum et novissimum virorum:* [19] ecce humilitas; postea vero: *Pro eo quod laboravit anima eius videbit semen longaevum,... voluntas Domini in manu eius prosperabitur. Iustificabit in scientia sua ipse servus meus multos.* [20] *Servus meus,* inquit, de quo

9) Phil 2, 6-8. 10) Ibid. vrr. 9-10. 11) Cf. Ex 3, 1; 1 Rg 16, 11-13; 2 Rg 7, 8. 12) Gn 2, 7. 13) Ibid. 1, 26. Vulg.: *Et praesit piscibus*, etc. 14) Ex 4, 22. 15) Cf. ibid. 1, 1 sqq; 5, 1 sqq. 16) Cf. Gn 29, 15-30. 17) 9, 6. 18) Ibid. 19) Ibid. 53, 2-3. 20) Ibid. vrr. 10-11. Vulg.: *In manu eius dirigetur. In scientia sua iustificabit ipse*, etc.

paulo ante dixerat: *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur et elevabitur et sublimis erit valde.*[21] Sic magna prius futura erat Messiae humilitas, postea vero magna gloria. Sic est vaticinium illud: *Orietur stella ex Iacob, et exurget virga ex Israel;*[22] *virga* utique *de radice Iesse.*[23] Utrunque agendum erat ad demonstrandam veritatem humanae et divinae naturae in Christo, quod esset verus Emmanuel,[24] *Verbum caro factum,*[25] verus Deus et verus homo. Sic legimus: *Rorate, coeli, desuper et nubes pluant iustum; aperiatur terra et germinet Salvatorem;*[26] sic: *Veritas de terra orta est et iustitia de coelo prospexit.*[27]

et talis revera fuit Christus, humilis et gloriosus,

Sic Christus mundus est constans ex coelo divinitatis et terra humanitatis. Humilitas in nativitate et in passione declarat hominem; gloria in transfiguratione et in resurrectione ac ascensione demonstrat Deum. Humilitas multarum passionum insigne est humanitatis; gloria innumerabilium miraculorum, signum certum et evidens divinitatis.

ut ostenderet se esse verum Messiam a Prophetis praedictum.

Sic igitur in hodierno Evangelio, ad ostendendam divinae fidei veritatem, ad demonstrandum Christum Dominum nostrum verum esse Messiam in Prophetis et Lege promissum, simul et humilitas et gloria Christi proponuntur ab Evangelista, iuxta vaticinium Zachariae: *Ecce Rex tuus venit tibi iustus et Salvator; ipse pauper et sedens super asinum.*

21) Ibid. 52, 13. 22) Nm 24, 17. Vulg.: *Et consurget virga*, etc. 23) Is 11, 1. 24) Cf. Ibid. 7, 14. 25) Io 1, 14. 26) Is 45, 8. 27) Ps 84, 12.

FERIA SECUNDA DOMINICAE PALMARUM [1]

Ante sex dies Paschae venit Iesus Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit. [2]

Magna cum laetitia in domo Lazari resuscitati Christus excipitur,

Magna cum laetitia Abraham domo excepit Angelum Domini, qui Deum ipsum repraesentabat, cum duobus Angelis sociis, et convivium eis paravit et ipse ministrabat, cui Angelus Domini filium promisit et multa divina mysteria revelavit. [3] Quid egisset patriarcha piissimus si, post natum Isaac, post acceptum beneficium, iterum domo Angelum illum hospitatus fuisset ? Sic hodie Christus, qui est *magni consilii Angelus,* [4] hospitio exceptus est. Fecerunt autem ei coenam ibi multo alacriori animo, quoniam, post acceptum beneficium, hoc humanitatis officium Christo praestitum fuit.

eique Martha deservit, Maria autem super caput illius unguentum effundit.

Alias Martha Christum in domum suam excepit et *satagebat circa frequens ministerium.* [5] Hodie vero cum multo maiori alacritate et diligentia Christo ministrabat, Maria vero non sedet *secus pedes Domini* ad audiendum *verbum illius,* [6] sed accipit alabastrum optimi et odoratissimi *unguenti nardi pistici, pretiosi* [7] et effundit super caput Christi. [8]

Domus haec figura fuit Ecclesiae,

Domus autem haec, in qua Christus hospitio tanquam peregrinus exceptus est, procul dubio Sanctam Ecclesiam significat, sicut et domus Abrahami, sicut tabernaculum Moysi, sicut templum Salomonis. Ecclesia nanque, ut P a u l u s ait, domus Dei est, *columna et firmamentum veritatis.* [9] In hac domo fit coena Christo per opera pietatis : *Esurivi... et dedistis mihi manducare, sitivi et de-*

1) Albis relictis foliis 136-138, folio 139ª incipit haec homilia, quae item incompleta remansit.
2) Pericope huius diei Io 12, 1-9. Cf. Missale Rom. 3) Cf. Gn 18, 1 sqq. 4) Is 9, 6. Ex Translat. Septuaginta. 5) Lc 10, 40. 6) Ibid. vr. 39. 7) Io 12, 3. 8) Cf. Mt 26, 7. 9) 1 Tim 3, 15.

In qua una cum fide et devotione, pietatis opera inveniuntur.

distis mihi bibere. [10] Sic in templo Domini semper coram divino propitiatorio iuxta altare incensi et aureum candelabrum parata erat mensa panum propositionis, [11] quia in Ecclesia semper, una cum devotione orationis et lumine sanctae doctrinae divinaeque cognitionis, invenienda sunt opera pietatis usque in finem saeculorum in die iudicii. Hic Martha ministrat, Maria frangit alabastrum et supra Christum effundit pretiosum unguentum, Lazarus cum Christo recumbit, [12] nemo manet otiosus. Sic in Bethel patriarcha Iacob vidit Angelos in motu ascendentes et descendentes, ministrantes Domino, [13] non manebant in otio. Sic levitae in templo Domini ministrabant; nam etiam ab initio Deus *posuit* hominem *in paradiso voluptatis ut operaretur et custodiret illum;* [14] sic paterfamilias ad vineam suam excolendam operarios conduxit. [15] Hoc est quod Paulus ad *Ephesios* ait: *Ipsius enim sumus factura, creati in* [16] *Christo Iesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus,* [17] idest propter opera bona creati sumus: *Avis nascitur ad volandum, et homo ad laborem.* [18]

In Ecclesia multa et varia sunt Dei dona et ideo varia ministeria.

Non tamen omnes in domo hac unum idemque ministerium agunt, sed diversa. In templo Domini levitae in tres classes divisi diversa ministeria exercebant. [19] Paulus Ecclesiam humano corpori comparavit, in quo multa variaque sunt membra, quae licet omnia eodem spiritu et anima vivant, non tamen omnia *eundem actum habent:* [20] aliud oculus, aliud auris, aliud os et lingua, aliud stomachus, aliud manus, aliud pes. [21] Ita in Ecclesia varia sunt fidelium ministeria, quoniam varia sunt Dei dona: *Uni dedit quinque talenta, alii ... duo, alii ... unum;* [22] uni dedit decem minas, alii quinque, alii unam. [23]

sicut in exercitu varia officia et gradus,

Hinc Ecclesia dicitur: *Sicut castrorum acies ordinata.* [24] In exercitu nanque varia sunt militum officia et munera, [25] varii gradus: sunt tribuni, chiliarchae, centuriones, quinquagenarii, decuriones, sunt pedites, sunt equites; omnes tamen faciunt corpus unum exer-

10) Mt 25, 35. 11) Cf. Ex 25, 30; 35, 13; 39, 35; 40, 20-21; Nm 4, 7; 2 Par 2, 4; Hebr 9, 2. 12) Cf. Io 12, 2-3. 13) Cf. Gn 28, 12-13. 14) Ibid. 2, 15. 15) Cf. Mt 20, 1-7. 16) Ms.: *In* bis ponitur. 17) 2, 10. 18) Iob 5, 7. 19) Cf. Nm 4, 1 sqq. 20) Rom 12, 4-5. 21) Cf. 1 Cor 12, 12 sqq. 22) Mt 25, 15. 23) Cf. Lc 19, 12-24. 24) Ct 6, 3. 9. Vulg.: *Ut castrorum.* 25) Ms.: *Varia officia* repetitur.

citus. Etiam in coelo sunt diversi ordines Angelorum, unde Deus dictus est *Dominus exercituum*. Ita igitur in Ecclesia varii sunt status, gradus, munera, ministeria, officia, varia virtutum opera. Nam in paradiso terrestri Deus non unam tantum plantavit arborem *vitae* aut alteram *scientiae*, sed multas et varias, [26] ut variis fructibus vesceretur homo, ne unus tantum cibus perpetuo sumptus in fastidium verteretur, sicut manna Hebraeis. [27]

et in coelo diversi Angelorum ordines.

26) Cf. Gn 2, 8-9. 27) Cf. Nm 11, 4-6; 21, 5. Desinit ante medium f. 135ᵇ, et albis relictis f. 140-145, transitur ad Feriam Sextam in Parasceve, f. 146ᵃ.

FERIA SEXTA IN PARASCEVE

Egressus est Iesus trans torrentem Cedron, ubi erat hortus in quem introivit, etc. [1]

Maxima afflictio David fugientis persecutionem Absalom, figura fuit passionis Christi.

I. Egreditur Christus a Ierusalem in montem Oliveti trans torrentem Cedron hodie, sicut David in gravi et acerba nimis persecutione, quam sustinuit a proprio filio Absalom, egressus fuit a Ierusalem cum suis abiitque trans torrentem hunc Cedron nudis pedibus et operto capite, flens amaro animo, fugiens ne occideretur a filio et rebellibus Israelitis. [2] Flebilis plane tragoedia haec Davidis fuit; hinc flebant et plangebant omnes qui cum eo erant. Sed multo flebilior ac lacrimabilior tragoedia hodierna, Christi Domini nostri passio cuius persecutio illa figura et imago fuit.

Multis figuris passio Christi praesignificata fuit in S. Scriptura;

Mysterium enim hoc passionis dominicae mille Veteris Legis implebant ac praesignificabant figurae; hanc somnus Adami sub arbore, [3] hanc mors iusti Abelis, [4] hanc somnus et nuditas cum irrisione Noe, [5] hanc arcus in nubibus aquam et ignem referens, [6] quoniam hic splendet divina tum misericordia tum iustitia; hanc sacrificium Isaac, [7] transitus Iordanis Iacob cum baculo, [8] iniusta persecutio et afflictio innocentis Ioseph, [9] hanc percussio petrae in deserto, [10] hanc serpentis aenei exaltatio, [11] hanc sacrificium Aaronis et omnia Veteris Legis sacrificia, [12] victima pro peccato, [13] hostia pacifica, [14] holocaustum; [15] hanc templi destructio, [16] hanc Ionae in mare de-

1) Pericope huius diei Io 18, 1 sqq. Cf. Missale Rom. 2) Cf. 2 Rg 15, 22-30. 3) Cf. Gn 2, 21. 4) Cf. ibid. 4, 8. 5) Cf. ibid. 9, 20-22. 6) Cf. ibid. vrr. 12-17. 7) Cf. ibid. 22, 2-12. 8) Cf. ibid. 32, 10. 9) Cf. ibid. 37, 4 sqq. 10) Cf. Ex 17, 5; Nm 20, 8-11. 11) Cf. Nm 21, 8-9. 12) Cf. Ex 30, 7-10; Hebr 9, 1 sqq. 13) Cf Lv 4, 1 sqq. 14) Cf. ibid. 3, 1 sqq. 15) Cf. ibid. 1, 1 sqq. 16) Cf. 4 Rg 25, 9-17; Io 2, 19.

mersio ac devoratio,[17] hanc tandem omnis Prophetarum Dei occisio, persecutio, hanc omne veterum Sanctorum martyrium.

Sed Ioannes hodie, describens passionis dominicae historiam, duas veluti proponit imagines huius mysterii: altera quidem est transitus Cedron,[18] altera vero sacrificium agni paschalis;[19] sicut duplici imagine spicarum et iuvencarum ostendit Dominus regi Aegypti futuram abundantiam et postea futuram famem.[20] In duabus hisce figuris ostenditur patientis Christi persona: in Davide quidem rege, Christi dignitas; in agno autem paschali, innocentia et divina sanctitas.

praecipue vero per David et per sacrificium agni paschalis.

O dictu mirabile! patitur hodie scelestissimi latronis supplicium crudelissimum mortemque turpissimam agnus innocentissimus et rex serenissimus. *Quis audivit unquam tale, et quis vidit huic simile?*[21] Nihil vel ipsis Angelis mirabilius est Christi passione et morte; unde cherubim cum admiratione intuebantur divinum propitiatorium sanguine respersum in die expiationis.[22] Sed ipsa quotidiana consuetudo effecit ut nihil nobis mirabilis videatur, sicut nec magnitudo coeli, nec ornatus firmamenti, nec maxima lux solis, cuius videndi causa natum se dixit Anaxagoras insignis philosophus,[23] in admirationem nos trahunt pro dignitate; et trahet in admirationem crinita stella, vel solis deliquium in meridie, quoniam insolita sunt?

Mysterium mirabile passio Christi, quod tamen sensum humanum in sui admirationem excitare iam non valet.

Si filius potentissimi regis aut imperatoris unicus a patre capitis sententia damnaretur et ministris iustitiae traderetur, ut tanquam infimus de plebe infami patibulo suspensus perimeretur, mirarentur omnes, quoniam nunquam tale quid accidit. Hodie autem audientes quod unigenitus Filius Dei talem sustinuit mortem, non miramur plane, quia maiestatem Filii Dei non intelligimus. Minimus Angelus paradisi maior est quovis principe, rege, imperatore, quia maior homine, maior Adamo, quo nunquam fuit vel futurus est maior aut gloriosior imperator; unicus enim fuit mundi totius monarcha et ipsis etiam elementis imperabat. Hodie autem non Angelus aut Archangelus, non Cherub aut Seraph, non princeps supremae etiam hierarchiae Angelorum, sed Dominus, Rex et creator[24] omnium An-

Qui patitur unigenitus Filius Dei est, rex et creator Angelorum, cuius magnitudo in ipsa cruce eluxit;

17) Cf. Ion 1, 15-2, 1 sqq. 18) Ms.: *Iordanis.* 19) Cf. Ex 12, 1-27. 20) Cf. Gn 41, 1-7. 21) Is 66, 8. 22) Cf. Ex 22, 18-20; 37, 7-9. 23) Cf. Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 2, pag. 63. 24) Ms.: *Creatorum.*

gelorum, cui omnes Angeli serviunt, quem prostrati adorant,[25] [perimitur]. Crux ipsa ostendit quisnam sit iste qui patitur, sicut ipse ait: *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.*[26]

cuius divinitatem ipsa acerba ultio de persecutoribus sumpta ostendit.

Accidit hodie Christo sicut filio regis, qui venatione plurimum delectatur. Pergit ad venandum multis comitatus. Contingit autem ut solus cum suis canibus pedes ingrediatur silvas venationis regiae, quae aliis interdictae sunt. Custodes autem silvarum invenientes eum, solum videntes nec agnoscentes, nec regium comitatum videntes, qui retro relictus est, capiant eum multisque contumeliis iniuriisque afficiant tanquam reum criminis, qui venandi gratia ausus sit ingredi regias silvas, ubi nonnisi regi venari licet; eoque magis ira perciti in eum insurgant et male afficiant, quo se etiam filium regis dicat. Sed tandem, superveniente regio comitatu, tunc vere princeps agnoscitur. Sic Christus miraculis in cruce editis agnitus est verus Filius Dei, unde centurio exclamavit: *Vere Filius Dei erat iste.*[27] Magis autem magisque princeps agnoscitur, si a regio comitatu custodes silvarum pro iniuriis principi illatis, ita ut semivivum reliquerint, male afficiantur pulsique a silvis acerbis poenis multisque suppliciis mulctentur.

Quinque praecipue sunt passionis Christi mysteria,

II. Flebilis autem haec Christi tragoedia quinque actus habet. Nam multa passus est Christus in horto, multa in domo Caiphae, multa in domo Herodis, multa in domo Pilati et tandem multa in Calvario.

Sunt etiam quinque mysteria singularia dominicae passionis: afflictio et comprehensio in horto, flagellatio ad columnam, spineae coronae mysterium, baiulatio crucis post latam mortis sententiam, et tandem crucifixio in Calvario.

quinque etiam de ipso Christo patiente devote meditanda.

Quinque etiam sunt quae vel maxime a Sanctis Doctoribus piisque viris contemplari solent: primo quidem, persona quae patitur; secundo, a quibus patitur; tertio, qualia et quanta patitur; quarto, quomodo patitur, et quinto, quam ob causam patitur. Sicut etiam in mundi creatione M o y s e s quinque haec docuit ostendens quisnam sit creator: quod Deus solus; quid creavit: quod coelum et

25) Cf. Hebr 1, 4 sqq. 26) Io 8, 28. 27) Mt 27, 54.

terram, mundum ipsum; qualia et quanta creavit: in coelo astra, in aere pluvias et aves, in mari pisces, in terra lapides, metalla, plantas, animalia; quomodo creavit: solo verbo et imperio: [28] *Dixit et facta sunt... mandavit et creata sunt;* [29] tandem, ad quid haec omnia creata sunt: quia propter hominem, quem novissime omnium *ad imaginem et similitudinem suam* [30] formavit mundique principem consituit.

Hodie vero recreatus est noster mundus; quare quinque haec pio mentis affectu et magna animi devotione meditanda sunt, sicut Paulus ait: *Recogitate... eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut non deficiatis animis vestris.* [31]

28) Cf. Gn 1, 25. 29)) Ps 32, 9. 30) Gn 1, 27. 31) Hebr 12, 3. Vulg.: *Ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.*

FERIA SEXTA IN PARASCEVE

Egressus est Iesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, etc. [1]

In caeremoniis circa agnum paschalem observandis exhibetur perfecta imago dominicae passionis;

I. Narrat I o a n n e s et ob oculos ponit lugubrem flebilemque tragoediam passionis et mortis unigeniti Filii Dei, Christi Domini nostri. Incipit autem narrare ac recensere divinae passionis mysteria ab egressu de coenaculo, in quo Dominus cum discipulis suis paschalem agnum comederat. [2] In paschali autem agno praelucebat imago quaedam dominicae passionis, quod ipsemet I o a n n e s hodie declaravit dum ait non fuisse confracta Christo crura, sicut latronibus, ut Scriptura impleretur: *Os non comminuetis ex eo,* [3] quod quidem de agno paschali scriptum est. [4] Sed *omnia in figura contingebant illis.* [5] Quare, sicut ante constructionem divini tabernaculi dedit Moysi Deus exemplar illius archetypamque imaginem et totius structurae ac etiam ornatus descriptionem, [6] et postea iuxta exemplar illud constructum fuit divinum illud sanctuarium; [7] ita ante dominicam passionem proposita est in agno paschali perfecta illius imago et exemplar.

agnus paschalis enim vera figura Christi erat, qui saepe in S. Scriptura *agnus* appellatur.

In quo quidem archetypo ostenditur quisnam est iste qui patitur, a quibus patitur, quae et qualia quantaque patitur et quam ob causam patitur. [7a] Agnus immaculatus, masculus, anniculus immolabatur. [8] Christus saepe in Divinis Scripturis appellatus est *agnus.* Apud I s a i a m: *Oblatus est quia ipse voluit et non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum.* [9] Sic apud I e r e m i a m: *Ego quasi agnus,*

1) Pericope huius diei Io 18, 1-19. Cf. Missale Rom. 2) Cf. ibid. 13, 1 sqq. 3) 19, 36. 4) Cf. Ex 12, 46; Nm 9, 12. 5) 1 Cor 10, 11. 6) Cf. Ex 26, 1 sqq. 7) Cf. ibid. 36, 8-38, 1 sqq. 7a) Cf. Hom. praec., n. II, pag. 506. 8) Cf. Ex 12, 5. 9) 53, 7.

qui portatur ad victimam mansuetus, et non cognovi quia cogitaverunt super me consilia dicentes: Venite *mittamus lignum in panem eius et eradamus eum de terra viventium et nomen eius non memoretur amplius.* [10] Sic iterum I s a i a s : *Emitte agnum, Domine, dominatorem terrae.* [11] Sic Ioannes Baptista Christum indicans : *Ecce,* inquit, *agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* [12] Sic Philippus praedicavit eunucho Christum *agnum* esse ab I s a i a praedictum. [13] Sic P a u l u s de agno paschali ait : *Pascha nostrum immolatus est Christus.* [14] Sic P e t r u s : *Redempti estis... pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati, praecogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem novissimis temporibus.* [15] I o a n n e s in *Apocalypsi* multa dicit de Christo *agno:* quod sedet in throno Dei ; [16] quod habet oculos septem et cornua septem ; [17] quod est *leo de tribu Iuda, radix David;* [18] quod solus potuit aperire librum secretorum Dei ; [19] quod laudatur et adoratur in coelo ab omnibus Sanctis, ab omnibus Angelis, ab omnibus creaturis ; [20] quod omnes Sancti in coelo *laverunt stolas suas in sanguine agni ;* [21] quod templum Dei est in paradiso ; [22] quod lucerna et sol est paradisi, ita ut coelum empyreum alium non habeat solem ; quod sequuntur eum omnes exercitus coeli ; [23] quod pugnaturus erat contra decem reges et superaturus victurusque erat, [24] quoniam *Rex regum* est *et Dominus dominantium;* [25] quod Ecclesia triumphans in coelo uxor est *agni* [26] et omnes electi vocati sunt ad coenam nuptiarum ; [27] tandem, quod vidit eum in throno Dei stantem tanquam occisum, [28] propter cicatrices et vulnera passionis, unde omnes Angeli adorantes et laudantes eum dicunt : *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et honorem et gloriam et benedictionem;* [29] et viginti quattuor seniores : *Dignus es, Domine, aperire librum et solvere signacula eius, quoniam occisus es et redemisti nos Deo in sanguine tuo.* [30] O mirabilem agnum ! *Ecce agnus Dei,* agnus divinus, unigenitus Filius Dei.

10) 11, 19. Vulg.: *Agnus mansuetus qui portatur,* etc. 11) 16, 1. 12) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum mundi.* Cf. supra, Feria Quarta Dom. Passionis, not. 110, pag. 459.
13) Cf. Act 8, 27-35. 14) 1 Cor 5, 7. 15) 1 Petr 1, 18-20. 16) Cf. 5, 6; 7, 17.
17) Cf. ibid. 5, 6. 18) Ibid. vr. 5. 19) Cf. ibid. vr. 8. 20) Cf. ibid. vrr. 8 sqq.
21) Ibid. 7, 17. 22) Cf. ibid. 21, 22. 23) Cf. ibid. vrr. 23-24. 24) Cf. ibid. 17, 12.
25) Ibid. 19, 16. 26) Cf. ibid. 21, 9. 27) Cf. ibid. 19, 9. 28) Cf. ibid. 5, 6.
29) Ibid. vr. 12. 30) Ibid. vr. 9. Vulg.: *Accipere librum et aperire signacula eius,* etc.

Agnus autem dicitur propter innocentiam et puritatem,

II. *Agnus* dicitur Christus propter innocentiam et puritatem divinam, siquidem ἁγνός graece castum purumque significat. Non patitur hodie Christus tanquam malefactor supplicium mortis, sicut latrones qui crucifixi sunt cum eo; [31] sed patitur sicut Abel innocens, [32] sicut Iob sanctus, [33] sanctus sicut Daniel propter pietatem erga Deum missus in lacum leonum, [34] sicut tres iuvenes hebraei propter divinam legem missi fuerunt in fornacem, cum quibus visus fuit Filius Dei, [35] quoniam sic passurus erat. Erat Christus *agnus* innocens, immaculatus, sicut Isaac ductus ad sacrificium, [36] sicut filia Iephte virgo purissima a patre religionis et pietatis ergo sacrificata Deo. [37] *Agnus* dicitur vere αμόμος, [38] immaculatus, sine reprehensione: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius;* [39] cuius innocentia etiam a Pilato hodie est agnita: *Sciebat... quod propter invidiam tradidissent eum;* [40] unde: *Accepta aqua lavit manus* suas *coram populo dicens: Innocens ego sum a sanguine iusti huius;* [41] et scribens causam mortis ipsius, nihil aliud dixit nisi: *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum.* [42] Propterea veste alba hodie indutus est Dominus, [42a] non sine mysterio nec sine divina dispensatione, ad ostendendam ipsius innocentiam – nam aliqui tunc temporis, qui ad mortem ducebantur, nigris vestibus induebantur et atrati ibant, [43] – ad designandam Christi innocentiam. Designatus est in passione per petram in deserto percussam, [44] per serpentem aeneum exaltatum, [45] per templum Domini dirutum, [46] per manna in mortario pinsum. [47] Sicut enim impossibile est in his repertum fuisse peccatum, ita et in Christo, qui *sol iustitiae* est. [48] Propterea ergo *agnus* dicitur et per paschalem agnum praefiguratur.

quae ab ipso Pilato agnita fuit,

multis figuris etiam designata.

Agnus dicitur propter humilitatem et mansuetudinem,

Item etiam propter humilitatem, mansuetudinem et patientiam: Ego *quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam; Quasi agnus coram tondente se obmutescet,* sic *non aperuit os suum.* Sic hodie Christus flagellatus est, spinis coronatus est, ad mortem iniustissime damnatus

31) Cf. Mt 27, 38; Mc 15, 27; Lc 23, 33; Io 19, 18. 32) Cf. Gn 4, 2-8. 33) Cf. Iob 1, 1-2, 1-10. 34) Cf. Dn 6, 7-16. 35) Cf. ibid. 3, 19-50. De hac sententia cf. Tertullianus *Contra Marcionem*, lib. 4, cp. 21, (P. L. 2, 440); *Adversus Praxeam*, cp. 16, ibid. col. 199; S. Hieronymus *Comment. in Danielem*, ibid. 25, 511. 36) Cf. Gn 22, 2-10. 37) Cf. Idc 11, 34-40. 38) Ms.: *Amomos.* 39) 1 Petr 2, 22. 40) Mt 27, 18; Mc 15, 18. Vulg.: *Per invidiam*, etc. 41) Mt 27, 24. 42) Io 19, 19. 42a) Cf. Lc 23, 11. 43) Cf. Guhl e Koner *Vita dei Greci e dei Romani*, pag. 569. 44) Cf. Ex 17, 6; Nm 20, 8-11; 1 Cor 10, 1. 45) Cf. Nm 21, 8-9; Io 3, 14. 46) Cf. 4 Rg 25, 9-17; Io 2, 19. 47) Cf. Nm 11, 8. 48) Mal 4, 2.

est, crucem portare iussus est, crucifixus est, in cruce felle et aceto potatus est;[49] nunquam tamen conquestus est. Sic *agnus* est *masculus*, virili animo praeditus; forti animo, vere magno et virili tulit omnia Christus, licet in horto visus sit *pavere et taedere*, [50] *contristari et moestus esse*, [51] ad ostendendam infirmitatem carnis. Nam propterea dicitur *agnus anniculus*, quando non habet valida ad pugnandum cornua et validas vires sicut aries. Ita Christus se ostendit ac si non potuisset se defendere ab inimicis et contra eos pugnare, sicut Daniel in spiritu vidit arietem excelsis cornibus pugnantem, cui *non poterant resistere omnes bestiae agri*, [52] per quem Cyrus Persarum et Medorum imperator [praefigurabatur], contra quem Alexander Magnus pugnavit et vicit; [53] unde idem Daniel ait quod postea magnus hircus vicit arietem illum. [54] Christus autem simul aries et hircus est, nam utrunque hoc animal in figura passionis Christi sacrificabatur. [55] Sed agnum anniculum se ostendit impotentem ad pugnam, cum tamen *leo* esset *de tribu Iuda, radix David*, cuius cor erat sicut leonis, et contra leones pugnavit et vicit. [56]

masculus, propter fortitudinem in ferendis suppliciis, *anniculus* propter apparentem impotentiam.

Erat Christus potentissimus leo, quia verus Deus, hinc uno tantum verbo prostravit omnes Iudaeos, qui in hortum venerant ad comprehendendum eum. Obviam enim illis factus et dicens: *Quem quaeritis?* illique respondissent: *Iesum Nazarenum*, cum dixisset: *Ego sum, abierunt retrorsum et ceciderunt in terram.* [57] O divinam Christi potentiam! Imo quis non videt quam potentem se in cruce ostendit, qui uno oculorum nutu mundum universum commovit? Ait enim quod *obscuratus est sol*,[58] *et tenebrae factae sunt super universam terram*, [59] *et terra mota est, et petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*, et *velum templi scissum est... a summo usque* ad *deorsum.* [60] Ideo agno huic tribuit Ioannes septem cornua et septem oculos, quia divinam habet Christus tum omnipotentiam tum omniscientiam; quare non per vim, non per impotentiam, sed sciens et volens passus est: *Oblatus est quia ipse voluit.* [61] Quomodo ergo infirmata, quomodo victa Christi potentia?

Sed etiam leo erat fortissimus qui uno verbo satellites in horto prostravit et uno oculorum nutu in cruce moriens mundum concussit.

49) Cf. Mt 27, 11-50; Mc 14, 1-37; Lc 23, 1-46; Io 19, 1-30. 50) Mc 14, 33-34. 51) Mt 26, 37. 52) 8, 4, Vulg.: *Omnes bestiae non poterant resistere.* 53) Cf. ibid. vr. 20. 54) Cf. ibid. vrr. 5-7. 55) Cf. Ex 12, 5; Lv 9, 5. 56) Cf. 1 Rg 17, 34-36. 57) Io 18, 4-6. 58) Lc 23, 45. 59) Mt 27, 45. 60) Ibid. vrr. 51-52. 61) Is 53, 7.

Orans factus est in agonia, quia natura humana Christi a morte tam crudeli refugiebat;

III. L u c a s ait quod Dominus orans in horto *factus* est *in agonia . . . et factus est sudor eius veluti guttae sanguinis decurrentis in terram.* [62] Agonia autem ab a g o n e dicitur, quod est certamen: unde a g o n i s t a, certator, et a n t a g o n i s t a, repugnator; unde a g o n i z o et a g o n i z o r, certo; a g o n i s m a, praemium certaminis; a g o n o t h e t a, instructor, magister certaminis. In Christo certabat natura sibi relicta cum obventura morte; inde *coepit pavere et taedere, contristari et moestus esse.* Natura nanque mortem et passionem tam acerbam refugiebat, sicut in homine accidit qui amaram valde sumpturus est potionem. Sic enim appellat passionem suam. *Pater . . . si possibile est, transeat a me calix iste;* [63] *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* [64]

sed caritas eius naturam adeo constrinxit et superavit,

Horrebat ad tam amarum poculum, sed virtus, sed caritas repugnantem naturam vicit, caritas divinam etiam potentiam superavit: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio; lampades eius lampades ignis atque flammarum. Aquae multae non poterunt extinguere caritatem neque flumina obruent eam.* [65] Haec Christum de coelo traxit in terram, de sinu Patris in mundum. Ipse ait: *Sic . . . Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* [66] At vero, ipsi cum Patre, sicut natura communis est, ita et virtus, ita et caritas. Propter hanc *exinanivit semetipsum . . . factus obediens usque ad* [67] crucem.

ut in agone hoc mirabili sanguis e corpore exiret, quod testimonium fuit vehementissimae eius caritatis.

Quoniam vero in agone illo et mirabili certamine virtus animi, divina caritas, quae in corde Christi vigebat, vicit et superavit naturam, hinc sanguinis effusio instar sudoris; natura reduxerat sanguinem ad cor, caritas vero naturam superans, magno impetu sanguinem expulit. Hoc est quod iubetur paschalis agnus igne cremari, non immolari crudus aut coctus aqua, sed assatus igni. [68] Sacrificium, quod sine caritate aliqua Deo offertur, crudum est; quod autem cum caritate, sed non admodum perfecta, coctum aqua est, quae facile tepescit, quoniam non habet naturalem calorem, sed accidentarium, adventitium; caritas perfecta, vere divina ignis est suapte natura

62) 22, 43-44. Vulg.: *Sicut guttae*, etc. 63) Mt 26, 39. 64) Ibid. 20, 22.
65) Ct 8, 6. Vulg.: *Non potuerunt extinguere... nec flumina obruent illam.* Cf. supra, Feria Sexta Dom. Quartae Quadr., not. 29, pag. 399. 66) Io 3, 16. 67) Phil 2, 7-8. Vulg.: *Semetipsum exinanivit*, etc. 68) Cf. Ex 12, 8-9.

calidus, qui calorem amittere non potest. Haec fuit caritas Christi, vere perfecta, vere divina, ignis inextinguibilis. Ad hunc ignem assatus est hic *agnus* : *Per Spiritum Sanctum*, inquit Paulus, *semetipsum obtulit immaculatum Deo.* [69] Hoc ipsum etiam designatur per sacrificium vitulae rufae, [70] rufus enim color, igni similis, caritatem designat, unde Christus dictus est *candidus et rubicundus;* [71] hoc est quod Angelus Domini, qui et Deus dicitur, Moysi apparuit in rubo inter spinas, sed in rubo ardenti. [72] Spinae Christi passionem designabant – nam hodie vere etiam spinis coronatus est, [73] – ignis autem divinam caritatem.

Apertum latus Christi cor eius divinum ostendens, vere patefecit infinitam Dei erga nos caritatem.

Hodie ostendit vere Dominus quantopere nos diligat, quanti faciat salutem nostram. Tria solent homines magni facere : vitam, sanitatem incolumitatemque corporis, et honorem. Haec omnia Christus hodie propter nos pessumdedit, nihili fecit. Hinc apertum fuit latus Christi, [74] ut ex apertura hac videri posset divinum ipsius cor, quia nulla ex alia Dei operatione tam luculenter agnitus est Dei animus erga nos, caritas, amor, sicut ex hac ; ut pietas Abrahami in Deum in dilectissimi filii Isaac immolatione quam maxime cognita perspectaque fuit : *Nunc cognovi*, idest nunc notum est, clarum, evidens, manifestum, *quod timeas Dominum, quoniam non pepercisti unigenito filio tuo propter me.* [75] Sic dicere possumus : nunc liquido patet, nunc certissimum est quod Deus diligat nos, eo quod non pepercit unigenito Filio suo, maxime dilecto, propter nos: *Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; Propter nimiam caritatem suam Deus... qui dives est in misericordia,* [76] *qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit ?* [77]

In agno paschali designabantur etiam multae passionis Christi circumstantiae :

IV. *Erit... agnus sine macula, masculus, anniculus, immolabitque eum omnis multitudo filiorum Israel ad vesperam.* [78]

In sacra hac imagine Christi patientis designatur non solum persona Salvatoris in agno paschali, verum etiam multae circumstantiae

69) Hebr 9, 14. 70) Cf. Nm 19, 2. 71) Ct 5, 10. 72) Cf. Ex 3, 2 ; Act 7, 30. 73) Cf. Mt 27, 29 ; Mc 15, 17 ; Io 19, 2. 74) Cf. Io 19, 34. 75) Gn 22, 12. Vulg.: *Quod times Deum, et non pepercisti,* etc. 76) Eph 2, 4. 77) Rom 8, 32. 78) Ex 12, 5-6.

a) circumstantia temporis, idest mensis, diei et horae,

passionis praefiguratae sunt: circumstantia temporis, loci, modi et personarum a quibus immolabatur. Nam, quoad tempus assignatur mensis, dies et hora: mensis primus anni, mensis Martius, qui apud Hebraeos primus est in mensibus anni quoad sacra, quoniam eo mense divinitus per Moysen liberati fuerunt de captivitate et egressi de Aegypto in terram promissionis iter arripuere. [79] Verno igitur tempore, primo mense veris, sole arietem obtinente, in ipso aequinoctio vernali immolabatur agnus. Sed die quartadecima mensis, in ipso plenilunio, hora vespertina, occidente sole et exoriente luna, incipiente iam quintadecima die, pro more Hebraeorum, qui diem incipiunt ab occasu atque ad occasum solis terminant, [80] ea hora immolabatur agnus paschalis. [81] Sic etiam Christus Dominus eodem tempore eademque hora in cruce mortuus est, licet non eodem die, quoniam die quintodecimo vita functus est, [82] ita ut quartadecima luna repraesentata sit in paschali agno veluti tragoedia passionis Christi, in quintadecima vero exhibita et opere completa, non sine magno mysterio, ut postea aperiemus. [82a]

b) loci,

De loco vero ita lex praecipit in *Deuteronomio: Non poteris immolare Phase in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi, sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus ut habitet nomen eius ibi.* [83] In Ierusalem, ubi erat templum Domini, immolabatur, quoniam ibi verus agnus Christus crucifigendus erat.

c) modi seu ritus illum immolandi,

Multa etiam praecipiuntur in lege de ritu immolandi et de ritu comedendi paschalem agnum: ut immolaretur non coctus aqua, sed assatus igne; non in frusta dissectus, sed integer, non praecisis pedibus aut capite, omnibus etiam intestinis servatis; ut comederetur in domo a circumcisis tantum, cum panibus azymis, cum lactucis agrestibus, calceatis pedibus, praecinctis renibus, cum baculis in manibus et ut festinanter comederetur, in morem hominum qui magna fame laborant. [84]

d) personarum,

Tandem de immolantibus dicitur: *Immolabit eum omnis multitudo filiorum Israel,* [85] in mysterium quod ab omnibus Iudaeis crucifi-

79) Cf. Ibid. 2, 27. Cf. S. Laurentius a Br. *Opera Omnia*, vol. 3, *Explanatio in Genesim*, pag. 508, et not. 23-27. 80) Cf. Lv 23, 32. Cf. S. Laurentius a Br. *Opera Omnia* vol. 3, *Explanatio in Genesim*, pag. 143, not. 249. 81) Cf. Ex 12, 18. 82) Cf. Mt 26, 18-50; Mc 14, 12-37; Lc 22, 7-46; Io 13, 1-31. 82a) Cf. Infra, n. X, pag. 521-522. 83) 16, 5. 84) Cf. Ex 12, 8-49. 85) Ibid. vr. 6. Vulg.: *Universa multitudo*, etc.

gendus erat Dominus; nam coram Pilato omnis populus clamavit: *Tolle, tolle, crucifige eum! Crucifige, crucifige eum!* [86] *Sanguis eius super nos et super filios nostros!* [87] *Crucifigatur!* [88] Sic a multitudine filiorum Israel agnus hic immolatur.

a quibus immolandus erat;

Passus est Christus Dominus noster a Patre, sicut Isaac; [89] passus a satana, sicut Iob: [90] *Haec est hora vestra et potestas tenebrarum;* [91] passus a Gentibus, sicut populus Dei ab Aegyptiis, [92] sicut Daniel a satrapis, [93] sicut Samson a Philisthaeis. [94] Sed maxime passus est a Iudaeis, a principibus quidem, sicut serpens a Moyse exaltatus fuit, [95] sicut petra a Moyse et Aaron percussa, [96] sicut vitulus in die expiationis ab Aaron et sacerdotibus immolabatur; [97] passus ab universo populo, sicut manna ab omnibus pinsebatur, [98] sicut Samson a populo traditus fuit Philisthaeis, [99] sicut Ioseph ab omnibus fratribus odio habebatur, [100] tandem sicut ipse paschalis agnus ab omni populo sacrificabatur: *Immolabit eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam,* occidente sole, in tenebris, quia: *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent;* [101] *Per ignorantiam fecistis* vos *et principes vestri;* [102] *Ignorantes hunc et voces Prophetarum;* [103] *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* [104]

Christus enim passus fuit a Patre, a satana, a Gentibus, sed maxime a Iudaeis et ab omni populo;

Sed quid panes azymi, quid calceamenta, quid lactucae agrestes, herbae amarae, quid baculi in manibus designant? Panis azymus a Moyse in *Deuteronomio panis afflictionis* dictus est: *Septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem,* [105] quoniam insipidus gustui est, insuavis admodum, durus ad digerendum. Per fermentum aliquando doctrina designatur; unde praecepit Dominus Apostolis ut caverent a fermento Pharisaeorum, idest a doctrina, ut ipse Evangelista testatur. [106] Sic legem evangelicam Dominus fermentum appellavit, *quod acceptum mulier abscondit in farinae satis tribus, donec fermentatum est totum.* [107] Fides est legem, Prophetas, et Psalmos fermentans. Panis igitur sine fermento legem sine fide designat, duram Iudaeorum incredulitatem; nam propter hanc Iudaei Christum in crucem egerunt.

e) panes azymi, qui comedendi erant cum agno, incredulitatem Iudaeorum significabant;

86) Io 19, 15. 87) Mt 27, 25. 88) Ibid. vr. 23. 89) Cf. Gn 22, 1 sqq. 90) Cf. Iob 1, 1-2, 1-7. 91) Lc 22, 53. 92) Cf. Ex 1, 10 sqq. 93) Cf. Dn 6, 6-16. 94) Cf. Idc 15, 9 sqq. 95) Cf. Nm 21, 9. 96) Cf. Ex 17, 5-6; Nm 20, 8-10. 97) Cf. Lv 16, 1 sqq. 98) Cf. Nm 11, 8. 99) Cf. Idc 16, 18-21. 100) Cf. Gn 37, 4-11. 101) 1 Cor 2, 8. 102) Act 3, 17. 103) Ibid. 13, 27. Vulg.: *Hunc ignorantes,* etc. 104) Lc 23, 34. 105) 16, 3. 106) Cf. Mt 16, 6. 12. 107) Ibid. 13, 33.

f) calceamenta vero, carnales affectus;

Calceamenta vero aliud designant. Cum Dominus Moysi in rubo apparuisset et ad eum Moyses accedere vellet, prohibitus fuit, nisi prius calceamenta deponeret: *Ne appropries, inquit, huc; solve calceamenta de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est.* [108] In signum reverentiae voluit ut calceamenta deponeret, et quoniam impuris affectibus carnalium cogitationum ad Deum non licet accedere. [109] Quare designant calceamenta haec carnales Iudaeorum affectus, quorum causa Christum, tanquam pauperem hominem et humili loco natum, a quo, cum essent supra modum cupidi divitiarum et gloriae honorumque temporalium, nihil sperare posse videbantur, semper contempserunt, inhonorarunt ac tandem per summam iniuriam et contemptum turpissima morte damnarunt.

g) baculus, crucem Domini;

Hinc praecincti erant renibus et quisque baculum tenebat in manu. Baculus crucem designat, sicut baculus quo Iacob transivit Iordanem, [110] sicut virga qua Moyses petram percussit, [111] et virga qua armatus David ad pugnandum ivit contra Goliam. [112] Sic omnes Iudaei animis paratissimi ac promptissimi fuerunt ad crucifigendum Christum.

h) festina comestio, ardens Iudaeorum desiderium crucifigendi Christum;

Comedebant agnum festinanter, in morem hominis esurientis et magna fame laborantis, qui devorare videtur, non comedere, ex magnitudine appetitus et famis. Sic designatus est ingens ardensque in Iudaeis desiderium mortis Christi.

i) amarae herbae, virulentiam eorum odii;

Amarae autem herbae in comestione agni designabant amarulentiam animorum, virulentam irae et odii acerbitatem in Christum in pectoribus cordibusque crudelium Iudaeorum. Cum Deus tradidit sanctum Iob in manum satanae in probationem virtutis, ut eum bonis omnibus fortunisque spoliatum toto corpore flagellaret, sciens quanto odio satanas in sanctum virum incensus esset arderetque, virtutis et sanctitatis illius causa: *Ecce,* inquit, *in manu tua est, veveruntamen animam illius serva;* [113] hoc est: ne omnino perdas, ne eum interficias; flagella, sed ne occidas.[113a] Si enim liberam facultatem ei concessisset, sanctum virum penitus perdidisset. Propterea Deus limitatam facultatem concessit. Sic, cum Iudaei, facti inimici Christi,

108) Ex 3, 5. 109) Cf. S. Bernardus *Sermo Dom. infra octavam Assumpt. B. V. Mariae,* (P. L. 183, 432). 110) Cf. Gn 32, 10. 111) Cf. Ex 17, 5-6; Nm 20, 8-11. 112) Cf. 1 Rg 17, 40. 113) Iob 2, 6. 113a) Ms.: *Ne occide.*

satanico spiritu pleni essent, sicut et Iudas proditor, nam: *Introivit in eum diabolus,* [114] summo in Christum odio una cum satana flagrarent, perdidissent eum omnino, nisi divinitus prohibiti fuissent.

Hoc est quod ait: *Os non comminuetis ex eo.* [115] Sic prohibuit ne agnum in frusta conciderent, ne caput abscinderent, sed integrum igni assarent ossiumque compage integram relinquerent. Quo quidem mysterio praesignabatur quod Christus in interiori homine, in anima, quae sub carne latet et corpus vitamque sustentat, sicut ossa latent sub carne et eam fulciunt, nullam vel minimam passurus erat laesionem, quae per peccatum fit; quoniam sicut Iob in omni calamitate sua *non peccavit... neque stultum quid contra Deum locutus est,* [116] ita Christus nec minimam quidem cogitationem in passione sua contra Deum concepit. Sic in carne laesus gravissime est, non in ossibus, hoc est non in anima, non in interiori homine, non in potentiis, viribus et virtutibus animi passus est vel minimam laesionem peccati, sed spiritu illaesus integerrimusque omnino permansit.

D praescriptio tandem, ut agnus integer ossibus non fractis assaretur, significabat Christum passurum quidem in carne, sed non in anima laesione peccati.

Praeter hoc vero designabatur quod divinitus futurum erat ne Iudaei, ob immane odium in Christum, sanctissimum eius corpus omnino perderent, ne in frusta concisum et comminutum traderent voracibus flammis, sed integrum remaneret, sicut corpus prophetae prope Samariam a leone occisi, non sine miraculo integrum post mortem intactumque a leone relictum fuit, imo, quod maius est, leo ipse, qui corpus occiderat, non solum non devoravit, sed etiam custodivit stans iuxta mortuum cadaver. [117] Sic Iudaei custodierunt corpus Christi in sepulcro magna cum diligentia. [118]

eiusque etiam corpus nullimode confractum iri.

V. *Edent carnes nocte illa assas igni, et azymos panes cum lactucis agrestibus... tenentes baculos.* [119]

In hac sacra dominicae passionis imagine declaratur adhuc quae, qualia et quanta passus sit Dominus. Capiebatur agnus, inducebatur in domum, occidebatur, effundebatur sanguis ipsius, assabatur igni, comedebatur nocte, sed cum panibus azymis, cum lactucis agrestibus,

Aliae analogiae inter immolutionem agni paschalis et passionem Christi.

114) Io 13, 27. Vulg.: *Satanas.* 115) Ibid. 19, 18; Ex 12, 46. 116) Iob 1, 22.
117) Cf. 3 Rg 13, 24-25. 118) Cf. Mt 27, 65-66. Desinit in principio f. 151ª et alba relicta reliqua parte, transit ad commentum sequentis versiculi, f. 152ª. 119) Ex 12, 8-11.

cum baculis in manibus. Haec autem non sine mysterio contigerunt. En hodie Christus, agnus innocentissimus comprehensus in horto ligatusque tanquam latro a ministris Iudaeorum, ductus in domum Annae et Caiphae pontificum, damnatur ad mortem, flagellatur, coronatur spinis, tandem crucifigitur a Iudaeis summa cum impietate et crudelitate.

Panes azymi et herbae amarae denotabant magnam animi Christi amaritudinem in passione sua,

Non comeditur agnus crudus nec coctus aqua, sed assatus igni et insuper cum azymis, cum pane afflictionis, *cum lactucis agrestibus*, sive, ut in hebraeo est, *cum amaritudinibus*, et cum baculis in manibus, magna cum festinatione. Patitur hodie Christus maximum martyrium, quale esse solet martyrium ignis; patitur absque ulla consolatione : hic est panis azymus, sine fermento, sine suavi sapore, panis insipidus, panis afflictionis ; patitur cum magna animi amaritudine, quia : *Coepit pavere et taedere,* [120] *contristari et moestus esse;* [121] *Tristis est anima mea usque ad mortem;* [122] *Factus* est *in agonia . . . , factus est sudor eius velut guttae sanguinis decurrentis in terram;* [123] et tandem sentit supra se durissimam manum Dei, unde clamat ad Patrem : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ?* [124]

magnamque duritiem et crudelitatem Iudaeorum, et severitatem iustitiae divinae in Christum.

In Sacris Litteris magna afflictio dicitur *manus dura;* sic dixerunt Philisthaei : *Non maneat arca Dei Israel nobiscum, quia dura est manus eius contra nos et contra Dagon deum nostrum.* [125] Haec igitur est manus cum baculo duro : designatur magna durities et crudelitas cordium Iudaeorum, magna etiam severitas divinae iustitiae contra Christum in punitionem peccati et iniquitatis ; nam : *Posuit in eo Dominus iniquitates omnium nostrum;* [126] *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra;* [127] *Propter scelus populi mei percussi eum.* [128]

Quoniam dupliciter punitum fuit Adae peccatum :

VI. Duobus generibus poenarum solet temporalis iustitia punire delinquentes pro mensura delicti : utitur expoliatione bonorum et honorum, dignitatum et graduum, relegatione et perpetuis exiliis a patria et provincia ; utitur etiam corporalibus poenis, carceribus,

120) Mc 14, 33. 121) Mt 26, 37. 122) Ibid. vr. 38. 123) Lc 22, 43-44.
124) Mt 27, 46 ; Mc 15, 34. 125) 1 Rg 5, 7. Vulg. : *Apud nos, quia dura... super nos et super Dagon*, etc. 126) Is 53, 6. Vulg. : *Posuit Dominus in eo iniquitatem*, etc.
127) Ibid. vr. 5. 128) Ibid. vr. 8.

compedibus, flagellis, igne, gladio et tandem ultimo supplicio. Sic Deus punire voluit Adami peccatum expoliatione bonorum et perpetuo exilio a paradiso terrestri,[129] et poenis etiam corporalibus: *Maledicta terra in opere tuo... spinas et tribulos germinabit tibi... in sudore vultus tui vesceris pane tuo;*[130] et tandem: *Donec revertaris in terram de qua sumptus es*[131]*; Morte morieris.*[132] Duo haec genera poenarum sustinent omnes damnati in inferno, sicut in divite illo epulone manifestum est.[133]

expoliatione bonorum et perpetuo exilio e paradiso,

Sic, cum Christus tanquam fideiussor pro Adamo onus susceperit solvendi Deo omne debitum totius humani generis cum Deo, ipse quoque ambo haec genera poenarum ad satisfaciendum divinae iustitiae pro mundi peccato sustinere et perpeti voluit. Hinc nudus et cruci affixus mortuus est. Nuditas primum genus poenarum designat; crucifixio vero, cum immenso sensuum dolore et totius corporis cruciatu, alterum. Passus est hodie Christus acerbissimas maximasque poenas et cruciatus toto corpore, passus etiam maximas afflictiones et acutissimos amarissimosque dolores tota anima: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Unde sanctissima Christi anima hodie vere dicere poterat cum Noemi: *Vocate me Mara,... amaram, quia amaritudine valde replevit me Dominus.*[134] Et quidem, quod spectat ad internos dolores cordis et animi Sanctissimi Salvatoris, de quibus ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem*, incredibile est quales et quanti fuerint. Tales autem ac tanti fuerunt, quod, licet Dominus cor vere regium et leoninum sicut David haberet, potuissent tamen eum perimere et extinguere; hoc est: *Tristis est anima mea usque ad mortem;* hinc agonia, hinc sudor sanguineus.

ideo Christus, fideiussor pro Adam, ambo haec poenarum genera sustinuit: nudus enim in cruce mortuus est, maximasque poenas in corpore et anima passus.

Magnus dolor in Sacris Litteris *gladius* dicitur. Sic enim Simeon iustus ait Deiparae Virgini: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius;*[135] sic de Ioseph legimus: *Posuerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius, donec veniret verbum eius;*[136] hoc est: magno angebatur dolore cum innocens multa pateretur, sicut ait: *Furtim sublatus sum*[137] *et hic innocens in lacum missus sum.*[138] Legimus quod infelicis Absalom pectus et cor tribus lanceis a Ioab

quae in S. Scriptura per *gladium* significantur.

129) Cf. Gn 3, 23-24. 130) Ibid. vrr. 17-19. Ex hebraico. 131) Ibid. 132) Ibid. 2, 17. 133) Cf. Lc 16, 19-25. 134) Ruth 1, 20. Vulg.: *Replevit me Omnipotens.* 135) Lc 2, 35. 136) Ps 104, 18-19. 137) Ms.: *Sum* bis ponitur. 138) Gn 40, 15.

transfixum fuit;[139] cor autem Christi in sua passione, maxime vero in horto, non tribus, sed, ut mihi videtur, septem acutissimis gladiis et pugionibus transverberatum miserrime dolebat.[140]

VII. *Sument de sanguine* agni *et ponent super utrunque postem et in superliminaribus domorum.*[141]

Sicut sanguis agni paschalis Hebraeis causa fuit salutis et libertatis,

Magna virtus sanguinis agni paschalis fuit Hebraeis in causa salutis et libertatis. Ait enim: *Erit... sanguis vobis in signum in aedibus in quibus eritis; et videbo sanguinem et transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Aegypti.*[142] Et iterum: *Fasciculum... hyssopi tingite in sanguine... et aspergite ex eo superliminare et utrunque postem... transibit enim Dominus percutiens Aegyptios... cumque viderit sanguinem in superliminari et in utroque poste, transcendet ostium... et non sinet percussorem ingredi domos vestras et laedere.*[143] Hic est mirabilis effectus passionis agni immaculati Christi: redemptio humani generis et perfecta salus. Hoc est quod Ioannes [Baptista] ait: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*[144] Sicut autem, sublata interpositione terrae inter solem et lunam, quae in causa existit eclipsis et deliquii luminis, redit luna obscurata ad pristinam luminis claritatem, sic, sublato peccato, quod ruinarum omniumque malorum totius humani generis in causa extitit, restituitur mundus pristinae saluti.

sic passio Christi causa fuit redemptionis et salutis generis humani.

Adam peccando humanam familiam debito perpetuo cum divina iustitia oneravit,

Fuit Adam sicut paterfamilias qui infortunia passus, in tenuem fortunam lapsus, familiam[145] suam aere alieno gravat censuque perpetuo singulis annis solvendo; Christus autem sicut filius familias qui, gratia magni principis in pinguem admodum fortunam evectus, extinguit censum, soluta creditori principali pecunia; sic domum et familiam aere alieno exonerat. Sic Paulus docet per Christum deletum esse chirographum peccati quod erat adversum nos.[146] Hoc est quod ait: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi;* nam peccata in Sacris Litteris *debita* appellantur.[147] Sic Sancti et electi omnes *laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine agni,*[148]

139) Cf. 2 Rg 18, 14. 140) Desinit circa medium f. 151ᵇ, et albo relicto f. 152, transit ad commentum sequentis versiculi, f. 153ᵃ. 141) Ex 12, 7. 142) Ibid. vr. 13. 143) Ibid. vrr. 22-23. 144) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum mundi.* Cf. supra, Feria Quarta Dom. Passionis, not. 110, pag. 459. 145) Ms.: *Familias.* 146) Cf. Col 2, 14. 147) Mt 6, 12. 148) Apc 7, 14.

quasi virtutem saponis haberet et potentis lixivii. Sic in mari Rubro perierunt omnes locustae Aegypti,[149] nam ait M i c h a e a s : *Miserebitur nostri . . . et proiciet in profundum maris omnia peccata nostra.*[150] Sic etiam, in mari Rubro, demerso Pharaone cum omni exercitu suo, universus Dei populus salutem et libertatem consecutus est.[151] Sic *cinis* rufae *vitulae aspersus inquinatos sanctificabat.*[152] Sic fuit passio Christi sacrificium pro peccato[153] delens omnia peccata, hostia pacifica[154] nos Deo per gratiam pacificans et reconcilians, holocaustum[155] totum Spiritus Sancti igne consumptum.

Christus passione sua peccatum delens, omne quoque debitum exolvit.

VIII. Comedebatur agnus paschalis tempore veris, sole arietem obtinente, in ipso prope vernali aequinoctio, cum universa natura renovata floret, quoniam passio in causa est spiritualis renovationis. Comedebatur mense Martio, quo tempore egressus fuit populus de Aegypto[156] et quo etiam ingressus fuit terram promissionis,[157] paschali tempore, quoniam Christi passio in causa est spiritualis libertatis et causa salutis ac felicitatis aeternae. Comedebatur in ipso plenilunio, quoniam in causa extitit plenitudinis gratiae. Immolabatur et comedebatur ad occasum solis, quando luna plena exoritur, quando apparet ornatus et pulcritudo coeli, quoniam Christi passio in causa fuit novae Ecclesiae; dormiente nanque Adamo, ex eius latere formata fuit Eva:[158] *Magnum sacramentum*, ut P a u l u s ait, *in Christo et . . . Ecclesia.*[159] Post solis occasum patriarcha Iacob in Bethel vidit apertam coeli portam, vidit ipsum Deum et Angelos per coelestem scalam ascendentes et descendentes,[160] quoniam per meritum passionis Christi aperta est porta paradisi, patet aditus in paradisum, in gloriam Dei, ipsaque Christi crux facta est nobis scala coeli beati. Sic post solis occasum conspicua est pulcritudo coeli.

Tempus veris quo agnus immolabatur ad occasum solis, significabat Christi passionem futuram esse causam spiritualis renovationis mundi ac felicitatis aeternae.

Huius etiam rei causa Dominus in domum Simonis post solis occasum innumeros curavit a languoribus et spiritibus immundis,[161] ad indicandum meritum passionis suae. Post mortem Ioseph multiplicati fuerunt supra modum Hebraei in Aegypto;[162] post mortem

Multis figuris in S. Scriptura effectus dominicae passionis significantur;

149) Cf. Ex 10, 19. 150) 7, 19. 151) Cf. Ex 14, 23-28. 152) Hebr 9, 13. 153) Cf. Lv 4, 1 sqq. 154) Cf. ibid. 3, 1 sqq. 155) Cf. ibid. 1, 1 sqq. 156) Cf. Ex 12, 18; 34, 18; Dt 16, 1. 157) Cf. Ios 3, 15. 158) Cf. Gn 2, 21-22. 159) Eph 5, 31. 160) Cf. Gn 28, 10-12. 161) Cf. Mt 8, 14-16; Mc 1, 30-34; Lc 4, 38-46. 162) Cf. Ex 1, 8-12.

Moysi ingressi fuerunt in terram promissionis;[163] post mortem magni sacerdotis revertebantur exules et relegati in patriam;[164] post mortem David aedificatum fuit templum.[165] Sic innumera sunt mysteria in Sacris Litteris, quae mirabiles dominicae passionis effectus variis modis significant.

sed praecipue elucent in verbis ipsius Christi de cruce,

Sed singulariter in cruce elucent fructus passionis: in verbis quae de cruce locutus fuit, in miraculis quae in cruce egit, in ipso etiam titulo sacratissimae crucis. In verbis est remissio peccatorum: *Dimitte illis*;[166] adoptio filiorum: *Ecce filius tuus;*[167] consecutio regni coelorum: *Hodie mecum eris in paradiso;*[168] consummata naturae humanae perfectio: *Consummatum est;*[169] divinae erga nos caritatis cognitio, qua *sic... dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret,*[170] hoc enim est: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*[171] divina caritas et ardens desiderium, sitis ardentissima aquarum coelestium: *Sitio;*[172] ac tandem certa spes futurae resurrectionis. *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum,*[173] commendo tanquam depositum.

et in miraculis tunc operatis,

In miraculis etiam in cruce operatis: *A sexta hora,* inquit Matthaeus, *tenebrae factae sunt super universam terram;*[174] Lucas addit: *Et obscuratus est sol;*[175] deinde Matthaeus: *Et velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, et terra mota est, et petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.*[176] Quae quidem omnia mysteriis plena sunt, sed summatim significant quandam mundi totius mutationem per passionem Christi et mortem ipsius. Per novam nanque Christi fidem totus veluti mutatus est mundus. *Obscuratus est sol:* defecit mundi imperium, nam lapis Christus statuam mundanae monarchiae prostravit in terram, confregit, redegit in pulverem;[177] obscurata sunt terrena bona, vilia facta sunt, contemptus est mundus, agnitis melioribus sempiternis in coelo bonis. Sic *velum templi scissum est,* aperta ianua coeli; *terra mota est,* mundus vitam mutavit; *petrae scissae,* corda lapidea contrita sunt per veram poenitentiam; *aperta*

163) Cf. Io 3, 1 sqq. 164) Cf. Nm 35, 32. 165) Cf. 3 Rg 5, 5 sqq. 166) Lc 23, 33. 167) Io 19, 26. 168) Lc 23, 43. 169) Io 19, 30. 170) Ibid. 3, 16. 171) Mt 27, 46; Mc 15, 34. 172) Io 19, 28. 173) Lc 23, 46. 174) 27, 45. 175) 23, 45. 176) 27, 51-52. 177) Cf. Dn 2, 31-35.

sunt monumenta, reseratae portae inferni carcerum inferorum ad liberationem captivorum; data est vita aeterna defunctis.

Sed tandem, ut dixi, in ipso titulo crucis sacratissimae mirabiliter elucent fructus dominicae passionis: *Iesus Nazarenus, Rex Iudaeorum.* [178] *Iesus* Salvator est, *Nazarenus* Sanctus. Ostenditur in hoc titulo nobis Christus et quid sibi passione sua acquisierit: nobis, salutem et sanctitatem, gratiam et gloriam; sibi vero regnum acquisivit, crucem tanquam regale solium, purpuram regium indumentum, coronam spineam, arundineum sceptrum. Docuit Paulus quid sibi Christus passione et morte sua acquisierit [179] dicens: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur... et omnis lingua confiteatur, quia Dominus* noster *Iesus Christus in gloria est.*[180]

necnon in ipsomet titulo crucis.

IX. Legimus quod Moyses sub pedibus Dei vidit opus quasi ex lateribus sapphirinis. [181] Coacti fuerunt Hebraei in Aegypto ad vilia opera, ut ex vilissimo luto lateres facerent. [182] Sed quoniam propter Deum talia passi fuerant, Deus, chimista mirabilis, lateres illos in sapphiros converterat et in coelum transtulerat. Sic Deus arundineum sceptrum in manu Christi et spineam coronam in capite Christi pretiosiora fecit cunctis summorum regum et imperatorum sceptris et coronis.

Arundineum sceptrum et spinea corona instrumenta fuerunt infiniti meriti,

Quanquam per haec aliud etiam designatur: quod talis et tanta est Christi maiestas, cum verus sit Deus, quod regni coelestis corona et totius universi imperium apud eum vilissimum quid sunt, sicut sceptrum arundineum et corona palearum apud regem et imperatorem; totus enim mundus nihil est Dei comparatione, nam finiti ad infinitum, ut aiunt, nulla est proportio. [183]

et designant infinitam Christi maiestatem.

Designatur etiam per sceptrum arundineum quod regis huius nostri suave iugum est et onus leve; ita ut nemo iure conqueri possit, sicut Hebraei conquesti fuerunt de Salomone apud filium eius Roboam: *Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis; tu itaque im-*

Per sceptrum arundineum indicatur etiam suavitas servitutis in regno Christi;

178) Io 19, 19. 179) Ms.: *Sibi* repetitur. 180) Phil 2, 8-11. 181) Cf. Ex 24, 10. 182) Cf. ibid. 1, 14. 183) Cf. S. Beda *Sententiae Philosophicae ex Aristot. collectae* (spuria), (P. L. 90, 997); S. Thomas *S. Theolog.* 1ª, q. 12, a. 1, ad 4; Georgius Reeb *Axiomata*, pag. 309.

minue nobis *paululum de imperio patris tui durissimo et de iugo gravissimo, quod imposuit nobis, et serviemus tibi.* [184] Christi iugum non sic: *Tollite,* inquit, *iugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris; iugum enim meum suave est et onus meum leve.* [185]

per spineam coronam, divitiae gloriae eius et dominium universae terrae.

Designatur etiam per spineam coronam Rex ditissimus; nam per spinas divitiae sunt significatae quae suffocant sementem patrisfamilias; [186] praeterea, quod ex mundi totius imperio et monarchia nullam Deus capit utilitatem vel voluptatem, sed potius molestiam, sicut ex spinea corona. Adhuc etiam, quod tam facile regit omnia quam facile tenetur in manu arundo, quae levissima est; tanta ipsius est tum potentia tum sapientia. Designatur etiam per spineam coronam universae terrae dominium; nam terra spinas et tribulos germinare coepit ex quo homo per peccatum dominium super eam amisit; [187] nunc, spinis evulsis, iterum ad obedientiam reddit, deleto peccato; et quod haec summa Christi gloria est terram humanitatis nostrae purgasse spinis vitiorum et peccatorum nostrorum.

Per sceptrum arundineum significatur Christi potentia contra diabolum et levitas punitionis peccati in hac vita;

In sceptro etiam arundineo designatur potentia Christi contra diabolum, serpentem antiquum; [188] tactu nanque arundinis occiditur serpens. Quare potentissima est armatura contra serpentem arundo, sicut contra leonem fax accensa, ignitus titio. Designatur etiam levis punitio hominum in hac vita; sed cavendum, quoniam in iudicio habebit Christus non arundinem in manu, non *quasi flagellum de funiculis,* [189] sed virgam ferream contra reprobos: *Reges eos in virga ferrea et tanquam vas figuli confringens eos.* [190]

per spineam coronam, pretiositas poenitentiae,

Adhuc, per spineam coronam in capite Christi designatur quod Christus in mundo nihil pretiosius invenit spinis, ideo Deus in medio spinarum apparuit Moysi. [191] In mundo hominibus paupertas, ignominiae, poenae, afflictiones et passiones carnis spinae acutissimae ac pungentissimae videntur; e contra vero, divitiae, honores, voluptates pulcherrimi et suavissimi flores. Christus autem reliquit hos flores et elegit spinas; vitam potius elegit Lazari mendici, quam divitis epulonis, quia in oculis Dei multo pretiosior ac honoratior erat men-

184) 3 Rg 12, 4. 185) Mt 11, 29. 186) Cf. ibid. 13, 7. 22; Mc 4, 7. 18-19; Lc 8, 7. 14.
187) Cf. Gn 3, 6-18. 188) Cf. Apc 12, 9. 189) Io 2, 15. 190) Ps 2, 9.
191) Cf. Ex 3, 2.

dicus Lazarus, quam dives epulo; hinc ille defunctus portatus fuit ab Angelis in sinum Abrahae, infelix autem epulo mortuus sepultus fuit in inferno, ubi aeternos patitur cruciatus et poenas.[192] In coelo spinae sunt pretiosissimae; flores mundi huius nullius sunt pretii, nullius valoris. Hinc poenitentiam Christus praedicavit verbo et exemplo, non voluptates: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.*[193] E contra vero, quod altum est apud homines, *abominatio est apud Deum;*[194] *quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei, potentius est hominibus.*[195] Designat etiam corona haec Regis nostri victoriam contra satanam, nam: *Non coronabitur, nisi* qui *legitime certaverit*[196] hostemque in agone vicerit.

victoria quoque ipsius Christi contra satanam.

X. Coronatus est autem non laurea, querna aut graminea corona, ut olim romani imperatores,[197] sed spinea, qua nunquam alius coronatus est homo, ob singulare mysterium. Nobis Christus salutem lucratus est iuxta illud Angeli: *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*[198] Peccavit homo in Deum, factus est reus laesae maiestatis, damnatus est ad perpetua supplicia poenasque tum in hoc saeculo tum in inferno luendas, sicut aliquando a principe homo facinorosus ob atrox delictum rebellionis, proditionis, furti et tentati in suum principem homicidii, damnatur ad gravissimas poenas: ut ad ignominiam flagelletur a vindice per plateas et publicas vias civitatis, ut eruantur oculi eius, praecidantur aures, nasus, lingua, manus, ut raptetur equis per civitatem, ut ignitis forcipibus dilaceretur, ut infami patibulo suspendatur ac tandem dilanietur, omnibus bonis ipsius publicatis. O graves poenas! Sed ad multo graviores damnatus est homo in inferno ob peccatum in Deum admissum.

Spinea corona unicus inter omnes malefactores Christus coronatur, ad ostendendas gravissimas poenas peccato debitas.

Hodie autem scitis quidnam factum sit. O mirabile dictu! Ita accidit ac si homo ille verum haberet et fidelissimum amicum sibi quam similem qui, audita sententia contra amicum lata et plurimum dolens, nec prae amoris magnitudine ferre valens tale tantumque

a quibus Christus, seipsum crudelissimis suppliciis tradens, peccatores liberavit.

192) Cf. Lc 16, 19-23. 193) Mt 3, 2; 4, 17. 194) Lc 16, 15. Vulg.: *Ante Deum.* 195) 1 Cor 1, 25. Vulg.: *Fortius est*, etc. 196) 2 Tim 2, 5. Sic habent aliqui codices. Cf. *Biblia Lovaniensis;* Eb. Nestle *Novum Test.*, h. l. Vulg.: *Non coronatur*, etc. 197) Cf. Tertullianus *De Corona Militis*, cp. 7-14, (P. L. 2, 84-101); T. Livius *Hist.*, lib. 7, pag. 222; Plinius *Hist. Nat.*, lib. 22, cp. 3-4, pag. 255; Plutarchus *Quaestiones Centuriatae Romanae*, pag. 713; A. Gellius *Noctes Atticae*, lib. 5, cp. 6, pag. 146-148. 198) Mt 1, 21.

amici malum, obtenta venia invisendi ac consolandi amicum, ingrediatur in carcerem ibique induens amici vestimenta, illum suis vestibus indutus abire permittat et ipse pro amico puniendus in carcere maneat, omnia illa tormenta pro amico sustineat. *Quis audivit unquam tale et quis vidit huic simile?* [199] Christus hoc egit. Hinc hodie damnatus est Christus et liberatus est Barabbas, insignis homicida et latro, factiosus et seditiosus homo. [200] Periisset Barabbas, si Christus mortuus non fuisset; submersa fuisset navis, si Ionas non fuisset immersus in mare; [201] defecisset populus siti, si petra percussa non fuisset. [202]

Passio Christi aliis causa salutis, aliis autem perditionis est.

Sciendum tamen, fratres, quod non omnes per Christi passionem et mortem salvantur. Cum Domino crucifixi sunt duo latrones: unus eorum salvatus est, alter vero periit. [203] Duo apostoli hodie insigniter peccarunt, Petrus et Iudas: salvatus est tantum Petrus [204] et periit Iudas. [205] Simeon iustus, vaticinatus de Christi passione, ait: *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel.* [206] Fuit in ruinam Iudaeorum et in resurrectionem Gentium Christi passio: in ruinam synagogae, ideo scissum est hodie velum templi, [207] sed in salutem ecclesiae Gentium; obscuratus est hodie sol, sed apparuerunt stellae, nam in eclipsi solis perfecta videntur stellae coeli etiam in meridie. Scidit Caiphas vestimenta sua contra legem Dei in *Levitico: Sacerdos maximus inter fratres suos, super cuius caput fusum est unctionis oleum et cuius manus in sacerdotio consecratae sunt vestitusque est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet* et *vestimenta* sua *non scindet.* [208] Hoc autem signum fuit sacerdotii amittendi auferendique pontificatus a synagoga, sicut scissio vestium Samuelis signum fuit auferendi regni a domo Saul; [209] sic sacerdotium ablatum est a synagoga et datum Ecclesiae. Non salvantur per Christi passionem nisi sanctificati et emundati a vitiis et peccatis; hinc dicitur: *Iesus Nazarenus,* Salvator, Sanctificator.

XI. In agno paschali ritus tum immolandi tum comedendi divina lege praescriptus quam maxime servandus erat in tempore,

199) Is 66, 8. 200) Cf. Mt 27, 15-26; Mc 15, 6-15; Lc 23, 17-25; Io 18, 40. 201) Cf. Io 1, 4 sqq. 202) Cf. Ex 17, 6; Nm 20, 8-11. 203) Cf. Mt 27, 38; Mc 15, 27; Lc 23, 33. 39-43; Io 19, 18. 204) Cf. Mt 26, 69 sqq. 205) Cf. ibid. 26, 47-50. 206) Lc 2, 34. 207) Cf. Mt 27, 51. 208) 21, 10. *Sua* subiungitur in aliquibus codicibus. Cf. *Biblia Lovaniensis* h. l. 209) Cf. 1 Rg 15, 27-28.

loco, modo, sacrisque caeremoniis immolandi et comedendi illum.[210] Et quidem in re qualibet modus, qui veluti forma rei est, maxime attenditur, nam, ut ille ait:

In immolatione agni paschalis ritus et circumstantiae maxime servari debebant;

«Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum».[211]

Sic dicitur quod in oratore potissimum est pronunciatio, modus utique dicendi aptus, conveniens, venustus, gratus.[212] In recitandis comoediis aut tragoediis potissimum est hypocrisis apta ac naturalis repraesentatio personarum, quae aguntur et repraesentantur. In omnibus legalibus sacrificiis praecepit Deus servari ritum modumque et ordinem loci, temporis et caeremoniarum sacrarum.[213] In mundi creatione modus potissimum attenditur et ex eo maxime divina omnipotentia cognoscitur, quia solo verbo et voluntatis imperio, sicut voluit, cuncta creavit. In fabricatione arcae Noe,[214] tabernaculi Moysi,[215] templi Salomonis[216] modus divinitus praescriptus datusque fuit, iuxta quem sacra illa aedificia fierent.

ita in passione et morte Christi attentissime considerandae sunt circumstantiae:

Sic in Christi passione modus et ordo quam maxime attendendus est; non solum mors ipsa inspicienda nobis est, sed modus etiam passionis et mortis. Si enim quaecunque passus est hodie Christus, passus fuisset in secreto loco, in silva, in campo, sicut Cain occidit fratrem suum Abelem, nemine vidente,[216a] aut passus fuisset a privatis personis absque publica iudicis auctoritate, sicut *homo... qui incidit in latrones*[217] et sicut agricolae occiderunt filium patrisfamilias eiectum extra vineam,[218] minus malum fuisset. Hinc Dominus ait Pilato: *Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.*[219] Ubi ostendit Dominus quod Iudaei non solum praetenderunt[220] mortem Christo inferre, sed modum etiam mortis attenderunt, ut turpissimo mortis genere ipsum perderent, nec vitam tantum, verum etiam honores omnes eriperent. Hinc non ipsi occiderunt sicut Stephanum, furente populo, lapidibus obruerunt,[221] sed tradiderunt Pilato iudici,[222] ut tanquam reus criminis et facinorosus ad crucis supplicium damnaretur.

damnatus enim fuit supplicio infamissimo, a publica auctoritate, ut vita simul et honor ipsi auferrentur;

210) Cf. Ex 12, 5 sqq. 211) Horat. *Satyrae*, lib. 1, sat. 1, vrr. 105-106. 212) Cicero *Ad Herennium*, lib. 1, t. 1, col. 3; *De Inventione*, lib. 1, ibid. col. 81. 213) Cf. Lv 1, 1-7, 1 sqq. 214) Cf. Gn 6, 14-16. 215) Cf. Ex 26, 1 sqq. 216) Cf. 2 Rg 7, 12-13; 3 Rg 5,6; 1 Par 22, 1 sqq. 216a) Cf. Gn 4, 8. 217) Cf. Lc 10, 30.
218) Cf. Mt 21, 38-39; Lc 20, 14-15. 219) Io 19, 11. 220) Ms.: *Praetenserunt*.
221) Cf. Act 7, 58-59. 222) Cf. Mt 27, 2; Mc 15, 1; Lc 23, 1; Io 18, 28.

Hoc est quod Paulus ponderavit dicens: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis,* idest mortem turpissimam, maxime infamem.

turpissimum fuit Christi supplicium tum ratione loci tum ratione temporis;

Fuit autem mors crucis Christo maximae infamiae et ignominiae ratione tum loci tum temporis. Ratione quidem loci, quoniam non passus est in aliqua civitatula, non in Nazareth ubi conceptus,[223] non in Bethlehem ubi natus,[223*] sed in Ierusalem, regia civitate, totius israelitici regni capite et sede,[224] in civitate metropoli. Ratione temporis, quia in tempore paschali, ipso die paschae crucifixus fuit,[224*] quo tempore omnes Iudaei, non solum ex universa Iudaea et Galilaea, verum etiam ex omnibus orbis mundique totius partibus Ierosolymam confluebant, celebrandi paschatis gratia; non enim nisi in Ierusalem, ubi templum Domini erat, celebrare poterant paschalem solemnitatem.[225] Quare passus est Christus mortem infamissimam, coram maxima hominum multitudine, coram innumerabilibus populis, non solum unius civitatis Ierusalem, sed omnium civitatum totius Iudaeae et Galilaeae. Sic ratione loci et temporis maxima fuit Christi ignominia et infamia.

damnatus fuit iniustissime et contra omnem iuris ordinem;

Ad modum etiam passionis Christi spectat quod contra omnem iustitiam, contra omnem iuris ordinem damnatus est, absque ullo crimine, sine accusatoribus aut denuntiatoribus iuridicis, absque ulla delicti infamia, sine testibus, sine allegationibus et probationibus, sine processu, cognita etiam et perspecta ipsius innocentia.[226] Sic ab iniquis iudicibus damnatus est, Anna, Caipha, Herode, Pilato, imo iudices ipsi Annas et Caiphas, contra omne ius, partem actorum susceperunt, ita ut ipsi contra eum falsos testes subornarint.[227] Sic per summam iniuriam, summa cum iniustitia damnatus Christus est ad crudelissimum teterrimumque supplicium. Sic in Christi passione ex parte hominum visa est summa iniquitas, diabolica plus quam humana malignitas, perversitas, sceleritas infinita. Sed ex parte Dei summa misericordia, summa iustitia, summa caritas: *Sic ... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

inde vero magis elucescunt divina misericordia, iustitia et caritas.

223) Cf. Lc 1, 26 sqq. 223*) Cf. Mt 2, 1 sqq. 224) Ms.: *Caput et sedes.* 224*) Cf. Mt 26, 18 sqq.; Mc 14, 12 sqq.; Lc 22, 7 sqq.; Io 13, 1; 19, 31. 225) Cf. Dt 12, 5-14; 16, 5-6; 2 Par 7, 12; 30, 1 sqq.; Io 11, 55; 12, 20. 226) Cf. Mt 27, 18. 24; Mc 15, 10-14; Lc 23, 4. 14-16. 22; Io 18, 38; 19, 4-6. 12. 227) Cf. Mt 26, 59-60; Mc 14, 55-59.

Finis divinorum operum gloria Dei est et utilitas nostra;

XII. In omni opere Dei duo sunt quae vel maxime elucent et attendenda sunt: gloria Dei et utilitas nostra. Luce clarius manifesta haec sunt in mundi creatione, in liberatione populi de captivitate Aegypti, in omnibus miraculis tum Veteris tum Novi Testamenti. Sed in opere redemptionis humani generis duo haec clarissime supra quam dici possit resplendent et lucent. Multo gloriosior fuit liberatio populi per Moysen facta, humilem pastorem, quam si per Davidem, potentissimum regem, aut si per Salomonem, sapientissimum atque ditissimum facta fuisset, armis et viribus humane potentiae. Victoria Gedeonis contra potentissimum exercitum Madianitarum multo fuit gloriosior, quia cum trecentis tantum viris inermibus contra eos pugnavit et vicit,[228] quam si magno exercitu comparato instructisque copiis eos superasset. Victoria item Samsonis, qui manus pedesque ligatus inermisque, cum asini mandibula solus pugnavit contra exercitum mille Philisthaeorum armatorum omnesque prostravit et occidit,[229] multo fuit insignior et gloriosior, quam si instructa acie et armata militum manu eos superasset; sicut etiam victoria David contra Goliam gloriosissima fuit, quoniam humilis pastor, adolescens, inermis, superbum gigantem, virum bellatorem, armis munitissimum, prostravit et vicit.[230] Divina providentia multo splendidius eluxit erga Hebraeos, quia populum innumerabilem quadraginta annis pane de coelo[231] et aqua de silice durissimo[232] sustentavit, quam si statim eos in promissas opulentissimae terrae sedes eos introduxisset. Elias volens miraculo ignis de coelo ostendere Israelitis quisnam verus esset Deus, supra struem lignorum, in qua ignis de coelo accendendus erat, duodecim hydrias aquae fecit effundi;[233] sic enim multo illustrius miraculum fuit. Quo etiam modo volens Christus caecum a nativitate illuminare, lutum posuit super oculos eius,[234] quod multo aptius est ad excaecandos videntes, quam ad illuminandos caecos videre non valentes.

gloria autem victoriae splendidior est quo victor debilior et victus potentior et arma victoriae infirmiora;

talis est gloria Christi, qui ignominiosissima passione et morte

Ita plane passio et mors Christi aptior erat ad perdendam fidem credentium in Christum, quod ipse esset unigenitus Filius Dei, sicut patuit in Apostolis et discipulis,[235] quam ad conciliandam hanc

228) Cf. Idc 7, 16 sqq. 229) Cf. ibid. 15, 12-16. 230) Cf. 1 Rg 17, 4 sqq. 231) Cf. Ex 16, 35; Ios 5, 12. 232) Cf. Ex 17, 6; Nm 20, 8-11. 233) Cf. 4 Rg 18, 34-39. 234) Cf. Io 9, 1-7. 235) Cf. Mt 26, 57; Mc 14, 50; 16, 11-14; Lc 23, 10-11; 24, 25.

mundum ad fidem convertit et satanam profligavit.

fidem non credentibus. Et tamen ait: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum:* [236] post crucem, post passionem, post mortem crucis infamem, ignominiosam, turpissimam, convertam mundum ad fidem meam, ut credat mundus in me, quod sim Filius Dei, verus Messias. Quod factum luce clarius videmus. Venit in hunc mundum Christus ut pugnaret contra satanam, ad destruendam idololatriam mundumque ad fidem et religionem cultumque veri Dei convertendum. Potuisset hoc agere pugnans contra satanam armis suae potentiae, si venisset, sicut ad iudicandum venturus est, [237] in gloria et maiestate, sicut in transfiguratione apparuit. [238] Quis enim tunc in Christum non credidisset? Sed tamen, ut illustrior esset victoria, pugnare voluit contra eum infirmitate carnis nostrae, veluti si quis in agone contendat cum validissimo hoste inermis et ligata manu dextera, sinistra tantum pugnans, cum vicerit, gloriosissima reputabitur victoria. Sic Christus satanam vicit ligata manu dextera divinitatis, sinistra tantum infirmae humanitatis pugnans contra eum.

Passio Christi remedium facta est contra peccatum,

XIII. Fuit autem Christi passio non tantum conflictus et pugna contra satanam, verum etiam remedium contra peccatum, sicut serpens aeneus a Moyse exaltatus in deserto antidotum fuit efficax et praesentissimum remedium contra venenum mortiferum serpentium. [239] Sic enim ipsemet Christus ait: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.* [240] Hoc idem Paulus ad *Romanos* docuit dicens: *Deus mittens Filium suum in similitudinem carnis peccati... de peccato damnavit peccatum... ut iustificatio legis impleretur in nobis.* [241] Sunt in peccato poena et culpa. Sumpsit Christus de peccato poenam, ut damnaret culpam, sicut medici contra viperae venenum ex ipsamet vipera sumunt praesentaneum efficaxque remedium. Ex primo autem peccato omne peccati et vitiorum genus invectum est in mundum, maxime vero tria vitia grassantur ex amore proprio, veluti ex mala radice pessima germina. Sunt autem haec: ardor luxuriae, fames sacra inexplebilis avaritiae et tumor infinitae prope superbiae.

quia poenas pro peccato luens, vitia omnia ex peccato germinantia e corde vellere docuit.

236) Io 12, 32. 237) Cf. Mt 24, 30; 25, 31; 26, 64; Mc 8, 38; 13, 26; 14, 62; Lc 9, 26; 21, 27. 238) Cf. Mt 17, 2; Mc 9, 1-2; Lc 9, 29. 239) Cf. Nm 21, 8-9. 240) Io 3, 14. 241) 8, 3-4. Vulg.: *Filium suum mittens*, etc.

Humanum autem cor primo peccato infectum, cum prius esset arx munitissima omnium virtutum, Spiritu Dei custode, sed cum proditione et insidiis decepto homine venit in satanae manus, factum est veluti inexpugnabile praesidium vitiorum. Ad hanc autem expugnandam arcem unigenitus Filius Dei, comparato exercitu omnium coelestium divinarumque virtutum, venit in mundum. Sicut autem qui arcem munitissimam summa vi expugnare contendit, obsidione posita arceque omni ex parte circumvallata, diu noctuque omni tormentorum bellicorum genere muros impugnat quatitque, sed tandem generali irruptione totius exercitus, equitum peditumque eam aggreditur; ita Christus. Cepit arcem humani cordis satanas verbis usus, promissis, rationibus, persuasionibus, ostensione fictae fallacisque benevolentiae. Deus autem eripere arcem hanc de manu satanae cupiens, potentissimos misit exercitus promissionum et minarum, beneficiorum et etiam maleficiorum, poenarum, punitionum; sed vix aliquid profecit. Tandem ad tale tantumque facinus Unigenitum suum misit, ut totis viribus totoque pectore hoc subiret onus, hanc arcem contenderet. Ad hoc venit Christus, et maximo exercitu comparato factorum, dictorum, actionum et passionum, hanc obivit provinciam.

Ad expugnandum humanum cor venit Christus divina sanctitate praeditus, factis mirabilibus et dictis armatus,

Magnus autem rex et potentissimus imperator non levis alicuius rei causa collectis copiis validissimorum militum, exercitum potentissimum terra marique parat; sed si capiendae civitatis aut arcis alicuius gratia, necesse est ut magni momenti illa sit. Capitur autem humanum cor multis quidem viis et rationibus: nunc quidem cognitione rei, nam incognita diligere minime possumus. Neque enim vel avarissimus quisquam magni facit thesaurum domi absconditum quem ignorant, neque parentes unicum etiam filium praesentem, nisi noverint. Visa autem pulcritudo facile amatur et agnita utilitas vel voluptas facile desideratur. Hinc magna fuit semper vis eloquentiae, vis linguae sapientum oratorum et rhetorum, quoniam magna est vis agnitae veritatis.

divina sapientia et eloquentia munitus, ut cognitionem veritatis aperiret,

Capitur etiam humanum cor pulcritudine et gratia, quae amoris esca et fomentum est. Sic ipse corporis habitus et figura saepe saepius magnum amoris incitamentum est, magnum accendit ignem in humanis pectoribus. Ipsa etiam naturalis similitudo et consanguinitatis ac affinitatis propinquitas magnum amorem conciliant. Eximia etiam

super omnia autem divina caritate flagrans,

et pro amore nostri mala libentissime sustinens;

virtus et bonitas, lenitas et mansuetudo, maxime in principibus, magna sunt amoris, affectionis et benevolentiae[242] incitamenta. Super omnia autem amor ipse, caritas, amicitia vera; sicut enim ignis aptissimus est ad ignem accendendum, ita amor ad amorem conciliandum. Sicut autem arbor a fructibus, ita verus amor ab effectibus cognoscitur. Magni autem amoris duo sunt manifesta indicia et certissima argumenta: magnitudo beneficiorum et perpessio laborum, vitae discriminum et multorum gravium malorum pro amico.

hodie autem infinita suppliciorum tormenta patitur, ut homines eius vestigia sequerentur.

His omnibus armis, et quidem validissimis, instructus venit Christus in mundum, factus homo similis nobis: *Speciosus forma prae filiis hominum;*[243] *Mitis ... et humilis corde*,[244] divina sanctitate et bonitate praeditus, divina sapientia et eloquentia munitus, super omnia divina caritate flagrans. Post infinita miracula in hominum salutem patrata, hodie infinita patitur poenarum et suppliciorum tormenta pro totius generis humani salute. Ad expugnandam arcem vitiorum talem tantumque paravit exercitum, ad perdendam mundi superbiam, avaritiam luxuriamque. Quis non videt hodie infinitam Christi humilitatem, paupertatem, passionem acerbissimorum dolorum toto corpore? Ad quid hoc, quaeso? Quid opus haec Christo erant? *Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum ut sequamini vestigia eius.*[245]

« Urget praesentia Turni »,

ait ille;[246]

« Componitur orbis
Regis ad exemplum »[247].

Valde enim Christi exemplum movere debet christianos;

Cum rex David fugiens persecutionem Absalom, egressus fuisset de Ierusalem nudis pedibus et operto capite, totus lacrimis perfusus, sequebantur eum omnes servi eius simili modo lugentes;[248] et nos hodie non movebit Christi exemplum, cum veros Christi servos verosque christianos nos profiteamur? Talia tantaque remedia contra mundi luxuriam, avaritiam, superbiam nihil nobis proderunt ad curationem et salutem? Tantane est vilissimi hominis superbia, ut ad eam curandam tanta opus fuerit altissimae maiestatis Dei humilitate, et adhuc nobis non satis fuerit? Si optimum et efficacissimum re-

242) Ms.: *Benevolentia.* 243) Ps 44, 3. 244) Mt 11, 29. 245) 1 Petr 2, 21. Vulg.: *Vobis relinquens*, etc. 246) Virg. *Aeneid.*, lib. 9, vr. 73. 247) Claudianus *De Quarto Consulatu Honorii*, vrr. 298-299. 248) Cf. 2 Rg 15, 30.

medium nihil nobis prodest, desperata est salus nostra, actum est de nobis.

O nos infelices! Quibus enim Christi passio non est salutis remedium, quid aliud est nisi infernalium poenarum et suppliciorum imago? Talia nanque tantaque Christus passus est hodie, quia traditus est, sicut Iob,[249] satanae potestati: *Si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet?*[250] Passio Christi acerbissima nonnisi imago quaedam extitit poenarum et suppliciorum quae homo, peccatorum pondere gravatus et in morte a mundo hoc in infernum lapsus, passurus est a satana, crudelissimo humani generis hoste, omnibusque infernalibus daemonibus.

sed quibus non est salutis remedium, erit infernalium poenarum praenuncium et imago;

Sustinere voluit Dominus hodie tam dira supplicia pro homine peccatore, ut a poenis aeternis servatus perpetua felicitate et gloria donaretur in coelo. Si tamen velit a diaboli partibus ad Dei partes transire et liberari a dura servitute et tyrannica satanae captivitate; Deus enim ad salutem neminem cogit, neque enim aliquem Hebraeorum coegit ut ex Aegypto exiret a captivitate liber.

nam Christus passus est ut omnes salvi fiant, sed Deus nolentem non salvat.

XIV. Adhuc vero modus passionis Christi quam maxime consistit in qualitatibus animi ipsius Christi. Passus enim est v o l u n t a r i e, sicut Abraham obtulit voluntarie dilectissimum filium Isaac, ut Deo obediret:[251] *Oblatus est quia ipse voluit;*[252] *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam?*[253] Hinc nihil restitit Iudaeis comprehendentibus, non fugit, sed obviam illis ivit, sicut Eliseus militibus regis Syriae eum quaerentibus ad comprehendendum eum tanquam regis inimicum.[254]

Considerandae sunt etiam dispositiones animi Christi patientis: passus est enim a) voluntarie,

Passus est p a t i e n t i s s i m e, sicut Iob qui in omnibus adversitatibus suis *non peccavit labiis suis neque stultum quid contra Deum locutus est,*[255] sed servavit innocentiam suam.[256] Sic Christus patientissime omnia sustinuit: *Non aperuit os suum,*[257] virili, forti, constantissimo animo et corde pertulit tormenta acerbissima, sine ira, sine indignatione, absque ulla animi impatientia,[258] sine querelis et

b) patientissime,

249) Cf. Iob 1,8-2, 1-7. 250) Lc 23, 31. 251) Cf. Gn 22, 1 sqq. 252) Is 53, 7. 253) Io 18, 11. *Vis ut* subiungitur in aliquibus codicibus. Cf. *Biblia Lovaniensis*; Eb. Nestle *Novum Test.*, h. l. 254) Cf. 4 Rg 6, 18-19. 255) Iob 1, 22. 256) Cf. ibid. 2, 3. 257) Is 53, 7. 258) Ms.: *Impotentia*.

lamentationibus, sine clamoribus, vocibus, lacrimis et feminilibus eiulatibus ac si caro ipsius lapidea fuisset sicut petra in deserto, vel aenea sicut aeneus serpens a Moyse exaltatus.

c) hilariter,

Passus est h i l a r i t e r, cum gaudio animi; nam *hymno dicto,* [259] *egressus est cum discipulis suis.* [260] Hymnus autem laus Dei est cum cantico. Cecinit magnum Hebraeorum *alleluiah,* quod canebant in pascha cum iubilo sex psalmos canentes [261] a primo versu *Psalmi 112* usque ad postremum versiculum *Psalmi 117,* quod etiam nunc servant Hebraei, dum festum celebrant azymorum. Egit Christus in passione sua sicut Ionas qui non solum voluntarie proiectus fuit in mare, sed etiam hilariter, nam de ventre piscis cecinit canticum Domino; [262] et tristitiam, quam in horto pertulit, voluntarie pro nobis assumpsit, sicut in morte Lazari ipse turbavit semetipsum et lacrimatus fuit. [263]

d) magna caritate qua nulla maior,

Tandem, passus fuit cum m a g n a c a r i t a t e magnoque desiderio patiendi pro nobis multo maiora. Hoc enim est quod ait in cruce: *Sitio.* Ardentem hanc caritatem in horto ostendit, dum sanguinem sudavit. [264] Sudor enim ex magno calore provenit, et sicut aqua ad magnum calorem ignis ebulliens extra vas effunditur, ita accidit Christo. Ostendit divinam caritatem suam Christus orans pro inimicis suis: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* [265] Fuit caritas Christi vere talis, qualem S a l o m o n descripsit dicens: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio; lampades eius lampades ignis atque flammarum. Aquae multae non poterunt extinguere caritatem, nec flumina obruent eam;* imo, *si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam,* [266] idest nihil sibi dedisse videtur; sicut Iacob pauci visi sunt dies servitutis pro Rachele, quia ardenter diligebat eam. [267]

omnia spernens, vitam quoque ipsam, pro amore nostri.

Insuperabilis fuit caritas Christi. Nam si P a u l o dicere licuit: *Quis ... nos separabit a caritate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? ... Nulla creatura poterit separare nos a caritate Dei, quae est in Christo Iesu;* [268] quanto magis de [caritate] Christi erga nos existimandum

259) Mt 26, 30; Mc 14, 26. 260) Io 18, 1. 261) Tob 13, 12: *Per vias eius* (Ierusalem) *alleluia cantabitur.* 262) Cf. Ion 1, 1-2, 3-10. 263) Cf. Io 11, 33. 35. 264) Cf. Lc 22, 44. 265) Ibid. 23, 34. 266) Ct 8, 6-7. Cf. supra, not. 65, pag. 512. 267) Cf. Gn 29, 20. 268) Rom 8, 35-39. Vulg.: *Nec creatura alia poterit nos separare,* etc.

hoc est? Si omnes tenebrae mundi non possunt extinguere lumen lunae in coelo, quomodo lucem solis extinguent? O magnam, o ineffabilem, o vere incomprehensibilem Christi caritatem! Vere ait Apostolus: *Scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi!* [269] Supereminet enim omni scientiae et cognitioni etiam sanctorum Angelorum.

Multa sunt quae homo magni facit in mundo: fortunas, amicos, parentes, fratres, filios, honorem, corporis integritatem, lucem oculorum, mentem atque iudicium ac tandem vitam propriam. His omnibus Christus hodie salutem nostram longe anteposuit. [270]

269) Eph 3, 19. 270) Desinit in fine f. 157a, et alba relicta reliqua parte, transitur ad f. 158a, ubi incipit sequens Brevis Allocutio.

BREVIS ALLOCUTIO

Passio Domini Nostri Iesu Christi. [1]

Moestissima et lacrimabilis tragoedia passionis Christi hodie consideranda proponitur.

I. Flebilis et moestissima tragoedia passionis et mortis unigeniti Filii Dei proponitur hodie, vere amaris lacrimis digna; tragoedia in qua depinguntur summi principis regisque gloriae Christi calamitates, cum tristissimo exitu mortis; in qua traducuntur principes Iudaeorum et pontifices; reges: Herodes et Pilatus; divini heroes diique coelestes: Angeli et Deus ipse. Tragoedia quinque actibus distincta, quoniam passus est multa Christus in horto, in domo Caiphae, in domo Herodis, in domo Pilati et tandem in Calvario. Et quinque sunt quae Christum hodie adduxerunt ad mortem crucis: caritas Patris: *Sic... Deus dilexit mundum;* [1a] obedientia Filii: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis;* [2] avaritia Iudae ex opere satanae, qui intravit in eum; [3] invidia et ingratitudo Iudaeorum, ac tandem iniustitia Pilati.

quinque mysteriis distincta.

Sunt etiam quinque mysteria singularia passionis: oratio in horto, flagellatio, coronatio, baiulatio crucis, lata contra eum mortis sententia, ac tandem crucifixio. Et quidem tragoedia haec passionis Christi hodie multis lacrimis honorata fuit. Nam sequebantur eum mulieres, *quae plangebant et lamentabantur eum,* [4] quibus Christus ait: *Filiae Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete.* [5] Sic vaticinatum fuerat: *In die illa erit planctum magnum in Ierusalem,* [6] *et plangent eum planctu quasi super unigenitum et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.* [7]

1) Cf. Miss. Rom. Feria Sexta in Parasceve. Titulum « Brevis Allocutio » et sequentem « Alia Allocutio » nos adiecimus. 1a) Io 3, 16. 2) Phil 2, 8. 3) Cf. Io 13, 27. 4) Lc 23, 27. 5) Ibid. vr. 28. 6) Zach 12, 11. 7) Ibid. vr. 10.

Christus in horto differens valde apparet ab eo quod apparuit in monte Thabor: tunc enim gloria divinitatis eius refulsit,

II. Primus actus moestissimae huius tragoediae in horto. Bone Deus, quam differens apparet hodie Christus in horto ab eo quod apparuit in monte Thabor in die gloriosae transfigurationis suae, quando *resplenduit facies eius sicut sol!* [8] Hodie autem divinus iste sol eclipsatus est, sicut hodie, ipso moriente, sol obscuratus est. [9] Et quidem divinissimi huius solis Christi septem sunt in Sacris Litteris splendidissimi radii : radius gloriae, qui in transfiguratione resplenduit ; radius potentiae, qui in miraculorum operatione ; radius sapientiae, qui in praedicatione Evangelii ; radius sanctitatis, in Sacramentorum institutione, in iustificatione peccatorum ; radius innocentiae divinae, in baptismo, quando in Iordane Spiritus Sanctus sicut columba in eum descendit et vox Patris intonuit : *Hic est Filius meus dilectus,* [10] quando a Ioanne *Agnus Dei* est appellatus, [11] in deserto etiam, quando, superata omni tentatione, *accesserunt Angeli et ministrabant ei;* [12] radius divinae maiestatis, qui in die palmarum, quando tanquam Rex divinus verusque Messias cum triumpho ingressus fuit in Ierusalem ; [13] ac tandem radius divinae caritatis, qui vel maxime resplenduit in Incarnatione et in divinissimi Sacramenti Corporis et Sanguinis sui institutione.

nunc autem quasi obscurata cernitur eius potentia,

Divini autem huius solis radii omnes hodie extincti videntur, praeter radium caritatis et amoris divini erga nos, nam ex amore et ardenti salutis nostrae desiderio passus est omnia. Extinctus est radius gloriae et beatitudinis suae in horto, nam: *Coepit pavere et taedere,*[14] *contristari et moestus esse . . . Tristis est anima usque ad mortem;* [15] radius potentiae, quoniam comprehensus et ligatus crucifixusque est, quanquam, priusquam radius iste extingueretur, hodie emisit tres veluti coruscantes splendores, dum prostravit milites qui venerant ad comprehendendum eum, [16] restituit auriculam Malcho [17] et in cruce miracula edidit. [18] Extinctus visus est radius sapientiae, quoniam tanquam stultus illusus est ab Herode [19] et coram Pilato nihil respondit ad ea quae [20] sibi obiciebantur, [21] tanquam nesciret defendere seipsum ; radius divinae sanctitatis, nam in domo Caiphae illusus est


sapientia et sanctitas,

8) Mt 17, 2. 9) Cf. Lc 23, 45. 10) Mt 3, 17 ; Lc 3, 22. 11) Io 1, 29. 12) Mt 4, 11. Vulg. : *Angeli accesserunt*, etc. 13) Cf. ibid. 21, 1-9 ; Mc 11, 1-10 ; Lc 19, 29-38 ; Io 12, 12-13. 14) Mc 14, 33. 15) Mt 26, 37-38. 16) Cf. Io 18, 6. 17) Cf. Lc 22, 50-51 ; Io 18, 10. 18) Cf. Mt 27, 45-53 ; Mc 15, 33-38 ; Lc 23, 44-45. 19) Cf. Lc 23, 7-11. 20) Ms.: *Qui*. 21) Cf. Mt 27, 12-14 ; Mc 15, 4-5 ; Io 19, 9.

innocentia et maiestas, et maxime eius gloria et beatitudo.

tanquam falsus propheta[22] et accusatus tanquam seductor populi et reus criminis laesae maiestatis coram Pilato;[23] radius innocentiae, quoniam damnatus est publica iustitia utriusque fori ad mortem crucis cum latronibus, tanquam scelerosus;[24] et radius etiam maiestatis, quoniam in ludibrium usurpati regii nominis, in atrio Pilati coronatus fuit spinis,[25] et tandem, crucifixus, turpissimo mortis genere extinctus fuit. In horto autem quam maxime extinctus videtur radius divinae gloriae et beatitudinis Christi.[26]

22) Cf. Mt 26, 67-68; Mc 14, 65; Lc 22, 63-65. 23) Cf. Lc 23, 5; Io 19, 12. 24) Cf. Mt 17, 18; Mc 15, 27; Lc 23, 32; Io 19, 18. 25) Cf. Mt 27, 30; Mc 15, 17; Io 19, 2. 26) Desinit in principio f. 158ª, et alba relicta reliqua parte, transitur ad f. 159ª, ubi incipit Alia Allocutio.


Apprehendit pilatus Iesum. et flagellavit

FACSIMILE SCRIPTURAE S. LAURENTII TERTIA PARTE DIMINUTAE

ALIA ALLOCUTIO

Apprehendit Pilatus Iesum et flagellavit. [1]

I. Cum Dominus, postquam in horto comprehensus, ligatus tanquam latro, ductus fuit ad Annam primum et inde ad Caipham multaque per totam noctem passus fuisset in domo Caiphae, multa in domo Herodis, multas corporales poenas pati coepit in domo Pilati: *Apprehendit Pilatus Iesum et flagellavit*, dicens: *Corripiam... eum* [2] et *emendatum... dimittam.* [3] In domo Caiphae alapam a ministro accepit, [4] deinde tota nocte ministris ludibrio fuit tanquam falsus propheta, postmodum illusus ab Herode cum universo exercitu suo indutus veste alba, [5] postea flagellatus. [6] Fuit autem Christus flagellatus animo flagellis linguarum, facie flagellis alaparum colaphorum et sputorum, ac tandem toto corpore flagellis scuticarum et loris.

Considerantur quae in domo Annae, Caiphae, Herodis et Pilati Christus pertulit, praesertim flagellatio.

Flagellatus, inquam, primum fuit flagellis linguarum. Magnum est et asperum valde flagellum malae linguae: *A flagello linguae absconderis et non timebis calamitatem cum venerit*, legimus in libro *Iob.* [7] Hoc flagello caesus fuit Dominus a Iudaeis in vita, dum per contemptum dicebatur *filius fabri,* [8] *homo vorax, potator vini, publicanorum et peccatorum amicus,* [9] *samaritanus et daemonium habens;* [10] dum calumniabatur in Beelzebub eicere daemonia, [11] *homo peccator,* [12] *seductor* plebis, [13] et alia multa id genus. Sed praecipue in passione sua flagellatus fuit in domo Caiphae, primo quidem falsis testimoniis, nam: *Multi... falsa testimonia dicebant adversus eum,* [14] imo princeps

Flagellatus enim fuit flagellis linguarum,

1) Io 19, 1. 2) Lc 23, 22. 3) Ibid. vr. 16. 4) Cf. Io 18, 22.
5) Cf. Lc 23, 11. 6) Cf. Mc 15, 15; Io 19, 1. 7) 5, 21. 8) Mt 13, 55.
9) Ibid. 11, 19; Lc 7, 34. 10) Io 8, 48. 11) Cf. Mt 12, 24; Lc 11, 15.
12) Io 9, 24. 13) Cf. Mt 27, 63; Io 7, 12. 14) Mc 14, 56. Vulg.: *Testimonium falsum dicebant*, etc.

ipse *sacerdotum et omne concilium quaerebant* adversus eum *falsum testimonium.*[15] Secundo, flagellis blasphemiarum, nam: *Multa blasphemantes dicebant in eum*[16] ministri Iudaeorum per totam noctem. Tertio, flagellis iniquae sententiae; nam, cum adiuratus Dominus ab iniquo pontifice per Deum vivum, ut diceret an ipse esset Messias Filius Dei et dixisset Dominus: *Ego sum*, exclamavit iniquitatis iudex dicens: *Blasphemavit: quid adhuc egemus testibus? Ecce vos audistis blasphemiam.*[17] At illi *omnes condemnaverunt eum esse reum mortis;*[18] quod etiam summo mane, iterum coacto pleno concilio sanhedrim, fecerunt.[19] Hic etiam flagellatus fuit Dominus flagello linguae Petri, qui ter abnegavit eum fidemque ipsius etiam cum iuramento et anathemate abiuravit.[20] Flagellatus in domo Pilati falsis calumniis et accusationibus: *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram et prohibentem tributa dari Caesari et dicentem se Christum regem esse.*[21] Iisdem flagellis caesus in domo Herodis, coram quo *stabant principes sacerdotum et scribae constanter accusantes eum;*[22] iterumque in domo Pilati falsis calumniis et accusationibus caesus fuit: Accusaverunt *eum summi sacerdotes in multis;*[23] *Et cum accusaretur a principibus sacerdotum et senioribus, nihil respondit, ... ita ut miraretur praeses vehementer.*[24] Facies etiam Christi in domo Caiphae multis percussa fuit alapis colaphisque et sputis deturpata.[25] Linguarum etiam flagella in cruce passus est Dominus, cum illudebant ei principes scribae et Pharisaei: *Vah, qui destruis templum Dei ... salvum fac temetipsum;*[26] *Christus rex Israel,*[27] *salvum te fac;*[28] *Si Filius Dei est, descendat nunc de cruce.*[29] Magnum etiam flagellum linguarum, cum coram Pilato petierunt ut dimitteretur Barabbas latro, clamantes omnes ut Christus crucifigeretur: *Crucifige eum.*[30]

blasphemiarum, et iniquae sententiae, negationis Petri et falsarum accusationum,

Postea vero perpessus fuit toto corpore flagella scuticarum. Non enim virgis caesus fuit Dominus, sed loris, quae turpior erat poena multoque maiori cum iniuria, quoniam nonnisi vilissima mancipia ob furta et male facta flagellabantur. Paulus apostolus pro Christo

et tandem loris et scuticis,

15) Mt 26, 59. 16) Lc 22, 65. 17) Mt 26, 65. 18) Mc 14, 64. 19) Cf. Mt 27, 1; Mc 15, 1. 20) Cf. Mt 26, 69 sqq.; 21) Lc 23, 2. Sic legitur in aliquibus codicibus. Cf. Eb. Nestle *Novum Test.*, h. l. Vulg.: *Dare Caesari*, etc. 22) Ibid. vr. 10. 23) Mc 15, 3. 24) Mt 27, 12-14. 25) Mt 26, 67; Mc 14, 65. 26) Mt 27, 40; Mc 15, 29-30. 27) Mc 15, 32. 28) Lc 23, 37. 29) Mt 27, 42. Vulg.: *Si rex Israel est*, etc. 30) Cf. Mt 27, 21-23; Mc 15, 11-15; Lc 23, 18-23; Io 18, 40.

utranque poenam sustinuit: *A Iudaeis quinquies quadragenas una minus accepi; ter virgis caesus sum.* [31] Virgis castigabantur liberi, flagellis autem servi.[32] Viros Romanos flagellare non licebat, Portia enim lege a poena hac exempti erant. [33] Hinc legimus, cum Paulus iussu tribuni alligatus esset lorisque astrictus ut flagellaretur, cognito quod civis Romanus esset, dimissus fuit a tribuno, qui etiam timuit eo quod alligasset eum. [34] Alibi etiam in *Actis* legimus quod, cum virgis caesus fuisset a magistratibus, cognito quod Romanus esset, timuerunt valde magistratus. [35]

quod erat supplicii genus infamissimum,

Christus autem flagellatus fuit non more Iudaeorum, quibus ex legis praescripto in *Deuteronomio* non licebat excedere numerum quadraginta plagarum, [36] unde Paulus *quinquies quadragenas una minus* accepit, sed Romanorum more flagellatus fuit, magno numero accepto plagarum toto corpore. Quare gravissima illata fuit Christo iniuria ratione tum corporalium plagarum tum dedecoris et ignominiae. Sic homo hebraeus percussus fuit ab aegyptio, [37] sic praefectus operum flagellatus a ministris Pharaonis, [38] sic petra percussa in deserto, [39] sic Iob a satana flagellatus et pessimo ulcere percussus. [40] Sic ait: *Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus;* [41] sic: *Fui flagellatus tota die et castigatio mea in matutinis;* [42] sic: *Congregata sunt super me flagella, et ignoravi.* [43]

non observata praescriptione legis.

Flagella nonnisi peccatoribus debentur: *Multa flagella peccatoris.* [44] Ob id enim flagellavit Deus domum Pharaonis et domum Abimelech propter Saram uxorem Abrahae; [45] sic multis plagis flagellavit Aegyptum. [46] Iusto autem, qui sine peccato est, dicitur: *Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo, quoniam Angelis suis mandavit de te.* [47] Christus autem sic flagellatus est, quod *a planta pedis usque ad verticem* capitis non remansit in eo integritas. [48] Unde ait Isaias: *Vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scien-*

Omnia flagella Christus pertulit, ut se exhiberet victimam omnium peccatis oneratam eaque expiantem.

31) 2 Cor 11, 24-25. 32) Cf. Emilius Macer *De Publicis Iudiciis*, lib. 2, in ff., lib. XLVIII, tit. 19, cp. 10; Hermogenianus apud Laurentium Pignorium *De Servis*, cp. 2, pag. 7-8. 33) Cf. Cicero *in Verrem*, lib. 5, t. 2, col. 291; *pro Rabirio*, ibid. col. 435. 34) Cf. Act 22, 24-29. 35) Cf. ibid. 16, 37-39. 36) Cf. 25, 2-3. 37) Cf. Ex 2, 11. 38) Cf. ibid. 5, 14. 39) Cf. ibid. 17, 6; Nm 20, 11. 40) Cf. Iob 2, 7-8. 41) Is 50, 6. 42) Ps 72, 14. 43) Ps 34, 15. 44) Ps 31, 10. 45) Cf. Gn 12, 17; 20, 1 sqq. 46) Cf. Ex 7, 1-10, 1-15; 12, 20. 47) Ps 90, 10-11. 48) Is 1, 6.

tem infirmitatem: et quasi absconditus vultus eius et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit, ... nos autem putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostrae super eum. [49]

II. *Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius, et veste purpurea circumdederunt eum.* [50]

Fragmentum de Christi spinea coronatione;

Arca Testamenti Domini coronata fuit aurea corona [51] et virga Dei reposita fuit iuxta eam, [52] tanquam sceptrum et virga regia; quae etiam, cum movenda erant castra, involvebatur in velo sanctuarii, quod purpureum erat. [53]

III. *Et baiulans sibi crucem exivit in eum qui dicitur Calvariae locum, hebraice autem,* etc. [54]

Fragmentum de itinere Christi ad Calvarium;

Ecce virga a Deo Moysi data, ut cum ea contra Pharaonem pugnaret, [55] ecce baculus cum quo patriarcha Iacob Iordanem transivit, [56] virga David cum qua in arenam descendit contra Goliam; [57] ecce Isaac deferens super humeros suos ligna holocausti. [58] Postquam iniquus iudex Pilatus tulit contra Christum iniquissimam mortis sententiam, Christus crucem sibi baiulavit. [59] Sic enim moris erat, ut ex Plutarcho licet intelligere in libro de *Sera Numinis Vindicta*: « Quemadmodum, inquit, facinorosus quisque ultimo affligendus supplicio corpore suo propriam fert crucem, ita improbitas in seipsa supplicium sibi ipsi struit ». [60]

IV. *Ubi crucifixerunt eum et cum eo alios duos hinc et hinc, medium autem Iesum.* [61]

Fragmentum de Christi crucifixione.

En tandem Isaac ligatus *super struem lignorum,* [62] en serpens aeneus a Moyse in deserto exaltatus, [63] en agnus paschalis immolatus [64] et iustus Abel ab impio Caino crudeliter occisus. [65]

49) Ibid. 53, 2-5. Vulg.: *Et nos putavimus eum,* etc. Desinit post medium f. 159ᵇ, et alba relicta reliqua parte, transitur ad f. 160ᵃ. 50) Io 19, 2. 51) Cf. Ex 25, 11; 37, 1-2. 52) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. 53) Cf. Ex 36, 35; Nm 4, 5-6. Alba relicta reliqua parte folii, transitur ad f. 161ᵃ. 54) Io 19, 17. 55) Cf. Ex 4, 2. 17. 56) Cf. Gn 32, 10. 57) Cf. 1 Rg 17, 40. 58) Cf. Gn 22, 6. 59) Cf. Lc 23, 26; Io 19, 17. 60) Pag. 363. Alba relicta reliqua parte folii, transitur ad f. 162ᵃ. 61) Io 19, 18. 62) Gn 22, 9. 63) Cf. Nm 21, 8-9. 64) Cf. Ex 12, 1 sqq. 65) Cf. Gn 4, 8.

INDEX

SYNTHETICO - ANALYTICUS

INDEX SYNTHETICO-ANALYTICUS
PRIMI QUADRAGESIMALIS

FERIA QUARTA CINERUM

I. Agit hodie Christus de homine spirituali, christiano, ad cuius formationem requiruntur tum corporales tum spirituales virtutes. — II. Ad vitam spiritualem ieiunium necessarium est. — III. Mortificatio carnis necessaria est ad salutem, sicut docent D. Paulus et ipse Christus. — IV. Post peccatum caro contra spiritum calcitrat; ideo in primis caro rebellis expugnanda est variis poenitentiae operibus et divino auxilio. — V. Ut ieiunium salutare sit requiritur animi sanctitas qua homo terrena spernat et sola coelestia appetat. — VI. Ad formationem hominis spiritualis requiruntur etiam virtutes internae et animus a corporalibus cupiditatibus purgatus. — VII. Requiritur insuper vera boni et mali cognitio. Docet Dominus hodie virtutem unicam viam esse ad salutem . . . . Pag. 1–13

FERIA QUINTA CINERUM

I. Christus miratur centurionis fidem. — II. Haec centurionem fecit primitias Christi ex Gentibus et christiani hominis typum. — III. Fides gratia una est, sed virtute multiplex, sicut anima rationalis una substantia, sed cum multiplici virtute. — IV. Fides est essentialis forma hominis christiani, sed fides vera, viva, operosa, quae causa est iustificationis et vitae aeternae. — V. Fides haec centurionem Christo appropinquare fecit per caritatem, pietatem, publicam Christi divinitatis confessionem, magnam sui ipsius humilitatem et erga proximum amorem. — VI. Magnus thesaurus est fides, sed valde rarus. Vera fides cum caritate et bonis operibus coniungitur. — VII. Ex multis dignoscuntur in hodierno Evangelio pretium et splendor virtutis. — VIII. Maximum virtutis bonum elucet in statu innocentiae in paradiso terrestri, in statu gratiae in Ecclesia, in statu gloriae in coelo, dum, e contra, in statu culpae summa reperitur infelicitas. — IX. Plurimum a Deo virtus laudatur et remuneratur in hoc mundo et in coelo. — X. Apud homines quoque magnae sunt virtutis laus et potestas . . . . Pag. 14-27

FERIA SEXTA CINERUM

I. Datur hodie a Christo lex perfectae caritatis, quae signum est electorum eius. — II. Tria in electis suis Christus requirit: fidem, iustitiam, caritatem; hanc dixit singulare discipulorum suorum insigne. — III. Caritas via salutis est, cum radix et fundamentum sit omnium virtutum, ideo omnibus praeponitur, et hanc primo Deus praecipit et haec sola nos Deo similes facit. — IV. Nemo cognoscit an in caritate sit, nisi per divinam revelationem; signum tamen perfectae caritatis est dilectio inimici, quia Deus hanc praecipit, et quidem praecepto legis naturalis, mosaicae et evan-

gelicae. — V. Lex evangelica, perfectior cum sit naturali et mosaica, maiorem sanctitatem requirit et perfectiorem caritatem. — VI. Coeleste regnum cupientibus praeceptum hoc durum esse non potest, cui infinitum praemium promissum est. — VII. Praeceptum diligendi inimicos quamvis asperum videatur, dulcissimum tamen est et utilissimum. Solos spirituales inimicos odisse praecipimur. — VIII. Adhuc perfectior ostenditur lex evangelica lege mosaica, quia clara et facilis est, summe vera, summe sancta. — IX. Lex mosaica vera erat, sed obscura et imperfecta; lex evangelica autem purissima et perfectissima est; impossibilia non iubet, sed perfecta. Pag. 28-41

ALIA HOMILIA

I. De caritate agit hodiernum Evangelium. Caritas necessaria est ad salutem, sed supernaturalis, inimicos quoque amplexans. — II. Haec nos Deo vere similes reddit. Caritas in S. Scriptura ignis inextinguibilis dicitur. — III. Caritas Dei erga nos vere ignis est inextinguibilis; sic et caritas Christi. Vera caritas in tribulationibus gaudet, vel patienter sustinet, quia tribulationibus peccata purgantur et virtus probatur . . . . Pag. 41-45

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMAE

I. Proponitur in hodierno Evangelio Christus vitae christianae divinum exemplar, manifestum et clarum. — II. Homo ad imaginem Dei conditus fuit ut esset mundi dominus et factoris sui virtutes imitaretur. — III. Vita christiana a Baptismo incipit, quo christiani sub ducatu Christi constituuntur, quem sequi debent per veram eius virtutum imitationem. — IV. Principium vitae christianae est a Spiritu Sancto regi: ieiunio etiam fulcitur, sicut Christus suo exemplo et omnes Sancti docuerunt. — V. Vita christiana tentationibus quoque probatur, sicut patet in Christo, qui de omni tentatione triumphavit scuto fidei et ense verbi Dei. — VI. Elucent etiam in hodierno Evangelio effectus gratiae in homine iusto, eiusque nobilitas. — VII. Exhibetur etiam antithesis inter Christum in deserto et Adam in paradiso . . . . Pag. 46-55

ALIA HOMILIA

I. Magnum mysterium poenitentia et tentatio Christi in deserto, qui verus Deus erat et consubstantialis Filius Dei. — II. Sed poenitentiam agit ut expiaret pro peccatis nostris. — III. Christus typus est hominis christiani, et typus quidem perfectissimus, in omnibus imitandus . . Pag. 56-60

FERIA SECUNDA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE

I. Proponuntur in hoc Evangelio praemia virtutum et vitiorum. — II. Specialiter ostenditur iudicis summa auctoritas, aequitas, potentia et sapientia. — III. Apparatus divini iudicii spectaculum erit iucundissimum ob gloriam iudicis, et terrificum ob infirmitatem naturae et conscientiam culpae. — IV. Nunc boni cum malis admixti sunt, sed in iudicio iusti a peccatoribus segregabuntur. — V. Illi ad praemium vocabuntur, isti ad poenam ibunt. Praemium dicitur a Christo benedictio, poena autem maledictio. — VI. Timor supplicii cohibere debet a peccato, spes praemii urgere ad virtutem. — VII. Ex signis quae Christus praenunciavit colligitur non longe abesse divinum iudicium. — VIII. Sola fides non salvat, nisi sit cum caritate et bonis operibus coniuncta. — IX. Hoc signum est infallibile aeternae praedestinationis . . . . Pag. 61-70

Alia homilia

I. Principale dogma fidei nostrae Christum omnium iudicem esse. — II. Tria potissimum iudici necessaria sunt: puritas animi, potestas et scientia. Plurima mysteria contemplanda proponuntur hodie. — III. Iudex divinus appellatur Rex ob plenissimam potestatem, Pastor ob perfectissimam scientiam, Filius hominis ob infinitam bonitatem. — IV. Pauci salvantur, quia causa reprobationis non est fidei defectus sed bonorum operum . . . . Pag. 71-75

FERIA TERTIA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE

I. Christus suo glorioso ingressu in Ierusalem manifestare voluit se verum esse Messiam. — II. Regem se ostendit et verum Salvatorem mundi multo iam tempore desideratum. — III. Quia regnum eius non est de hoc mundo, pauper apparuit, sed revelatur etiam propheta magnus et verus Deus. — IV. Magnitudo gloriae Christi immensa est, sed maxime in operibus iustitiae et misericordiae, quia ipse est rex omnipotens et clementissimus. — V. Christus vocatus est Iesus quia mundi Salvator et pro mundi salute a Deo missus fuit, licet non omnes salvi fiant. — VI. Soli veri fideles salvantur. — VII. Qui salvi esse volunt opera misericordiae et iustitiae in se coniungere debent, quia vera religio cum peccatis non convenit . . . . . Pag. 76-85

Alia homilia

I. Manna Christum praefigurabat verum Deum gloriae. — II. Omnes categoriae praedicantur de Christo in S. Scriptura, sed explicari non potest quid sit Christus quia essentia eius ineffabilis est. — III. Christum cognoscere vera sapientia est et vita christiana . . . . . . Pag. 86-91

FERIA QUARTA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE

I. Christus acriter hodie arguit Iudaeos ab eo signa petentes. — II. Ex malignitate petebant quod necessarium non erat, Christus enim fide dignissimus erat. — III. Fides fundamentum est omnium virtutum, incredulitas radix omnium malorum. Pharisaei non exaudiuntur quia non serio, sed tentantes signa petebant. — IV. Pessimi incredulitatis fructus exponuntur. — V. Item admirabiles fructus fidei. — VI. Multa media ad salutem instituta sunt, naturalia et supernaturalia. — VII. Signum quod Christus promittit est eius resurrectio et mundi conversio ad fidem; haec testantur eius divinitatem et fidei veritatem. — VIII. Moyses fuit verus Dei propheta; Christus autem princeps Prophetarum, quia divinitatem suam miraculis certissimis confirmavit. — IX. Verus Messias ostenditur Christus ex ipsis suis praedictionibus et ex vaticiniis de eo factis et in eo impletis . . . . Pag. 92-104

Alia homilia

I. Miracula testimonium sunt veri prophetae, ideo Christus multa miracula fecit, sicut de eo praedictum fuerat. — II. Miracula ad fidem necessaria non sunt, sed utilissima; hinc Christus multa fecit circa creaturas spirituales, corporales et homines. — III. Ex his alia impossibilia erant naturae quoad modum, alia vero etiam quoad factum; erant autem certa, multis testibus comprobata etiam martyrio. — IV. Miracula haec, si non ex facto, a modo tamen et fine probant Christum verum esse Messiam. — V. Multa miracula Christus egit etiam circa seipsum, praecipuum eius resurrectionem, quae clare probat eius divinitatem. — VI. Ad confirmandam missionem Moysi Deus tria tantum illi signa dedit; Christus autem innumera operatus est ut probaret se verum esse Messiam . . . . Pag. 105-111

FERIA QUINTA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE

I. Chananaea per fidem occurrit Christo. — II. Ostenditur magna virtus orationis ipsiusque excellentia, essentia et circumstantiae ut a Deo exaudiatur. — III. Oratio est accessus ad Deum, adoratio, petitio divinae gratiae. — IV. Talis fuit oratio chananaeae, quam tamen Christus repellere videtur, sed ut eam magis donis coelestibus cumulet. — V. Precibus eius Christus renitentem se simulat ut ostendat qualem oporteat esse veram orationem. — VI. Ad veram orationem requiruntur fides, spes et fiducia in Deum, humilitas, sanctitas animae, vel saltem poenitentia, et tandem perseverantia. — VII. Talibus conditionibus praedita oratio a Deo semper exauditur, ut comprobatur in multis S. Scripturae factis. — VIII. Chananaea est imago animae sanctae et perfectae virtutis, et etiam Ecclesiae; in ipsa ostenditur potentia virtutis quae animam e vanitatibus ad Christum adducit . . . . Pag. 112-124

Alia homilia

I. Mulier creatura nobilissima est origine, fine et matrimonio. — II. Chananaea tamen a Christo laudatur ob solam virtutem; laudatur mater, quia utilissima familiae, non filia, quia iuvenes facile vanitatibus mundi seducuntur. — III. Chananaea a vitiis mundi egrediens et ad Christum veniens, facta est verum exemplar mulieris christianae . . . . Pag. 124-128

FERIA SEXTA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE

I. Miserabile spectaculum exhibet piscina evangelica et mirabile simul, mirabilius autem ob miraculum a Christo patratum. In ea ostenduntur effectus tum peccati tunc gratiae. — II. Peccatum omnium malorum causa est. — III. Piscina mundum figurat tot malis repletum, ad quae auferenda Christus venturus erat. — IV. Quamvis homo nunc miseriis obnoxius sit, non ideo Christus dicendus est imperfectus salvator, quia primo et principaliter salvator est animarum; in fine glorificabit etiam corpora fidelium. — V. Pauci sunt qui salvantur, quia ad iustificationem requiritur non tantum gratia Dei, sed etiam cooperatio voluntatis nostrae. — VI. Multa mysteria elucent in hac piscina, sed praecipue mysterium iustitiae et misericordiae Dei erga hominem. Pag. 129-140

Alia homilia

I. Elucent in piscina evangelica mirabiles effectus gratiae et miserabiles effectus peccati. — II. Ex hodierni Evangelii enarratione ostenduntur nobilitas et potentia angelicae naturae. — III. Sed maior Angelo Christus qui sua virtute multa mirabilia operatus est. Peccatum omnium malorum causa fuit. — IV. Christus hominem Deo reconciliavit peccatum auferendo et gratiam per Sacramenta restituendo . . . . Pag. 141-144

DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMAE

I. Ostenditur gloria Christi tanquam exemplar futurae gloriae nostrae, qui apparet hodie luce solari indutus ad significandam eius divinitatem, et gloriam aeternam in coelo. — II. Gloria paradisi ineffabilis est. — III. Gloria paradisi est praemium virtutis. Iustis et fidelibus etiam in hoc mundo datur praemium, idest beatitudo spiritus, quae ideo in S. Scriptura semper cum virtute coniungitur. — IV. Tamen et si nullum daretur praemium in hac vita, futurum in coelo tale est ut omnes poenas affluenter superet. Sed ad hoc consequendum virtute opus est et Christi imitatione. — V. Sed pauci sunt qui Christum vere sequuntur iuste et sancte vivendo. — VI. Christus est Rex aeternus et universalis . . . . Pag. 145-156

Alia homilia

I. Sol hieroglyphice designat duodecim mysteria gloriae Christi. — II. Praecipue per Christi hodiernam transfigurationem significatur ineffabilis gloria paradisi. — III. Hodie Christus gloria coronatus revelatur Rex infinitae maiestatis et omnium perfectionum . . . . . . Pag. 157-161

FERIA SECUNDA DOMINICAE SECUNDAE QUADRAGESIMAE

I. Assignatur in hodierno Evangelio magnum discrimen inter Christum et mundum. — II. Saepe loquitur S. Scriptura de discrimine inter Deum et mundum, quod hodie Christus etiam declarat, sive mundus accipiatur pro universitate creaturarum sive pro universitate malorum. — III. Multis differt Christus a mundo sicut et Deus, sed praecipue ratione peccati. — IV. Deus maxime odit peccatum quia maximum malum est. — V. Christus de supernis esse dicitur quia Filius Dei naturalis nullum habens pondus peccati; illum imitari debemus ut peccata vitemus et ad superna cum eo extollamur. — VI. Peccatum Deum a nobis expellit et daemonium attrahit, multarum miseriarum causa est, praesertim aeternae mortis . . . . Pag. 162-172

Alia homilia

I. Magnum discrimen interest inter Deum et hominem ratione naturae, sed maxime ratione peccati; idem discrimen assignatur hodie inter Christum et mundum peccato infectum. — II. Peccatum est transgressio divinae legis, delictum capitale, quod Deus maxime odit. — III. Gravitas peccati eruitur ex ipsis effectibus temporalibus et aeternis . . . . Pag. 172-176

FERIA TERTIA DOMINICAE SECUNDAE QUADRAGESIMAE

I. Christus declaratur hodie verus et unicus universorum magister. — II. Non docet humanam scientiam sed divinam legem lege Moysi valde perfectiorem. — III. Lex Christi sanctissima est; intellectum illuminat splendore veritatis et voluntatem incendit ardore caritatis; ideo Christus dicitur sol, stella, virga, doctor iustitiae ob lucem et sanctitatem suae legis. — IV. Datur hodie primum evangelicae legis praeceptum : obedientia erga praepositos; hi tamen imitandi non sunt si opera eorum mala fuerint. — V. Lex evangelica requirit hominem recte ordinatum ad Deum, ad proximum et ad seipsum. — VI. Hodiernum Evangelium exhibet etiam compendium dogmatum circa Deum, Christum et Ecclesiam, quo magis demonstratur lex Christi lege Moysi perfectior. — VII. Ecclesia, quae regnum est Christi, suos magistratus habere debet quibus obediendum est. Inobedientia quam maxime Deo displicet. — VIII. Providet hodie Christus Ecclesiae suae optimos magistratus et sanctissimas leges . . . . Pag. 177-188

Alia homilia

I. Lex vetus sancta erat sed non perfecta, lex evangelica perfectissima. — II. Quoad legislatorem, materiam et scopum. — III. Sanctissimae leges et optimus magistratus regnum firmant et potens reddunt. Talis est lex et magistratus Ecclesiae . . . . Pag. 188-192

FERIA QUARTA DOMINICAE SECUNDAE QUADRAGESIMAE

I. Ierusalem ad quam Christus hodie ascendit, figura est coelestis ad quam per aspera ascendendum est. — II. In coelo diversi sunt gloriae gradus ad quam praeordinantur qui in hac vita Christum imitati fuerint. Securior anima est in via aspera quam in voluptuosa. — III. Hoc significavit

Christus exemplo et verbis. Passio Christi meditanda est et Christus dux noster sequendus. — IV. Inexcusabiles sumus si Christi doctrina et exemplis non movemur, qui enim de calice poenitentiae non biberit in hac vita, bibet in futura de calice irae Dei. — V. Si Christum pati oportuit, nos etiam pati oportebit, et non audiendus est satanas cuius via lata ducit ad perditionem. — VI. Voluptates mundi huius maxima impedimenta sunt ad salutem. — VII. Ideo stulta apostolorum petitio Christo displicuit; sed multi sunt qui a satana seducti quaerunt stulta, vana et perniciosa. — VIII. Homo terrenus terrena appetit quae in coelo nihil proderunt; Christus quae mala iudicantur elegit, quae summi pretii in coelo erunt . . . . . Pag. 193-205

ALIA HOMILIA

I. Attingit hodie Christus mysterium divinae praedestinationis. — II. Homo naturaliter beatitudinem desiderat, sed hanc non consequitur sine poenitentia et virtute. — III. Ideo Christus imitandus est, mundi voluptas fugienda et sanctae orationi instandum . . . . Pag. 205-208

FERIA QUINTA DOMINICAE SECUNDAE QUADRAGESIMAE

I. Omnes ad beatitudinem conditi non omnes eam sortiuntur; eam sortitus est Lazarus mendicus, sed non dives epulo, quia opera pietatis contempsit. — II. In mendico figuratur parvus numerus electorum, in epulone magnus reproborum, quia pauci sunt qui bona coelestia quaerunt, multi autem qui bona terrena appetunt. — III. Virtus est sola et vera nobilitas hominis christiani. — IV. In mendico et in epulone ostenditur duplex status vitae humanae in hoc mundo et in futuro. — V. Valde mundus fallitur virtutem spernens et voluptatem magni faciens; Deus enim omnia suis locis restituet. — VI. Divitiae per se malae non sunt, nec omnes divites reprobantur, sed qui divitiis abutuntur. — VII. In Lazaro et in divite ostenditur mors iustis porta paradisi, peccatoribus autem inferni; infinita quoque Dei iustitia contra iniquos et bonitas erga bonos. — VIII. Bona et mala in hoc mundo temporalia sunt, in futuro autem aeterna. — IX. Divites pereunt, sed avari, impii et immisericordes. In hoc mundo mala praeferenda sunt quia per ea poena inferni vitatur et bona aeterna in coelo comparantur . . . . . . Pag. 209-219

ALIA HOMILIA

I. In hodierno Evangelio septem mysteria continentur tum quoad divitem tum quoad mendicum. — II. Septem etiam quoad Deum. . . . . Pag. 219-222

FERIA SEXTA DOMINICAE SECUNDAE QUADRAGESIMAE

I. Ostenditur in hodierno Evangelio perversitas et ingratitudo Iudaeorum erga infinitam Dei bonitatem. — II. Sub figura vineae optime instructae synagoga proponitur, per servos Prophetae figurantur, per filium patrisfamilias Iesus Christus a Iudaeis occisus. — III. Ob tantam ingratitudinem erga Dei beneficia Christus futuram synagogae eversionem vaticinatur, ea tamen penitus destructa non fuit, sed in Ecclesiam transmutata. — IV. Sub hac parabola ostenduntur etiam maxima divinae bonitatis erga nos beneficia. Ingratitudo maxime concitat iram Dei. — V. Beneficia ingratis ablata Deus aliis elargitur. — VI. Perseverantia in peccato causa est infidelitatis, sicut patet in synagoga et ex historia haeresum. Talia exempla doctos nos facere debent. Pag. 223-232

ALIA HOMILIA

I. Significatur in hodierno Evangelio mysterium reprobationis Iudaeorum et electionis Gentilium. — II. Hac parabola significatur etiam magnitudo Dei, Christi et Ecclesiae, et copia divinorum beneficiorum erga synagogam. — III. Praecipue vero designatur impietas maxima et eversio miseranda synagogae Iudaeorum qui Prophetas persecuti sunt et Christum ipsum occiderunt. — IV. Ruinae synagogae adhuc remanent in signum divinae vindictae, in monumentum victoriae Christi, et in ostensionem periculi, ut vitetur iniquitas . . . . Pag. 233-239

DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMAE

I. Maxima inimicitia est inter Christum et satanam, et quidem essentialis. — II. Satanas a Deo e coelo expulsus hominem perdidit et in odium Dei semper persequitur, ideo maximis maledictionibus a Deo punitus fuit. — III. In prima maledictione contra serpentem significata fuit implacabilis inimicitia inter Messiam et satanam quam et ipse Christus hodie ostendit, inde probans se verum esse Messiam. — IV. Messias venturus erat ut idololatriam everteret et regnum Dei propagaret; ideo Christus contra satanam luctabatur. — V. Inimicitia haec inter Christum et satanam perpetua et acerrima est et multi sunt fautores utriusque partis. — VI. Qui partibus satanae favent crudelissime divexabuntur in novissimo. Qui Christi sunt sancte vivere debent . Pag. 240-248

ALIA HOMILIA

I. Duo regna proponuntur in hodierno Evangelio: Christi et satanae. — II. Satanas in homines crudelissimus est; Christus nonnisi in mundi salutem potentiam suam exercet. — III. Non tantum in paradiso sed et in hoc mundo Christus servos suos optime tractat, satanas autem servos suos crudelissime tractat in aeternitate et in praesenti. — IV. Et tamen non omnes Christum humanissimum principem habere volunt, sed multi satanam tyrannum crudelissimum sequuntur. Pag. 249-252

FERIA SECUNDA DOMINICAE TERTIAE QUADRAGESIMAE

I. Christus verum Dei prophetam hodie se ostendit. Capharnaum fidelem Gentium Ecclesiam figurabat, Nazareth infidelem synagogam. — II. Ex signis veri prophetae dignoscendus erat etiam Messias. — III. Haec signa Christus manifeste exhibuit. Synagoga erat vera Dei Ecclesia, sed quia Christo non credidit imo necem ei intulit, funditus eversa est. — IV. Miracula Christi certissima sunt, eius doctrina sanctissima, eius prophetiae veracissimae; ergo Christus est verus Messias per Eliam et Eliseum figuratus. — V. Non credebant in Christum Iudaei, quia expectabant Messiam gloria circumdatum tanquam regem, Christum autem humilem videbant, non legem Moysi docentem sed novam doctrinam. — VI. Christus salvat et perdit, sed nostrum est ut sit salvator. Pag. 253-263

ALIA HOMILIA

I. Capharnaum figura fuit Ecclesiae; Nazareth vero synagogae quae in Christum non credidit, et in hac caecitate nunc quoque persistunt infideles Iudaei. — II. Iustitia fundamentum est omnis felicitatis; sine fide autem iustitia esse non potest; sed vera fides in Ecclesia Christi tantum invenitur. Ergo vera est Ecclesia christiana et Christus verus Messias. — III. Si Christus falsus propheta fuisset, Iudaei eum occidendo non peccassent; at ex supplicio quo affecti fuerunt patet maximum fuisse eorum crimen. Ergo Christus verus propheta fuit . . . . . . Pag. 264-268

FERIA TERTIA DOMINICAE TERTIAE QUADRAGESIMAE

I. Peccatum unica causa est perditionis, ideo Deus omnes vult armatos contra peccatum et arma suppeditat. — II. Hodie a Christo etiam multa arma indicantur partim a natura, partim vero a supernaturali gratia. — III. Frater peccans suaviter corripiendus est, immisericors autem misericordiam non inveniet . . . . Pag. 269-277

ALIA HOMILIA

I. Ad destructionem peccati multa a Deo adhibita sunt remedia. — II. Tamen peccatum adhuc regn..t in mundo quia pro illo pugnant concupiscentia carnis, mundus et satanas . . . Pag. 278-281

FERIA QUARTA DOMINICAE TERTIAE QUADRAGESIMAE

I. Arroganter scribae et Pharisaei Christum arguunt de transgressione traditionum, eorum enim iustitia simulata erat. — II. Exhibetur in hoc Evangelio viva imago veri et falsi fidelis. — III. Ad eos dignoscendos praebentur signa. — IV. Haeretici contemnunt leges Ecclesiae ne videantur hypocritae, dum Christus reprobat solas traditiones humanas quae legibus divinis repugnant. — V. Adhuc multae recensentur notae hominis vere christiani . . . . Pag. 282-292

ALIA HOMILIA

I. Proponitur hodie disputatio Christi cum Pharisaeis qui eum arguebant quasi contemnentem traditiones maiorum. — II. Christus docuit eas tantum leges humanas contemnendas esse quae legibus divinis adversentur. — III. Triplex discrimen statuitur inter veros fideles et hypocritas, — IV. et inter leges humanas et divinas . . . . Pag. 292-296

FERIA QUINTA DOMINICAE TERTIAE QUADRAGESIMAE

I. Quod Christus hodie exivit de synagoga et domum Petri introivit, significavit synagogam relinqui et Ecclesiam institui, — II. quae per domum Petri hieroglyphice designatur. — III. Ecclesia est una et sancta, — IV. catholica et apostolica. — V. Per curas in domo Petri hodie a Christo factas figurantur beneficia Ecclesiae mundo per Sacramenta collata. — VI. Beneficia haec etiam in synagoga inveniebantur, sed Christus ea transtulit in Ecclesiam . . . . . Pag. 297-306

ALIA HOMILIA

I. Per domum Simonis in quam Christus ingreditur et ubi ostenditur auctor naturae et fons gratiae, Sancta Ecclesia designatur, — II. in qua Christus Cor suum posuit et totum seipsum dedit in Eucharistiae sacramento. — III. Est Christus in Ecclesia veluti medicus sanans omnem infirmitatem spiritualem. — IV. Curando socrum Simonis ab Apostolis rogatus Christus ostendere voluit infinitam virtutem suam et potentiam intercessionis Sanctorum. . . . Pag. 306-310

FERIA SEXTA DOMINICAE TERTIAE QUADRAGESIMAE

I. Ostenditur in hoc Evangelio singulare mysterium conversionis mulieris samaritanae, quae in Christum credidit licet pauperem et egenum eum videret. — II. Omnibus modis mirabilis apparet conversio samaritanae. Gratia iustificationis maximum Dei donum est, et multis nominibus in Scriptura appellatur. — III. Datur a Deo per Spiritum S. intuitu meritorum passionis Christi. —

IV. Accedendum est ad Deum ut gratia haec impetretur. — V. Gratia prius animam purgat a vitiis et dein virtutibus ornat. — VI. In colloquio cum samaritide Christus hanc gratiam quam maximo commendat, qua creatura infirma instrumentum fit conversionis multorum . Pag. 311-320

ALIA HOMILIA

I. In hodierno Evangelio elucet mysterium divinae praedestinationis. — II. Quam maxime agitur de mediis salutis consequendae ex parte Dei qui ad hoc dedit Christum, Sacramenta et gratiam; — III. ex parte nostra, quia requiritur fides, cognitio Christi et vera in Deum pietas. — IV. Ostenditur etiam quanta Christus egerit et passus sit pro salute nostra . . Pag. 320-324

DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMAE

I. Hodiernum Evangelium ostendit providentiam Christi erga Ecclesiam suam. — II. Multa opera misericordiae spiritualia et corporalia Deus operatus est in Veteri Testamento; sic et Christus erga suos in Novo Testamento. — III. Deus infinitus est misericordia et bonitate; sic et Christus, qui misericordes etiam nos vult. — IV. Opera misericordiae necessaria sunt ad salutem, inter quae praecipuum est eleemosyna. — V. In hoc Evangelio ostenditur copiosus fructus eleemosynae cui plurima praemia promittuntur. — VI. In hodierno miraculo videnda sunt quae praecedunt, quae comitantur et quae sequuntur . . . . Pag. 325-335

ALIA HOMILIA

I. Dei bonitas incomprehensibilis est, cognoscitur tamen aliquo modo ab effectibus, quia opera divinae providentiae in mundo effectus sunt divinae bonitatis. — II. Multa urgent hominem ad virtutem, sed maxime cognitio singularis divinae providentiae erga fideles . . . . . Pag. 335-339

FERIA SECUNDA DOMINICAE QUARTAE QUADRAGESIMAE

I. Eicit hodie Dominus impios mercatores de templo, quia templum illud figura erat Ecclesiae. — II. Sicut mundus imago Dei est, ita Ecclesia est imago Christi. — III. Ostenditur maxima analogia inter templum et Christum, praecipue quoad sanctitatem. — IV. Nos quoque oportet similes Christo esse in sanctitate, quia de mystico eius corpore sumus et heredes regni coelestis. — V. Primo quod fugere debemus avaritia est, quam Christus summopere odit in Ecclesia sua. — VI. Eicit Christus negotiatores de templo zelo domus Dei, honoris divini, Ecclesiae suae et proprii. — VII. Armatur flagellis contra avaritiam qui inermis venit ad mundum subiugandum, ut ostenderet avaritiam causam esse perditionis et Deum novo cultu colendum . Pag. 340-350

ALIA HOMILIA

I. Eicit hodie Dominus mercatores de templo, quia qui diligit pecuniam magis quam Deum indignus est domo Dei. — II. Mercatura omnino condemnanda non est, sed tantum illicita et iniusta. — III. Omnes templum Dei sumus quod mundum servare debemus . . . . Pag. 351-354

FERIA TERTIA DOMINICAE QUARTAE QUADRAGESIMAE

I. Mirantur hodie Iudaei doctrinam Christi. — II. Doctrina Christi undequaque mirabilis ostenditur. — III. Deus tanta sapientia Christum replevit quia Christus rex et iudex est universi. — IV. Doctrina Christi fuit utilissima et efficax quia divina. — V. Cum cognitio rerum spiritualium

necessaria sit ad salutem, necessarius etiam erat magister divinus. — VI. Iudaei calumniabantur tum vitam tum doctrinam Christi; Christus autem sanctissimus et sapientissimus erat. Pag. 355-364

ALIA HOMILIA

I. Doctrina Christi verissima erat, quia ipse sanctissimus; — II. doctrina eius ineffabilis, quia ipse sapientissimus. — III. Lex divina scientiam docet quae vere necessaria est ad salutem. Pag. 365-369

FERIA QUARTA DOMINICAE QUARTAE QUADRAGESIMAE

I. Magnum miraculum quod in hodierno Evangelio proponitur ostendit Christi divinitatem. — II. Caecus hodie illuminatus figura est hominis christiani. Ex caecorum illuminatione agnoscendus erat verus Messias. — III. Omnia quae Deus in mundi creatione operatus est, operatur spiritualiter in christiano. — IV. In processu hodierni miraculi ostenditur processus conversionis hominis ad fidem. — V. Homo in statu infidelitatis vere caecus est circa divina; ab hoc tamen misero statu relevari potest tantum potentia et misericordia Dei. — VI. Ostenditur hodie etiam magna caecitas Iudaeorum qui tanto miraculo viso in Christum credere noluerunt . Pag. 370-379

ALIA HOMILIA

I. Magnum miraculum hodie Christus operatus est, per illud enim Christus divinitatem suam clare demonstrat, — II. et multa mysteria significantur . . . . Pag. 379-382

FERIA QUINTA DOMINICAE QUARTAE QUADRAGESIMAE

I. Christus ostenditur hodie auctor vitae et triumphator mortis. — II. Mors regnavit in mundo per peccatum usque ad Christi adventum. — III. Proponitur etiam in hoc Evangelio mortis meditatio. Certitudo mortis ostendit summam veracitatem Dei et satanae perfidam falsitatem. — IV. Aliis mors horribilis est quia erit porta inferni, aliis vero desiderabilis quia porta coeli. — V. Reprobi mortem abhorrent quia mundum diligunt et divinum iudicium extimescunt, electi mortem cupiunt quia mundum execrantur et vanitates despiciunt. — VI. Stulte mortem sanctorum sperant qui vitam peccatorum vivunt. — VII. Ligneum feretrum lignum figurat ex quo mors sumpsit originem . . . . Pag. 383-391

ALIA HOMILIA

I. Duellum David cum Goliath imago fuit duelli Christi cum morte. — II. Mors liber est profundae philosophiae. — III. Aliis horribilis est quia initium malorum, aliis autem desiderabilis quia principium felicitatis. — IV. Mors dies hominis dicitur quia ex ea pendet salus aeterna vel perditio . . . . Pag. 392-396

FERIA SEXTA DOMINICAE QUARTAE QUADRAGESIMAE

I. Magnum Christi miraculum hodie ostenditur in Lazari resurrectione. — II. Inter Deum et hominem vera amicitia existere potest. — III. Variis modis in S. Scriptura significantur vis et effectus amoris qui omnes in amore Christi erga nos elucent. — IV. Deus erga homines omnia signa amoris ostendit; — V. Christus etiam erga Lazarum, quamvis eum mori permiserit ut divina sua virtus pateret. — VI. Elucent in hoc miraculo Christi sapientia, potentia et amor erga suos. — VII. A multis ostenditur in hoc miraculo magnitudo amoris Christi . . . Pag. 897-406

Alia homilia

I. Lazari resurrectio praecipuum symbolum est sacramenti Poenitentiae. — II. Proponitur et solvitur dubium de necessitate confessionis sacramentalis peccatoris, cui iam per contritionem dimissa sunt peccata. — III. Multa alia mysteria proponuntur consideranda in hodierno Evangelio. Pag. 407-410

DOMINICA PASSIONIS

I. Deus infinita sanctitas est, quae maxime celebratur in S. Scriptura. — II. Talis ostenditur hodie Christus, in quo invenitur triplex sanctitas: humana, angelica, divina. — III. Tali tantaque sanctitate praeditus fuit quia venerat ad sanctificandum mundum. — IV. In hoc Evangelio exhibentur etiam signa electorum et reproborum. — V. Ut quis pertineat ad numerum electorum requiritur fides cum caritate coniuncta; hoc Christus docuit verbis et exemplis . . . . Pag. 411-419

Alia homilia

I. Deus infinita sanctitas est; talis est etiam Christus sanctissimus quoad vitam et doctrinam. — II. Sanctitas est optimus usus beneficiorum Dei; iniquitas vero eorum abusus. — III. Ostenditur Christus non solum sanctus propheta sed et maior omnium Prophetarum . Pag. 420-423

FERIA SECUNDA DOMINICAE PASSIONIS

I. Christus hodie se ostendit fontem divinae gratiae per petram deserti figuratum. — II. Sicut non obstante Moysi et Aaron incredulitate Deus aquam de petra illa eduxit, ita non obstante incredulitate Iudaeorum Christus per passionem suam gratiam mundo contulit. — III. Aquae copiosissimae de petra egressae figurant copiam bonorum Christi qui fons est omnium gratiarum in coelo et in terra. — IV. Hodie Christus etiam se ostendit verum Deum. — V. Collectio Iudaeorum in festo scenopegiae figurabat collectionem electorum in coelo. — VI. Gratia Dei non est externus quidam favor, sed verum donum Dei, sicut aqua ex fonte. Huius gratiae Christus fons est, satanas autem fons est omnium malorum . . . . . . Pag. 424-433

Alia homilia

I. Saepe S. Scriptura de aqua loquitur quia symbolum est Spiritus S. et gratiae. — II. Variis nominibus et figuris in S. Scriptura gratia designatur. — III. Magna analogia existit inter aquam et gratiam. Haec semper datur cum Spiritu Sancto . . . . Pag. 433-437

FERIA TERTIA DOMINICAE PASSIONIS

I. Christus Deo maxime dilectus, quia Filius Dei naturalis. — II. Hominibus etiam et Angelis amabilis quia in eo reperiebatur omnis ratio amoris. — III. Iudaei illum oderunt quia spiritu satanae agebantur qui Christum maxime odit. — IV. In duo regna mundus dividitur: regnum Dei in quo Christus diligitur, regnum satanae in quo Christus contemnitur. — V. Temporalem felicitatem regni satanae sequitur sempiterna infelicitas, temporalem poenitentiam regni Dei aeterna felicitas. — VI. Cavendum est ne dies festi ad divinum cultum et salutem animae a Deo instituti, opera satanae in perniciem animae vertantur . . . . Pag. 438-448

Alia homilia

I. Christus est summus Sacerdos, Propheta et Dux exercitus Domini. — II. Ideo perfectissima prudentia donatus fuit, monastica, oeconomica, politica. — III. Elucet hodie haec Christi prudentia in opere et in verbis. — IV. Haec est vera prudentia christiana spiritum carni praeferre, Deum mundo, vitam aeternam temporali . . . . Pag. 448-452

FERIA QUARTA DOMINICAE PASSIONIS

I. Festum encaeniorum figurabat mysterium renovationis Ecclesiae per fidem et Baptismum. — II. Vera fides est ut Christus credatur verus Messias. — III. S. Scriptura in multis locis Christo tribuit idiomata et proprietates divinas et ipsa opera divina. — IV. Tribuit etiam divinam consubstantialitatem, et cultum Deo debitum. — V. Christus in hodierno Evangelio probat se verum Deum esse omnium creatorem. — VI. Festum encaeniorum figurare debet renovationem vitae christianorum. Signa dantur electorum et reproborum . . . . Pag. 453-464

Alia homilia

I. Insinuatur in hodierno Evangelio mysterium praedestinationis omnibus imperscrutabile. — II. Indicantur etiam principium, finis et media praedestinationis, — III. et signa electorum Dei. Pag. 464-468

FERIA QUINTA DOMINICAE PASSIONIS

I. Festivitas dedicationis templi figurabat Magdalenae conversionem, qua gloriosior in Ecclesia facta est quam si nunquam peccasset. — II. Multis modis in S. Scriptura exhibetur imago verae poenitentiae, sed in Magdalena ostenditur undequaque perfectissima. — III. Vera poenitentia per gratiam excitatur cognitione peccati, et accenditur per fidem et caritatem. — IV. Haec omnia in Magdalenae poenitentia elucent, quae ideo maxime laudatur a Christo. — V. Vera poenitentia constans esse debet, manifestatur autem contemptu vanitatum mundi. — VI. Hoc praesertim in mulieribus difficile est quia facilius tentantur a satana et a naturali ambitione pulcritudinis. Pag. 469-478

Alia homilia

I. Mirabilis et perfectissima ostenditur Magdalenae conversio. — II. Mulier media tenere non novit, ab externo autem ornatu dignoscitur utrum sit sub iugo satanae an Christi amore flagret. Ornatus mulierum dummodo sit sobrius et verecundus, non reprobatur . . . . . Pag. 479-483

FERIA SEXTA DOMINICAE PASSIONIS

I. Synagoga ante Christum vera erat Ecclesia Dei. — II. In omni republica necessarii sunt magistratus. — III. Respublica terrena composita est bonis et malis, ut patet in concilio hodierno. — IV. Tamen etiam in hoc concilio Deus reperitur qui omnia in mundi regimine ad bonum nostrum dirigit. — V. Deus supremus mundi gubernator est, et providit ut Christi morte humanum genus salvaretur. — VI. Magistratus necessarius est reipublicae, sed divino spiritu regi debet ut sit utilis. — VII. Ex hoc concilio ostenditur prudentiam carnis in principibus rempublicam perdere. — VIII. Multis rationibus Christus dicitur *Unus Homo* . . . . Pag. 484-497

DOMINICA IN RAMIS PALMARUM

Hoc solemni ingressu in Ierusalem Christus se ostendit verum Messiam a Prophetis praedictum humilem et gloriosum . . . . Pag. 498-500

FERIA SECUNDA DOMINICAE PALMARUM

I. Magna laetitia Christus excipitur in domo Lazari, — II. quae Ecclesiam figurabat . Pag. 501-503

FERIA SEXTA IN PARASCEVE

I. Multis figuris passio Christi praesignificata fuit, praecipue vero per David fugientem persecutionem Absalom et per agnum paschalem. — II. Quinque sunt passionis Christi mysteria devote meditanda . . . . Pag. 504-507

FERIA SEXTA IN PARASCEVE

I. In caeremoniis circa agnum paschalem observandis exhibetur perfecta imago dominicae passionis. — II. Christus dicitur *agnus* propter innocentiam et humilitatem, sed tamen fortissimus ostenditur in sua passione, — III. et amantissimus. — IV. In agno paschali designantur etiam multae passionis Christi circumstantiae. — V. Aliae analogiae describuntur inter immolationem agni paschalis et passionem Christi. — VI. Quoniam dupliciter punitum fuit Adae peccatum, ideo Christus aedem poenarum genera sustinere voluit. — VII. Sicut sanguis agni paschalis Hebraeis causa fuit salutis et libertatis, sic passio Christi causa fuit redemptionis generis humani. — VIII. Multis figuris in S. Scriptura effectus Dominicae passionis significantur, sed praecipue elucent in verbis ipsius Christi in cruce et in miraculis tunc patratis. — IX. Multa mysteria designantur per arundineum sceptrum et spineam coronam. — X. Spinea corona Christus coronatur ad ostendendas gravissimas poenas peccato debitas. — XI. In passione Christi attentissime considerandae sunt circumstantiae. — XII. Maxima est gloria Christi qui ignominiosissima passione et morte sua mundum redemit et satanam profligavit. — XIII. Passio Christi remedium facta est contra primum peccatum et contra vitia ex peccato germinantia. — XIV. Considerandae sunt etiam dispositiones animi Christi patientis . . . . Pag. 508-535

BREVIS ALLOCUTIO

Moestissima tragoedia passionis Christi hodie consideranda proponitur in qua omnes radii eius gloriae extincti videntur . . . . Pag. 536-538

ALIA ALLOCUTIO

I. Considerantur quae Christus in domo Annae, Caiphae, Herodis et Pilati pertulit, praesertim eius flagellatio. Omnia flagella Christus pertulit ut se exhiberet victimam peccatorum omnium. — II. Fragmenta de coronatione spinea, — III. de itinere ad Calvarium, — IV. et de crucifixione. Pag. 539-542

INDEX ALPHABETICUS
NOMINUM ET RERUM NOTABILIUM

A

Aaron Moysi occurrit in Aegyptum ad exequendam legationem Dei 112; duo filii eius divina ultione perierunt 116. 347; pronus in terra divinam misericordiam implorabat 120; summus pontifex et synagogae hierarcha constitutus 224. 401; figura Christi 161.

Abel vanitas interpretatur, occisus a Cain 36; figura praedestinatorum 219 ; figura Christi 504. 542.

Abigail uxor Nabal carmelitae 112, laudata in Sacris Litteris 123-124.

Abiron censor Moysi et Aaron 282, et rebellis 304.

Abraham amicus Dei appellatus 399. 405; a carnibus sacrificii abigebat nocturnas aves 9; eius fides et obedientia a Deo laudatae 17. 22; humiliter Deum deprecabatur 119; dives et sanctus quia simplex 202-203. 215; a Pharaone beneficiis affectus 153. 317; divino iussu venit in terram Chanaan 297; optionem dedit Loth ut regionem inhabitandam eligeret 204; illius amore contra quattuor reges pugnavit 271; foedus habebat cum Samaritis 294; diligere videbatur Saram magis quam Agar 264; hanc Dei iussu de domo cum filio Ismaele eiecit 81. 340; praeceptum circumcisionis accepit 33. 92; habuit duos filios 334; magna cum laetitia Angelum excepit 501; in ablactatione Isaac magnum convivium fecit 116; divisit Isaac a filiis concubinarum 65; tentatus a Deo 32-33. 42. 52; in sacrificio Isaac maxime cognoscitur eius pietas erga Deum 513; obedientissimus Deo aeternam benedictionem accepit 186; magnas divitias et magnam posteritatem dedit illi Deus 224. 299.

Absalom patrem persecutus est 59. 504; periit capillis suis 350; tribus lanceis cor eius confossum a Ioab 519.

Achitophel optimus consiliator David, sed postea proditor 231. 586; seipsum suspendit 218. 350.

Achan cum familia sua periit propter avaritiam 347.

Adam de terra formatus 125; per acrostichides continet quattuor mundi partes 494; laudatus non fuit a Deo 124; accepit mundi imperium 221; figura Christi principatus 161; habuit scientiam infusam 356; revelatum illi fuit mysterium Incarnationis, sed non lapsus generis humani per peccatum 377-378; si in officio perstitisset raptus fuisset in coelum vivens 169; ex eius latere, dormiente, formata fuit Eva 521; statim ut Evam vidit ex se formatam maxime commendavit et de ea prophetavit 124; in paradiso tentatus et victus a satana fuit et in mundum peccatum et damnationem invexit 55. 444. 520, et multis poenis mulctatus 273; peccavit concupiscens similitudinem Dei 164; post peccatum se abscondit a facie Domini 315; pellibus animalium induitur 170. 326. Vide *Homo*.

Adeps hostiae Deo incendendus sacro altaris igne, significat honoris cupiditatem 9.

Aegyptus post septem annos magnae abundantiae, experta est septem annos maximae penuriae 13. 215; terram Aegypti Nili aquis irrigari oportet 172; plagis percussa propter peccata 95. 236, et quia Moysi non credidit 267; aquae Aegyptiis pessimae, Hebraeis optimae 215; in

tenebris erant, dum Hebraei in splendida luce essent 265. 280; Aegyptii non crediderunt Moysi et in mare perierunt 102. 106. 167.

Agag rex Amalecitarum amaram dixit mortem 388.

Agar rebellis dominae suae, figura carnis rebellis spiritui 4; ab Abraham eiecta e domo cum filio 85; figura synagogae 297.

Aggaeus propheta gloriam secundi templi exaltat 470; praedicit ingressum Christi in templum quem appellat Desideratum cunctis gentibus 76-77.

*Ἄγιος legit Interpres Latinus pro ἁγνός 39.

Agonia ab agone dicitur, qui est certamen 512.

Agnus in *Apocalypsi* septem oculos et septem cornua habet 220.

— Paschalis figura Christi 505-511; in immolatione agni paschalis multae circumstantiae observandae erant 514-518; virtus sanguinis agni Hebraeis causa fuit salutis 520.

Alexander Magnus pugnavit contra Cyrum et eum vicit 511.

Altare holocaustorum erat in atrio divini sanctuarii 2.

— Tabernaculi quinque cubitorum erat, templi autem viginti cubitorum 35, 302; post altare sacrificiorum erat altare incensi cum mensa panum propositionis 116. 338.

Ambitio est cupiditas honorum, naturalis et propria solius hominis 11; non prohibetur homini ambitio gloriae, sed inanis gloriae 12; causa fuit perditionis hominum et Angelorum et reipublicae Iudaeorum 491.

Ambrosius S. ait Sanctos non naturae praestantioris fuisse, sed observationis 35; coelum dicit tenuem naturam instar vaporis 163; grave crimen foedare picturam Dei 482.

Aman ab Assuero supplicio damnatur 153; persequebatur Iudaeos 332.

Amicitia datur inter similes 398.

Amnon ardenter amavit Thamar sororem Absalom 399.

Amor et odium necessaria sunt ad conservationem vitae 37; in Sacris Litteris variis modis significatur vis et effectus amoris 399; multa sunt signa amoris 400. 532.

Amos propheta docet puniendos esse immisericordes 218-219. 277; maximum dolorem planctum unigeniti appellat 471.

Ananias Paulum baptizavit 373.

Anaxagoras philosophus ad videndam lucem solis se natum dixit 505.

Angelus conditus ad imaginem Dei 164; habet scientiam infusam 356; est imago Dei 494; minor Angelus paradisi maior est quovis rege terrae 505; Angeli sunt creaturae spirituales et ministri Dei 137. 141; dicuntur filii Dei 460; sunt in loco non per circumscriptionem sed per definitionem, tempore moventur citius tamen cogitatione, virtute Dei operantur miracula 141; varii sunt ordines Angelorum 503; Deum vident sed non totaliter 357. 367; ad custodiam hominum deputantur 138; non sancti sed sanctificati proprie dicuntur 413; eorum pulcritudo in virtute consistit sine qua turpissimi daemones sunt 24; multi cum satana peccaverunt 46. 58, propter superbiam 491, et e coelo eiecti fuerunt 166. 421; Angelus ad custodiam paradisi ponitur 137. 142. 176; cum Iacob luctans percussit femur illius sinistrum 10; Moysi apparuit in rubo ardenti 513; percussit primogenita Aegypti sed servavit Hebraeos 66; in columna nubis et ignis populum in terram promissionis duxit 49. 55. 37; evaginato gladio apparuit Balaam pergenti ad maledicendum populo Israel 276; apparuit parentibus Samsonis et in flamma ignis in coelum ascendit, Christum figurans 14. 42. 105; unus solus suffecit ad interficienda primogenita Aegypti una nocte, et ad perdendum exercitum Sennacherib 235. 250; descendit in fornacem ad liberandos tres pueros, et in lacum leonum ne devorarent Danielem 137. 141. 250; Christum annunciat salvatorem populi 525; gloriam Deo in nativitate Christi Angeli cecinerunt 136. 143. 343; Christo ministrarunt post superatam tentationem 55; gloriam et humilitatem Christi Angelus praedicavit 498; descendebat in piscinam et curabat unum ab omni infirmitate 304; Petrum dormientem in carcere Herodis excitavit 404.

Anima rationalis est una forma naturalis hominis, virtute tamen multiplex 16; eius pulcritudo in virtute consistit 24; Deo simillima etiam natura 48; pravis affectibus impeditur ne videat lumen veritatis 99; eius perfectio praecipue in lumine intellectus consistit 362.

Animal in sacrificium offerendum prius decorticandum erat 9.

— Irrationale non habet cupiditatem bonorum temporalium, nec aliquam virtutem, sed naturaliter cognoscit bona sibi utilia 11.

Anna mater Samuelis, prius afflicta et postea

consolata 116; non ore sed corde orabat 474; laudatur in S. Scriptura 123.

Apollinaris S. citatus 302.

Apostoli praedicaverunt poenitentiam 58; timuerunt in transfiguratione Christi 63; orationi instabant 113; orantes Spiritum S. acceperunt 121; habuerunt divinam scientiam cum magna sanctitate 358.

— Filii Zebedaei cognati Christi secundum carnem 199.

Aqua cum copiosa valde est sursum ascendit quantum ex alto descendit deorsum 316; aquas superiores Deus divisit ab inferioribus per interstitium firmamenti 9.

— Ex petra deserti miraculo exiens figura gratiae Christi 424-425, 436.

— Symbolum Spiritus S. 434.

Arca Noe et familiam eius et animantia a diluvio salvavit 66. 269; pauci salvati sunt 74; in ea totus mundus servabatur 223; figura Ecclesiae 269.

— Testamenti intrinsecus et extrinsecus deaurata 287; ambas tabulas Legis integras continebat 35. 288. 338, et urnam mannae 37, et virgam Moysi 542; figura Christi 241; ducatum praebuit Hebraeis in transitu Iordanis 50; cum populo pergebat ad bella 276; Philisthaeos exterrebat 64; noluit manere simul cum Dagone 241. 347; eiusdem venerationis et virtutis erat in tabernaculo Moysi et in templo Salomonis 127; figura Ecclesiae 338.

Arcadia. In eius montibus lapis asbestinus qui semel accensus nunquam extinguitur 43.

Arcus in nubibus figura iustitiae et misericordiae Dei 504.

Argus centoculus prudentem virum significat 449.

Aristoteles citatus 178; impossibilem dicit amorem inter Deum et hominem 398.

Arius negavit Christi divinitatem 455.

Assuerus Mardochaeum regali honore voluit honorare 146; sententiam mortis quam tulit contra Aman executioni mandavit 174, et contra duos eunuchos 175; tulit diadema regni a regina Vasthi et dedit Esther 230; princeps optimus 333; secum habebat septem consiliarios 485.

Athenaeus refert legem Syracusiorum de meretricibus 481.

Augustinus S. Deum dixit veram quietem cordis nostri 150; pro Apostolis Episcopos positos esse 303; habitum adulterinum indicium esse adulterini cordis 482.

Aurum. « Non omne quod splendet aurum est », proverbium 32. 206. 294, reperitur etiam adulterinum 283.

Avaritia est idolorum servitus 83. 85, figurata per adorationem vitulorum aureorum in deserto et in regno Israel, et aureae statuae in Babylone 346; eam Deus summe odit 346; satanae alchimia 348; causa perditionis 350 et venenum caritatis 354; ad hanc destruendam Christus vel maxime venit 347.

B

Baal cultores avaros figurant 351.

Babel confusio interpretatur 200; constructio turris a Deo impedita 492; ibi confusa fuit superbia ubi primo regni nomen auditum est 200-201; aedificata in planitie Sennaar 202; figura regni satanae 445; Babylon appellatur in *Apocalypsi* meretrix magna 479.

Balaam falsus propheta 283; invitatus a Balac rege Moabitarum ad maledicendum populo Israel Angelum vidit evaginato gladio 276-277; Christum vaticinatur stellam et virgam 180; mortem iustorum sibi desiderat 390.

Baldad suhites philosophus cum Iob disputans 292.

Balthassar rex chaldaeus, dum esset in convivio sententiam mortis accepit 210.

Banaias prudentia Domini interpretatur 448.

Baptismus est Sacramentum fidei 454, ianua Ecclesiae 302. 325, initium vitae christianae, hominem facit amicum et filium Dei, templum Spiritus S. et heredem Dei 40. 143; infundit fidem et caritatem 374; efficax medium salutis 322; nemo adultus baptizandus nisi catechizatus credat in Christum et libere petat Baptismum 374; in Baptismo flaminis accipitur virtus Baptismi fluminis 408.

Barabbas insignis homicida, latro et seditiosus, liberatus loco Christi 526.

Basilius S. coelum dicit tenuem naturam instar vaporis 163; moderatores Ecclesiae successores esse Apostolorum 304.

Bethsabee procuravit Salomoni regnum 126.

« **Bis** perit qui suis armis perit », proverbium 218.

Bonus. In mundo boni et mali admixti sunt et mali bonis beatiores videntur 64.

Booz Ruth laudavit 476, et in uxorem duxit 118.

Bucephalus Alexandri Magni freno et nutibus obedientissimus 5.

C

Caecitas ignorantiam designat et infidelitatem 381.

Caecus evangelicus imago hominis in triplici statu: ante fidem, post fidem in certamine fidei, in corona fidei 377; ex caecorum illuminatione agnoscendus erat verus Messias 371.

Cain possessio interpretatur, fratrem suum odit ex invidia 441, et occidit, civitatem sibi aedificavit 36; figura reproborum 219. 347; ab eo descendentes dicuntur filii hominum 292; periit propter avaritiam 347.

Caiphas prophetavit de morte Christi 484, ex odio contra Christum 492, sed a Deo verba eius inspirata fuerunt 484; scidit vestimenta sua contra legem Dei 526.

Candelabrum tabernaculi cum septem lucernis 220; decem candelabra in templo Salomonis 302; figura gratiae Dei 314.

Capharnaum villa consolationis interpretatur, regnum voluptatis designat 20.

Captivitas babylonica septuaginta annorum Iudaeis a Deo inflicta ob eorum facinora, vel maxime in vindictam mortis sanctorum Prophetarum 236-237. 258. 267.

Caritas vera supernaturalis esse debet 42; supra modum necessaria est ad salutem, sine ea nulla virtus prodest, ea sola omnes virtutes habet 30. 69-70; est primum et maximum mandatum 31; haec sola nos Deo caros et similes facit, vita aeterna dignos 31-32; caritate destituti satanae filii sunt 32; in Sacris Litteris vocatur aurum 32, ignis inextinguibilis 36; est currus igneus 41; duas partes habet: conversionem ad Deum et aversionem a mundo 476; naturali via nemo scit an caritatem habeat, sed aliquatenus ex humanis coniecturis 419; praesertim si patienter ferat quae natura maxime abhorret 33. 44-45; caritas vera diligit etiam inimicum 29; hoc est singulare discipulorum Christi insigne 29.

Centurio evangelicus miles erat suo principi fidelis 22; eius virtus laudata a Christo 16, et ab hominibus 24. 27; archetypus fuit hominis christiani 16. 22; Christus parem fecit summis Patriarchis 18.

Centurio visis miraculis in morte Christi eum verum Filium Dei confessus est 506.

— Cornelius fidem habebat caritate et bonis operibus ornatam 22; imago hominis ad fidem conversi 373.

Cerinthus negavit Christi divinitatem 455.

Chabul compes interpretatur, quia regio lutulenta 202; a Salomone data Hiran regi Tyri 202.

Chanaan mercator interpretatur, a Noe maledictus 351.

Chananaeus. Chananaei exterminati in terra promissionis 236; multi simul cum Hebraeis habitabant 252.

Charybdis. « Inciderunt in Scyllam cupientes vitare Charybdim », proverbium 289.

Cherubim divino propitiatorio astabant alis expansis 187. 357; in similitudinem puerorum depicti 367.

Christus praedictus fuit a Moyse ut propheta 177, ab Angelo annunciatus ut Salvator 137; per ipsum omnia facta sunt 428; in maledictione contra serpentem praedictus fuerat acerrimus satanae inimicus 243; ille est qui Moysi apparuit 56-57. Variis nominibus appellatur in S. Scriptura 14; dicitur agnus 47. 55. 59, sol iustitiae 58. 79. 83. 180. 240. 265. 344. 420, desideratus cunctis gentibus 76-77, magni consilii Angelus 129, Salvator mundi 323, virga 51, verus Deus 57. 87. 420. 460, Emmanuel 500, Dominus et Angelus Domini 56-57, Sanctus Sanctorum 344, propheta 79, Dominus Angelorum 129. 142, rex 77-78. Eius corpus in utero Virginis ex nobilissima materia a Spiritu S. formatum 342; mirabilis fuit in omni vita sua hominibus et Angelis, in coelo et in terra 14-15; ortum duxit ex nobilissima gente 342; unctus fuit rex a SS. Trinitate in utero Virginis 448; in nativitate eius Angeli gloriam Deo cecinerunt 136. 143. 343; ditissimus erat et pauper apparuit 312; in ipso reperiuntur quattuor status humanae naturae simul 495; baptizatus in Iordane 49. 58, orans Spiritum S. accepit 55-56 et proclamatur Filius Dei 87. 121. 346; venit ut pugnaret contra satanam et peccatum destrueret 530-531; a Spiritu ducitur in desertum, esurit, tentatur a satana 52-56; omnem tentationem superat et Angeli deserviunt ei 51-56; multis differt a mundo, praesertim ratione peccati 174; in oratione pernoctabat 113; primum praedicavit poenitentiae necessitatem 3-4. 207, sed prior egit poenitentiam ut suo nos moveret exemplo 58-59. 525; imitandus est 419; tres apostolos secum duxit in montem transfigurationis 75. 327. 537; se ostendit maiorem omnibus Prophetis et Patriarchis 423, verum Messiam et Deum 253-257. 265. 423. 429. 461. 492, regem et Salvatorem mundi et verum Dei prophetam

76-91, per Eliam et Eliseum figuratum 244. 254, qui venturus erat ad idololatriam destruendam 268; fontem se dicit gratiae 434; exprobrat incredulitatem Apostolorum 95, arguit eos mundana petentes 197; Iudaeos signa ab eo petentes 93-94, et exprobrat summam Iudaeorum ingratitudinem in Deum 226-227; vitia coarguebat, ideo acceptus non erat in Nazareth 253-254; appellat seipsum Filium hominis, pastorem et regem 72-73; dignissimus fide est ob sanctitatem, sapientiam et potestatem supernaturalem 93; homines et Angelos docet scientiam 178; est splendor gloriae Dei et imago substantialis Patris 57. 329; templum paradisi dicitur 343; inter Angelos et Sanctos est sicut sol inter astra 146; omni sanctitate donatus, humana, angelica, divina 414; in eo omnis perfectio naturae humanae, gratiae et gloriae 341-342; unctus est rex universi 153, rex aeternus 156. 359; ad regnum eius pertinent soli electi 248; est cor Dei 307; symbolo lucis solaris designatur 157; signa dat electorum et reproborum 464-466; inimici eius daemones et peccatum 272; multa vaticinatus est 259-260; venit ad salvandum mundum a malis spiritualibus et corporalibus 132. 342, ad depellendas tenebras peccatorum 279-280, ad perdendam avaritiam 347. 350; in primo suo adventu salvator fuit animarum, in resurrectione salvator erit etiam corporum 134-135; passione sua meruit nobis gratiam Spiritus S. 425, remissionem omnium peccatorum 133; in Sacramentis reliquit infinitum gratiae thesaurum 133; in Eucharistiae sacramento totum seipsum Ecclesiae dedit 308. Est dux noster 52-56. 197 et magister 177, cuius doctrina perfectissima et admirabilis 355; caput omnium electorum 55, exemplar perfectum omnis virtutis 2-6, visibile et manifestum 47-51; per humilitatem consecutus est summam gloriam 447. Eius virtus a Deo laudata 23; eius caritas erga nos vere est ignis inextinguibilis 44; nonnisi tribulationes in hoc mundo elegit 45; eius cognitio necessaria ad salutem 323; eius imitatio via unica ad coelum 207-208; in ipso reperitur omnis ratio amoris 439; in ipso sunt omnia desideria nostra 82. Fundator et primum fundamentum Ecclesiae 298, quam comparat vineae 3-5. 97. grano sinapis 299, et in tres classes distinxit: in duodecim Apostolos, septuaginta duos discipulos et reliquam multitudinem fidelium 300; in eam transtulit omnia beneficia synagogae 305-306; renovavit Ecclesiam per Baptismum 453; est auctor et causa vitae aeternae, est fons divinae gratiae 313, propter gratiam divinae unionis 425. 427-428. 437; exemplar et instrumentum salutis nostrae 322; liber vitae altissimae theologiae 393; ipse nobis est pro armis contra peccatum, praesertim in SS. Eucharistiae sacramento 275-276. In die iudicii separabit bonos a malis 66, sed propensior erit ad misericordiam quam ad severam iustitiam 73-74; renitentem se ostendit precibus chananitidis ut ostenderet qualem oporteat esse veram orationem 119. Sacrae Litterae omnes categorias praedicant de Christo 88-89, praeter essentiam quia ineffabilis 90. Seipsum dicit lucem mundi 240; novam legem praedicavit 264; non damnavit omnes traditiones humanas, sed eas quae repugnabant legi divinae 289-293; doctrinam Pharisaeorum fermentum appellat 515; lingua Christi dicitur gladius ex utraque parte acutus 272. Requirit in christiano animum mundum a vitiis et virtutibus ornatum 7, ut terrena spernat et coelestia appetat 8, et non tantum externas virtutes, sed et internas et heroicas 9-10 et veram vitae sanctitatem 11-12; requirit in fidelibus suis fidem, iustitiam et caritatem 29, perfectam legis observationem 35, et magnam sanctitatem 345; ut eum et Patrem agnoscamus, diligamus et colamus 183. 403; iubet ut Deum appellemus Patrem omnipotentem 118; caritatem dicit discipulorum suorum insigne 29. Docet in formatione hominis spiritualis necessarias esse tum corporales tum spirituales virtutes 1-2; virtutem unicam viam esse ad vitam aeternam 12-13; bona opera necessaria esse ad salutem 69, praesertim opera misericordiae 329-330; paucos esse qui salvantur 75; perseverandum in oratione 121; Deum adorandum in spiritu et veritate 180; diversos esse gradus gloriae in coelo 194; incedendum ad coelum per viam asperam tribulationum 195-200; gloriam non dari nisi praedestinatis 205; mundos corde dicit beatos 287; tentationem dicit cribrationem 52; fidem et gratiam in fidelibus appellat regnum Dei et fideles filios Dei 230; discrimen assignat inter bonos et malos 284; gratiam appellat donum Dei ineffabile 313, semen bonum, thesaurum, margaritam 435, regnum Dei 314. 436, aquam vivam et incorruptibilem 315. 435, regnum coelorum 316. De SS.mo Eucharistiae sacramento loquitur 335. Miracula multa fecit etiam absens corpore 380,

ut se ostenderet verum Messiam 103-104. 204. 259, circa creaturas spirituales, corporales, homines et circa seipsum 106-110; non operabatur miracula in patria sua 261; innumeros curavit infirmos et a daemonibus obsessos 304. 521; semel et iterum pavit turbas 325; miraculis suis omnia praestitit opera misericordiae 327-328; miraculis doctrinam confirmabat 359. 370; operabatur miracula pro gloria Dei et ut agnosceretur verus Messias 334. 371, et pro utilitate nostra 403; eum calumniabantur in Beelzebub eicere daemonia 539; ignorantiam caecitatem appellat 370. Invitatus ad festum ire noluit 440-445; prudentiam docet in cavendis periculis 446; in Christo fuit perfectissima prudentia monastica, oeconomica, politica 449; poenitentiam Magdalenae maxime laudat 477; ad sepulcrum Lazari lacrimatur 534. Praedicit passionem suam 193, quam calicem appellat 512; passio eius est causa felicitatis nostrae 312; positis genibus orat et Angelum habet consolatorem 120; propter passionem suam appellatur agnus 508-511; passus est a Patre, a satana, a Iudaeis 515; passus est corpore et anima 519, sed non laesione peccati 517; natura eius passionem et mortem reformidabat 512; obviam ivit Iudaeis 511. 533; solo verbo eos prostravit 511; restituit auriculam Malcho 537; illuditur indutus veste alba 510. 538; alapis caeditur 539-540; nil respondet Pilato 537; flagellatur more Romanorum 541; ut seductor populi accusatur 538; baiulat sibi crucem 542; mulieres eum sequentes consolatur 536; morte turpissima moritur 528, postquam expiravit, exivit de latere eius sanguis et aqua 425; insufflavit in Apostolos dans illis Spiritum Sanctum 425; in coelum assumptus sedet ad dexteram Patris 80, constitutus iudex vivorum et mortuorum 71. 359.

Chusai arachites in concilio Absalom secreto partes David tuebatur 486.

Cibus omnis mundus si cum benedictione, modeste, absque praecepti transgressione et sine scandalo percipiatur 290; dicitur baculus 490, quia necessarius ad sustentandam vitam 491.

Cicero refert Herculem ad immortalitatem consequendam viam virtutis, non voluptatis elegisse 195.

Claudianus citatus 50. 59. 532.

Coelum sic dicitur propter sphaericam rotunditatem 443; in S. Scriptura aeternum dicitur 214.

Columba. Hoc nomine saepe in *Canticis* Sponsa appellatur 122.

— Noe in arcam revertens figura animae ad Christum venientis 117. 122. 149.

Columna nubis et ignis praecedens Hebraeos, figura Baptismi et Humanitatis Christi 49-50; die lucida, nocte flamma ardens videbatur 67; Hebraeis lucidissima, Aegyptiis tenebrosa 95; ad eius motum vel quietem movebatur vel quiescebat populus, donec veniret ad terram promissionis 186.

Comoedia. In comoediis et tragoediis potissimum est hypocrisis 527.

Concilium Nicaenum indicavit notas Ecclesiae 302-303.

« Contraria contrariis curantur », aphorismus medicus 416.

Conversio a peccato ortum habet a cognitione 313.

Cor sumitur pro amore, sed aliquando significat etiam sapientiam 307; cor nostrum templum Dei est et Spiritus S. 348.

Core censor Moysi et Aaron 282, et rebellis 304.

Crux in die iudicii fulgebit instar solis cum omnibus instrumentis passionis Christi 73; supplicium crucis turpissimum 527-528; summam gloriam peperit Christo et Ecclesiae 104, et scala coeli facta est 521.

Cupiditas duplex: corporalium et spiritualium bonorum 10; non prohibetur cupiditas divitiarum et gloriae, sed divitiarum fallacium et gloriae inanis 12.

Cyprianus S. dicit Ecclesiae praepositos vicaria ordinatione Apostolis succedere 303; ornatum inverecundum adulterare plasma Dei 482.

Cyrus Persarum rex, palatium aedificavit quod inter mundi miracula recensetur 8; solvit captivitatem Iudaeorum post septuaginta annos 236; victus fuit ab Alexandro Macedone 511.

D

Daemon. Daemones tenebrae appellantur 240. Vide *Satanas.*

Daniel propheta iustus inter Chaldaeos 21; tentatus a Deo 32; tribus vicibus in die Deum orabat 120; multa passus a satrapis 519; in lacum leonum missus, ab Angelo visitatur 327, et salvatur 251; mysteriorum intelligentiam a Deo accepit 401; princeps constitutus a Nabuchodonosor, Balthassar et Dario 47. 153; horruit in visione quam habuit 63; lapidem vidit qui Christum designabat 68. 228. 347; et Deum

veste candida indutum 286. 414; gloriam regni Christi vaticinatur 78. 156; annorum hebdomadas enumerat 131; habuit scientiam infusam 356. 365; significavit Balthassar regi divinam sententiam. 395; arietem vidit Cyrum regem figurantem 511.

Dathan censor Moysi et Aaron 282, et rebellis 304.

David pastor ovium 261, et rex 224. 499; a Deo armatus perrexit cum baculo contra Goliath 270. 276. 350. 529. 542; figura Christi, 78. 439; Philisthaeum vincens figura christiani carnem domantis 3; a Saule persecutus 153. 439, salvatur 251, fugiens in regionem Philisthinorum 448; quoties spiritus malus Saulem invadebat, sono citharae illius vesaniam temperabat 276; valde amabat Ionatham 400; regnum accepit 401; trigesimo aetatis anno consecutus est regnum 262; cor regium et leoninum habebat 519; prius regnavit in Hebron et postea in Ierusalem 117. 264. 267; tentatus a Deo 32; laudata eius sanctitas 23, et prudentia 449; ante legem evangelicam praeceptum servavit inimicos diligendi 35; eius caritas erga Saulem et Absalom 44; huius persecutionem fugiens pedes de Ierusalem egressus fuit 59, figura Christi patientis 504. 532; inter voluptates cecidit 196; sed tamen per poenitentiam salvatus fuit 445. 471; multis modis quaesivit occultare adulterii facinus 272; videns Angelum percutientem populum exterrefactus est 395; oravit ut pestis cessaret 310; sitiens, aquam de cisterna Bethlehem Domino libavit 317; abiit armatus contra Nabal Carmelum 85. 350; dives et sanctus 203. 215; figura praedestinatorum 219; renovavit tabernaculum Moysi 453; totius templi aedificandi descriptionem quam a Deo acceperat Salomoni dedit 46. Habuit scientiam infusam 356. 365; solem summopere laudat 411; in mundi theatro hominem vehementissime admiratur 15. 496; multa discrimina assignat inter iustos et iniquos 69; assignat conditiones divinae legis 38, quam dicit perfectam 190; ovi erranti seipsum comparat 269; orando Dei omnipotentiam et bonitatem meditabatur 118; divinam clementiam exorabat 474. 476, et divinam gratiam 7, ut delerentur peccata eius, cor suum mundaretur et laetitia sibi restitueretur 318; bonitatem et scientiam petebat 204; dicit Deum veram poenitentiam non despicere 471. Christum appellat sponsum 158, regem iustissimum et clementissimum 81, gloria et honore coronatum 145; synagogam vineam appellat 225; cultores idolorum dicit idolis similes 252; saepe canit beatitudinem cultorum Dei 150-151, et praemium virtutis in hac vita 152; hominem iustum arbori virenti comparat 287; innocentem habitaturum dicit in tabernaculo Dei 286. De fructu eleemosynae loquitur 331 et beatum dicit misericordem 332; bonum faciendum et malum vitandum ut homo praemium consequatur 153. 178; coelestem gloriam omne desiderium satiare 154; a multis celebrat sanctitatem Dei 413; Deum appellat scutum suum 275, et gratiam beatitudinem, Spiritum S. 434; omnia opera Dei in coelo et in terra effectus esse divinae bonitatis 336, et invitat omnes creaturas ad eam laudandam 336; in ultimo *Psalmo* compendio colligit omnes divinas laudes 412; dicit omnes esse sicut oves occisionis 395.

David Franciscus negavit Christi divinitatem 456.

Debora prophetissa laudata in S. Scriptura 123; summe utilis Hebraeis 126.

Decalogus. Praecepta decalogi dicuntur verba foederis 294. Vide *Lex*.

Democritus mundos innumeros admittebat 290.

Desertum quod ingressus est populus de Aegypto egressus 51; ibi Lex data fuit et divinum sanctuarium constructum et manna de coelo pluit 51-52. 325; figura Ecclesiae 325.

Deus. Cognitio Dei necessaria est ad salutem 352; duo specialiter credenda de Deo: quod creator sit et remunerator 71; in hac vita nonnisi per fidem Deus vere agnoscitur 96; infinita potentia est et misericordia 118; pater misericordiae 269; semper praestitit opera misericordiae spiritualia et corporalia 327; in S. Scriptura duo praecipue traduntur de Deo: quod sit omnipotens tam ad benefaciendum quam ad puniendа peccata 263; iustitia et misericordia Dei quam maxime praedicantur 80; sicut sol pluribus nominibus laudatur 411-412; decem nominibus hebraice appellatur 87. 146. 429; ut virtutum perfectum exemplar proponitur 46, sed invisibile 47; dicitur amictus lumine 146; appellatur ignis propter amorem 43. 180; lux propter sapientiam 180, paterfamilias propter creationem et providentiam 223; extra seipsum auctor est triplicis bonitatis: naturae, gratiae et gloriae 335; est fons perennis gratiae 431, ideo appellatur fons aquarum 434; bonorum

nostrorum non indiget 488; multis hieroglyphicis significatur in S. Scriptura Dei bonitas 335-336; dicitur templum 349; eius providentia in necessariis non deficit 228; pro nostra utilitate mundum creavit et servat 488. 529; nonnisi magna beneficia praestare novit 224; ubi periculum adhibet remedium 489; nullum bonum irremuneratum relinquit 45; nonnisi caritatem praecipit 31; vult omnes salvos fieri 82. 269. 466, neminem tamen cogit 533, sed requirit ardens virtutis et salutis desiderium 144; magnam sanctitatem requirit a fidelibus 345; impossibilia non iubet 34; maxime delectatur humilitate quam semper exaltat 119; dicitur sanctitas quia ipse solus sanctus 413 et peccare non potest 173. 414. Omnia vitia Deo displicent, maxime superbia 184. 222 et avaritia 346, et violata religio 340; semper se ostendit osorem et vindicem peccati 166; duplici poenarum genere Adam punivit 519; maledixit serpentem, terram, Cain 242; peccantes angelos de coelo et homines de paradiso eiecit 340; diluvio mundum purgavit 453. 475; aliquando immittit infortunia quae divitias consumunt 11, et tribolationes ad delenda peccata 345. Ipse est locus proprius cordis nostri 150; caritas eius erga nos vere ignis est inexstinguibilis 43-44; permisit hominem peccare ut sua caritas magis eluceret 402; vult ut Christum agnoscamus auctorem bonorum omnium 154; multis nos armat contra peccatum 270. 281, et nobiscum pugnat 276; Ecclesiam instituit ad destruendum peccatum 281; est in Ecclesia ut anima in corpore, ut paterfamilias in domo 257; est summus moderator mundi et Ecclesiae 484. Curam nostri gerit ut pastor et pater 334; in mundi creatione processit ad perfectiora 372 non primo die mundum creavit 373; die septimo complevit opus creationis 134; solo verbo cuncta creavit 527; ab initio hominem corpore et spiritu perfectum condidit ad imaginem suam 127. 344. 377; prius formavit corpus postea animam creavit 325; creavit hominem liberum 445; multa providit ne homo obnoxius esset peccato et morti 280; in paradiso eum collocavit 502; in eo posuit semen gratiae 316; omnia caritatis signa ei praestitit 401; Adae revelavit mysterium Incarnationis sed non lapsum ob peccatum 377-378. 401; cum Adam conversabatur in paradiso 398; respexit ad munera Abel, ad sacrificium Noe 266; laudavit fidem Noe, mansuetudinem Moysi, virtutem Christi 22-23; tentavit Abraham, Iob, David, Tobiam, Danielem, tres pueros 32; benedixit Abraham 67 et laudavit 126 et illi apparuit et domum eius miraculo illustravit 306; flagellavit Pharaonem et Abimelech propter Abraham 541; saepe in humana specie Patriarchis et Prophetis apparuit 118. 223. 399, et secreta sua illis revelavit 401; praecepit Abrahae ut sacrificaret Isaac 33, et eiceret ancillam et filium de domo 343; revelavit Ioseph abundantiam et famem Aegypti 505; populum electum signatum voluit signo circumcisionis 29; apparuit Moysi in flamma ignis 406, inter spinas 524; prius vocavit Moysen et postea per eum omnem populum 311; iussit eum solvere calceamenta 413. 516; eum virga armavit contra Pharaonem 270; visus est Moysi in specie humana 308; illi promisit se cum eo fore 359; flagellavit Aegyptum 541; voluit ut Hebraei transferrent in terram promissionis divitias Aegypti 10. 353; in mari Rubro perdidit exercitum Pharaonis 474; dux populo fuit in deserto in columna nubis et ignis 197; dedit Moysi senatum septuaginta seniorum 485; omnia caritatis indicia Hebraeis praestitit 401; quadraginta annis eos pavit manna 529; requirebat perfectam suae legis observantiam 35; praecepit illis ut se invicem tanquam fratres diligerent, Chananaeos odio haberent 37; omnem populum perdere volebat propter idololatriam 265; iussit ut audiretur propheta verus, falsus occideretur 267. Dedit Moysi exemplar tabernaculi 508; locum ad inhabitandum voluit sanctissimum et mundissimos ministros 286; honoravit poenitentiam David et Petri 477; elegit templum Salomonis 264, in quo medicum se fore promisit 308-309; dicitur lavisse synagogam aqua et inunxisse oleo 318; praecepit satanae ne Iob occideret 516; repulit synagogam et elegit Ecclesiam 264; noluit tamen eam penitus destruere 237.

« Dii laboribus omnia vendunt », proverbium graecum 206.

Diluvium in punitionem peccatorum missum 236; paucissimi salvati ab aquis diluvii 137.

Dina filia Iacob, ob vanitatem seducta 168.

Dionysius S. citatus 302.

Distantia magna adimit desiderium 318.

Divitiae. Duo genera divitiarum: spirituales et corporales 219; terrenae fallaces, coelestes immarcescibiles 10; in manu hominis spiritualis bonae, in manu carnalis malae 215. 218;

et causa perditionis 350; divites admonentur ut sint pii et misericordes 218; difficile est ut dives Deum magis diligat quam divitias 351.

Domus Dei domus orationis dicitur 115. 122.

Draco in *Apocalypsi* septem capita habet 220.

E

Ebion negavit Christi divinitatem 455.

Ecclesia est congregatio fidelium Christi 289; maior quam synagoga 35; varia sunt in Ecclesia fidelium ministeria et dona 502; regnum est Dei et Christi 185. 299. 443; dicitur sponsa Dei, corpus mysticum Christi 341-344, vinea Domini 234, aedificium, templum et domus Dei 234, domus orationis 289, navis Petri 280, castrorum acies ordinata 502; designatur per domum Petri, quia in hac elucent notae Ecclesiae 297-299; Ecclesia est una 299, eadem semper mansura 300, extra quam non est salus nec vera fides 305; sancta, extra quam non reperitur vera sanctitas 301, quae semper floruit sanctis viris 302, reperiuntur tamen etiam falsi fideles 284; est catholica et apostolica 303. — Magnum beneficium est universo mundo 304; Christus in ea perpetuo manet 305; Deus in ea est sicut auriga in curru, nauta in navi, rex in regno, imperator in exercitu, anima in corpore 257; providentia Dei erga Ecclesiam figurata per propitiatorium contegens arcam 338, per tabernaculum Moysi, per templum Salomonis 307; in *Apocalypsi* sponsa dicitur 314; designatur per domum Lazari 501, quia in ea semper inveniuntur opera pietatis 502.

Eclipsis. In eclipsi solis perfecta stellae videntur etiam in meridie 526.

Elcana Deus zelotes interpretatur 169; diligebat magis Annam quam Phenennam 264.

Electi oves dicuntur a Christo 467; signa electorum indicantur 463. 466; in die iudicii glorificatis corporibus in coelum rapientur 169; eorum unica professio cultus Dei, vera pietas, studium orationis sanctae 292; signa quibus distinguuntur a reprobis 284-288. 417-418; electi Dei mortem desiderant 404; signa et finis electorum 417-418.

Electio sequitur cognitionem 11.

Eleemosyna facta ex caritate non minuit divitias, sed auget 330; multa et magna praemia promissa sunt eleemosynae 331-332; ab Hebraeis eadem voce indicatur iustitia et eleemosyna 332.

Elias propheta potens Deus interpretatur 257. 263; genus illius ignoratur 261; coelestem doctrinam cum magna sanctitate habuit 358; spiritu Dei plenus 256; verus propheta 254, ideo vexatus 257; elucet in eo ardentissimus zelus religionis 260; non praedicavit legem Moysi 262; contra legis praescriptum obtulit sacrificium extra templum 255; Israelitas reprehendebat qui nunc Deum nunc Baal sequebantur 84. 358; super struem lignorum divinitus incendendam effundere iussit duodecim hydrias aquae 529; occidit prophetas Baal 267; in oratione perseverabat 120; oratione sua coelum clausit et aperuit 122. 255. 262. 310; multa miracula fecit 105-106, ut confirmaret doctrinam suam 358; dominus naturae videbatur 161; viduae multiplicavit farinam, suscitavit filium eius 260. 263. 277; a Iezabel exagitatus 439-440, in desertum fugit 448; conquerebatur quod ad necem quaereretur 257; in monte Horeb Deum vidit 51, et operuit faciem suam 335; per corvum pane cibatus 326; spiritum duplicem Eliseo promisit 51; igneo curru in coelum raptus 41, quamvis mortalis 169; in transfiguratione Christi una cum Moyse apparuit in maiestate 149.

Eliezer a Rebecca potum aquae petiit ut eam locupletaret 212; ostensione divitiarum eam allexit 313.

Elim locus in deserto ubi aquae suavissimae et fructus dulcissimi 117.

Eliphaz themanites philosophus cum Iob disputans 252.

Eliseus propheta Deus salvator interpretatur 257. 263; coelestem doctrinam cum magna sanctitate habuit 358; humili genere natus 261; verus Dei propheta 254, ideo vexatus 257; elucet in eo magna benignitas et pietas 260; nunquam legitur adisse templum Salomonis ad Deum adorandum 255; multa miracula fecit 105 ut confirmaret doctrinam suam 359; oratione fugavit exercitum Assyriorum 275; filium mulieris sunamitidis suscitavit 277; revelavit regi Israel secreta consilia regis Syriae 486, et praedixit victoriam contra Syriam 276; obviam ivit militibus regis Syriae 533.

Encaenia festivitas renovationis et dedicationis templi 469.

Enoch de filiis Seth, ambulavit cum Deo 247. 292. 398. 406.

Enos filius Seth, coepit invocare nomen Domini 292.

Ephraim frugifer interpretatur 169.

Epicurus mundos innumeros admittebat 290.

Esau factus interpretatur 212; venatione delectabatur 212; ius primogeniturae vilissimo pretio vendidit 317, ideo Iacob persequebatur 441; multis precibus a patre exoravit benedictionem 120-121; reprobatus dicitur 216, et odio habitus 220, figura reproborum 211. 219. 383; cum lacrimis osculatus est Iacob 400.

Esther laudata in S. Scriptura 123; Iudaeis causa salutis 126, pro quibus oravit apud Assuerum 310.

Ethnici qui fide Christi et Dei carent 29.

Euclydes megarenus citatus 178.

Euripides solem appellat lampadem Dei 145.

Eunomius negavit Christi divinitatem 455

Eunuchus a Philippo baptizatus imago hominis ad fidem conversi 373-374.

Eva sancta a Deo formata, a satana ob vanitatem seducta 168. 479; desiderium eius stultum, vanum et perniciosum fuit 203; causa perditionis 208; nomen eius virago hebr. ab igne deductum 479. Vide *Mulier*.

Evangelium vide *Lex*.

Ezechias rex sanctus et dives 202. 215; templum ab idolis purgavit 84. 346; signum regredientis solis a Deo accepit 92; oratione perdidit exercitum Sennacherib 275; magni fecit munera regis Chaldaeorum 317; divinitus sanatus figura poenitentiae 470.

Ezechiel propheta vidit electos signatos divino charactere 28; Deum venientem in curru igneo 41; Christum in figura Cherubim 80; sancta animalia spiritu Dei ducta 51. 314, pennis et faciebus extentis 187; fluvium magnum qui transvadari non potuit 435. 464; aquas egredientes de templo ad sanandas aquas maris Mortui 315; ab Angelo ductus fuit in templum ad videndas abominationes 235. 373; librum accepit ut illum devoraret 37; peccatores dicit caecos et surdos 252; dies pro annis accepit 131; per eum Deus conqueritur de pseudoprophetis 407; electos dicit signatos esse 466; Deum nolle mortem peccatoris 476.

F

Febris vocatur immoderata cupiditas temporalium bonorum 305.

Felicitas consistit in bonorum desiderabilium copia 426.

« Felix quem faciunt aliena pericula cautum », proverbium 232. 238.

Fermentum doctrinam aliquando significat 515.

Fides est forma hominis christiani 17. 19; sine ea anima mortua est 17; donum Dei est et radix omnium virtutum 95; radix et fundamentum iustitiae 181; purificat corda, causa est iustificationis et vitae aeternae 18, sed cum operibus coniuncta 322; animam facit Deo dilectam, templum Spiritus S., heredem regni coelestis 99-100; magnus thesaurus sed rarus valde 21; sola non sufficit ad salutem 69. 381; sine caritate mortua est 70; necessaria ad veram orationem 119; vera fides invenitur in sola Ecclesia 266; laudatur a Deo fides Abrahae et Noe 17, a Christo fides centurionis, chananitidis, Magdalenae 17.

Fidelis quilibet sanctus imago est Christi 341. Vide *Homo*.

Flagellum. Viros romanos flagellare non licebat 541; multis flagellis Christus caesus 539, 543.

Foedus pacem et confoederationem significat 294.

Fructus. Non iudicandum de fructibus ante maturitatem 133. 222.

G

Galilaea circulus seu sphaera interpretatur 79. 443; figura regni satanae 442; Galilaea Gentium, regio quae dicitur Chabul, a Salomone data Hiran regi Tyri 202; humili loco sita 443.

Galilaei saturati a Christo 339; exceperunt eum cum honore 443.

Gallina. « Filius albae gallinae », proverbium 201.

Gamaliel vir bonus et sanctus 486.

Gedeon dum triticum purgat Angelum videt et dux populi Israel constituitur 9; signa roris in area et in vellere accipit 92; dux strenuus in pugna contra Madianitas 199. 362; figura Christi 78; eius milites probantur ad aquas Iordanis 434; de Madianitis gloriose triumphavit 529.

Gloria vide *Paradisus*.

Gratia est forma hominis christiani 16-17; non externus quidam favor sed verum Dei donum 431; hominem multis virtutibus ditat 314; multi sunt effectus gratiae 54; mundat animam a vitiis et virtutibus ornat 318; veluti semen est vitae aeternae 316; est adoptio filiorum Dei et ius hereditatis regni coelestis 230. 436. 316; unica causa felicitatis aeternae 314; semper cum Spiritu S. datur 317. 437; praeferenda om-

nibus creatis bonis, quia passione et morte sua Christus eam nobis meruit 317; variis nominibus et figuris significatur in S. Scriptura 314. 435; dicitur spiritus quia est sicut anima in corpore bene organizato 437; gratia Christi integritati naturali et supernaturali hominem restituit 129; in gratia Dei pax animi consistit 150; gratia iustificationis est medium salutis nostrae 322, necessarium 432: duas partes habet: purificat a vitiis et infundit virtutes et Spiritum S. 476.

Gregorius Magnus S. docet mala terrena ad Deum animas compellere 117.

Gregorius Nazianzenus S. dicit ambitiosum mulierum ornatum incitare ad libidinem 482.

Gregorius Nyssenus S. refert simiam coculatoris cuiusdam quae puella larvata videbatur 127.

H

Habacuc propheta dicit iustum ex fide vivere 95.

Haeresis nunquam est primum peccatum sed poena praecedentium peccatorum 232.

Haeretici contemnunt omnes leges ecclesiasticas, et solum Dei verbum praedicandum dicunt 288; damnant abstinentiam 289; in dubium vertunt quaenam sit vera Ecclesia 290. 298; ut licentiose vivant divinum iudicium negant 63.

— Germanici sicut Ariani negant Christi divinitatem 58. 455, et intercessionem Sanctorum 310; asserunt gratiam tantum esse quandam benevolentiam Dei 341.

Hebraei signati circumcisione ut a Gentilibus discernerentur 284; post mortem Ioseph valde multiplicati in Aegypto 521; idololatriae addicti erant 187; durissima servitute puniti in Aegypto propter peccata idololatriae 236; sub Pharaone captivi et vexati 152. 250. 523; optimos principes habuerunt Moysen et Aaron 187; a plagis Aegypti praeservati, splendida luce fruebantur dum tenebrae Aegyptum occupabant 66. 95. 152. 265; aquae illis optimae, Aegyptiis autem pessimae 265; de Aegypto egressi sunt ditiores quam intrarint 132. 152. 230. 233; mense Martio a captivitate liberati 521; ducatum columnae nubis et ignis habuerunt 49; circumducti per difficiliorem, sed securiorem viam deserti 195-196; quandiu in deserto manserunt divina providentia fruebantur 152; manducaverunt manna, aquam de petra potaverunt 326. 424-428; figebant tabernacula circa divinum sanctuarium 194; movebantur vel quiescebant ad nutum vel quietem columnae donec venirent ad terram promissionis 186; quia carnes appetivere in deserto divina ultione perierunt in sepulcris concupiscentiae 3. 209; multis plagis afflicti propter peccata 236; reverti voluerunt in Aegyptum ad serviendum Pharaoni 339; quadraginta annis peregrinati sunt in deserto 430; post multas tribulationes ingressi fuerunt in terram promissionis 116-117. 215, post mortem Moysi 522; a Deo armati contra Chananaeos 270, terram eorum possederunt 230-233. 270; ad incredulitatem semper proclives 97-98; qui de Aegypto egressi sunt, omnes in deserto perierunt 83; in terra promissionis saepe afflicti pro meritis 236; propter fidem dicebantur filii Dei 230. Synagoga eorum tunc erat vera Ecclesia Dei 257. 484, et talis fuit a Moyse ad Christum 304; duplex eius regimen: humanum et divinum 484; cum fidelibus qui Deum adorabant erant etiam qui idola colebant 283; temporalia bona pluris fecerunt quam gratiam Dei 231; non penitus destructi fuerunt a Sesac rege Aegypti 265; dum Prophetas audiebant prosperati, cum eos persequentur puniti 258; captivi ducti in Babylone quia Prophetas occiderunt, propter necem Christi nunc durius puniuntur 236-237. 258. 267; post septuaginta annos a babylonica captivitate liberati fuerunt 236; Messiam expectabant gloriosum 426; propter eorum peccata privati sunt templo Domini, religione et vera fide 232; ex quo Christus venit nullum habuerunt prophetam 260; sed nolunt credere Christum fuisse verum Messiam 254. 455; adhuc Messiam expectant 171; ideo synagoga eorum periit et tantum ruinae eius relictae sunt 238; dicunt Moysen edoctum fuisse ab Angelo Metatron 366; cum iubilo canunt in pascha alleluia 534.

Hebron livor interpretatur 117.

Heli duris verbis Annam allocutus est 476; eius filii perierunt propter avaritiam 342.

Heraclitus solem appellat perennem fontem lucis 145-146.

Hercules clava monstra mundi domabat 395.

Herodes volens Christum perdere Innocentes bethlehemitas occidit 442.

Hesiodus dicit ante omnia praeclara deos posuisse sudorem 206.

Hieronymus S. ait Christum non praecipere impossibilia, sed perfecta 35; ornatum inverecun-

dum dicit velamen antichristi 482; verba D. Pauli *ad Eph. 1, 10* interpretatur 495.

Homo definitur animal rationale, mortale 17; physicus constat ex anima et corpore 1. 325, et prius vivit vita animali 326; metaphysicus, ex genere et differentia 1, christianus, ex natura et gratia, qui fit per Baptismum 1. 58; mundi compendium et imago Dei est 15; qua homo, miraculum naturae est, qua virtuosus miraculum gratiae 16; dicitur parvus mundus 223. 311; creatus fuit ex terra 164, nondum maledicta 228, in maxima rectitudine 4-5, perfectus quoad corpus et quoad animam 377, spiritu prophetiae plenus 377, ad imaginem Dei ut esset dominus mundi 7. 47. 406, et factoris sui virtutes imitaretur 48; ad imaginem Christi conditus dicitur 344; hebraice interpretatur terrenus, dolens, igneus, nobilis 43. 495. Duplex hominis status: temporalis et aeternus 217; in paradiso accepit praeceptum obedientiae 2; instigante diabolo peccavit 46. 176. 186, concupiscens similitudinem Dei 146, et eiectus est de paradiso 166. 416. 421. Per Baptismum fit filius Dei, templum Spiritus S., heres regni coelestis 49. 230; semper rerum terrenarum cupidine movetur 127; naturaliter desiderat beatitudinem 206; et vult ab omnibus diligi 29; naturaliter seipsum diligit, sed Deum diligere debet super omnia 33; sibi ipsi inimicus est 38; homo nequam dicitur homo Belial 247; homo prudens omnia agit temporibus suis 447; non accipit consilia mala 451; omnis homo vel Christum vel satanam sequitur 247; multae imagines hominis conversi ad fidem habentur in S. Scriptura 373; quisque christianus purus aliquod membrum Christi repraesentat 341; templum Dei et Spiritus S. est 348. 469.

Horatius citatus 59. 220. 293. 386. 393. 527.

Horeb mons sanctus ubi Deus Moysi et Eliae apparuit et ubi petra ex qua aquae divinitus fluxerunt 425.

Humilitas maxime Deo placet 119.

Hymnus laus Dei cum cantico 534.

Hypocrisis simulatio est alienae personae 283.

Hypocrita in multis distinguitur a vero christiano 291-296.

— Dicitur etiam mimus 283.

I

Iabel pater pastorum 292.

Iacob patriarcha princeps potens interpretatur 113, planta pedis et etiam merces 212; nomen eius mutatum in Israel 113. 116; electus prae Esau 216, qui eum persequebatur, figura Christi 438. 440; tertius inter summos Patriarchas, figura Spiritus S. 313. 322; ab Isaac benedictus et princeps institutus 156. 211 pro Esau 230; populum electorum designat 211. 219. 388; internis domus operibus delectabatur 212; dives et sanctus quia simplex 203. 211; Deum vidit in humana specie 112, in summitate scalae, et Angelos ascendentes et descendentes 41. 63. 114. 136. 148. 205. 420. 502; cum Angelo luctans eum vicit 10. 112 et ab eo benedicitur 120; fugiens persecutionem Esau in Mesopotamiam abiit 448; divisit oves suas ab ovibus Laban 9. 28; fecit ut oves suae agnos parerent maculatos 51, qua distinguerentur ab ovibus Laban 284. 288; ardentissime Rachelem adamabat 36. 341 magis quam Liam 264; divitias Laban accepit 230; ab eo furti incriminatur 282; reliquit domum eius et dives valde venit in Palaestinam 132. 297; humilis in domo Laban, gloriosus in propria 499; pronus in terra septies Deum exoravit 20. 120; iussit ut idola sepelirentur in terra 85. 346; Esau amabat sed timebat 112. 445; eius prudentia laudata 449; transivit Iordanem cum baculo 504, figura crucis Christi 516. 542.

Iacobus S. apostolus docet fidem sine operibus mortuam esse 17, nec posse salvare 22; petitiones male factas a Deo non exaudiri 118; Deum vocat Patrem luminum 146; gratiam appellat datum optimum et donum perfectum 314. 432. 435.

Iahel laudata in Sacris Litteris 123.

Iairus Christum pro filia deprecatur 114.

Idololatria peccatum omnium primum et maximum 267; summa impietas 2659; appellatur odium Dei, rebellio, adulterium, crimen non ferendum 267; propter hanc Hebraei multa passi 236-237, et Deus perdere volebat omnem populum in deserto 265; ad hanc destruendam missi fuerunt Prophetae et Christus ipse 246. 268.

Iehu rex Israel, occidit in templo omnes servos Baal 84.

Ieiunium in primis necessarium est ad vitam christianam 1-2; faciendum est ex caritate 7; omnes Sancti ieiunium coluerunt, quo vita christiana fulcitur 52.

Iephte princeps Hebraeorum, eius stratagema ut Ephrathaeos comprehenderet 394.

Ieremias propheta in utero matris sanctificatus 416. 368, 422; sanctitatem et magnam scientiam habuit 358; missum se dicit ad vitia corrigenda 253. 453; coarguit populum qui in fide mortua confidebat 21; vidit ante templum duos calathos plenos ficis 66. Christi adventum vaticinatur 77, quem appellat regem, sanctum et sapientem 358. 364. 450, germen iustum 79. 178, novam legem laturum 186. 236, venturum in salutem Iudaeorum non Gentium 264; agno eum comparat 508. Deum dicit cogitare cogitationes pacis 487; eum appellat fontem aquarum viventium 172. Synagogam multis nominibus appellat 492, vineam electam a Deo plantatam 224, olivam uberem et speciosam 227; lamentatur populum Deum reliquisse et ad idololatriam se convertisse 430-431; Ierusalem ad poenitentiam invitat 471 et admonet ut lavet a malitia cor suum 286; tribulationes appellat calicem inebriantem 200; a Deo missus in domum figuli 361. 382; semel, iterum et tertio vaticinatur contra Iudaeos, contra Ierusalem, contra templum 232; praedicit multa flagella 250, captivitatem babylonicam 232. 265, quam duriorem dicit subversione Sodomorum 236; obedientiam Rechabitarum commendat 187; 293; dicit malos seminare triticum et spinas metere 230. Verus Dei propheta, ideo vexatus 257; in carcerem missus a rege Sedecia 327; mortem diem hominis appellat 395.

Iericho luna interpretatur 5; primo ab Hebraeis expugnata 5, divino miraculo 6.

Ierusalem visio duplicis pacis interpretatur 149, 193. 1897; supra montem aedificata 197. 206; a Chaldaeis destructa 258. Figura paradisi 83. 159. 193. 206, et regni Dei 445.

Ignatius S. citatus 302.

Ignis inextinguibilis symbolum caritatis 36. 42-43. 335.

— Sacer qui de coelo descenderat semper ardebat super altare sacrificiorum 35. 43; eo opus erat ad incensum adolendum 115.

— Alienus consumpsit filios Aaron 347.

Ignorantia fons et origo omnium malorum 90. 95. 363; a peccato protoparentum orta 96; quam maxime damnatur in Sacris Litteris 363.

Ignotum diligi nequit 89.

Immundus prohibebatur ad sanctuarium accedere 120.

Impius ut sus immundum in morte mundum clamoribus replet 216.

Incensum in sanctuario offerendum multis aromatibus constabat 119; figura orationis 114-115. 310.

Incredulitas radix est omnium malorum 95. 98; ob peccatum originale veluti connaturalis homini 95; apud Deum nullam meretur gratiam, sed iram 97-98; hominem facit ex paradiso infernum 98.

Infernus datur in poena peccatorum 67; est habitatio daemoniorum 171; aeternus est 214; timor inferni cohibet a peccatis 273.

Inimicus diligendus 30. 33. 42; praeceptum diligendi inimicum non est impossibile 33-34; qui inimicum odit fratrem odit 36. 43; inimicos spirituales odisse praecipimur 38.

Iniuria. Iniurias et vituperia omnes naturaliter abhorrent 273.

Inobedientia displicet Deo quam maxime 186-187.

Ioab sub specie amicitiae Abner prodidit 243; tribus lanceis pectus Absalom transfixit 519.

Ioannes Baptista primum praedicavit poenitentiam 3. 207. 474, et egit etiam cum discipulis suis 52. 58; Christum baptizavit 169, et appellavit agnum auferentem peccata 89. 520. 537; in carcere positus 327, ad eum mittit discipulos 132; publicanos et milites iustitiam monuit 352; nullum miraculum fecit 106; habuit coelestem doctrinam cum magna sanctitate 358.

Ioannes Evangelista S. apostolus in principio Evangelii Christum ostendit verum Deum 57, per quem omnia facta sunt 432; eum dicit lumen mundi 240; saepe etiam vitam 383; Evangelium appellat gratiam et veritatem 40; gratiam autem Spiritum S. et aquam 435; in Christo gratiam cum doctrina coniungit 357; gratiam et sanctitatem Christi praedicat 415; dilectionem Christi erga Lazarum refert 404; dicit Iudaeos odisse Christum quia se Deum faciebat 455; narrat dominicam passionem 508; specialiter loquitur de transitu Christi in Cedron et de agno paschali 505. In sua *Canonica* Christum dicit verum Deum 456. 460. In *Apocalypsi* Christum dicit templum paradisi 343; oculos Christi esse sicut flammam ignis 449; eum vidit equitantem super equum album 68. 441, satanam autem super equum nigrum 441; animalia in coelo perpetuo sanctitatem Dei laudantia 411; Deum in medio viginti quattuor

seniorum 485; accepit ab Angelo librum devorandum 33. 37; librum vidit signatum sigillis septem 464, quem nemo hominum vel Angelorum aperire poterat 355; mulierem sole amictam Ecclesiam figurantem 454; multa dicit de Christo Agno 509; agnum habere oculos septem 489; iram Dei vinum appellat 200; audivit animas interfectorum petere vindictam apud Deum 310; fluvium vidit procedentem de ore serpentis 432, et alium sub throno Dei cuius aquae clarae ut crystallum 436; electos signatos in frontibus signo Dei, reprobos charactere bestiae 28. 284. 466; Iudaeos dicit synagogam satanae 443. 463.

Iob in terra Hus iustus ac timens Deum 20. 183, dives et sanctus 202. 215; tentatus a Deo 32. 52, et a satana flagellatus 541; miserabilis in sterquilinio 152, et patientissimus 212; figura generis humani in statu culpae 131; accepit omnia de manu Dei 45; non peccavit labiis suis 517; petiit ut auferretur iniquitas eius 309; post plagas restitutus fuit maiori splendori quam pristinus erat 132; disputationem habuit de iustitia providentiae Dei, et victor exiit 292; dicit impios ad inferna descensuros 210; sapientiam praetiosiorem omnium thesaurorum 320. 436; hominem admiratur 496.

Ioel propheta Messiam dicit doctorem iustitiae 177-178; populum ad poenitentiam invitat 471.

Ioiada cognoscens Dominum interpretatur 448.

Ionas columba interpretatur 94; figura humilitatis et sanctitatis Christi 104. 110; fugit a facie Domini 168; tempestate exorta in mare mittitur 167-168. 504, ne navis submergeretur 526; in ventrem piscis intrat 110 et canticum canit Domino 534; a Deo salvatur 327; figura resurrectionis Christi 101; praedicavit Ninivitis poenitentiam 3, qui lumen divinae gratiae receperunt 382; non praedicavit circumcisionem et legem Moysi 101. 263.

Ionathas post pugnam gustavit mel 117, et incurrit capitalem sententiam 187; sed veniam obtinuit 174; locutus est Sauli in favorem David 486.

Ioppe pulcritudo interpretatur 168.

Iosaphat rex iudices dicit exercere iudicium Domini 487.

Ioseph ab Arimathaea non consensit consilio principum contra Iesum 486.

— Patriarcha singulariter a patre amatus 493; odio habebatur a fratribus 440, a quibus multa passus fuit 515. 519, quia patri singulariter dilectus 441. 493; afflictus innocens figura Christi 504; iustus inter Aegyptios 21; Deus illi revelavit futuram ipsius gloriam sed non afflictiones 377; dives et sanctus 202. 215; spiritu prophetico donatus 166; habuit scientiam infusam cum magna sanctitate 356-358. 365; laudata eius prudentia 449; dominus Aegypti pro Pharaone constitutus 47. 153. 159. 224; mundum a famo servavit 212. 439; exemplar dilectionis inimicorum 35; eius caritas erga fratres 44, qui timebant eum ob conscientiam culpae 64; videns eos multas lacrimas fudit 400; durum se illis ostendit cum maxime eos diligeret 116; ad mensam sedere fecit iuxta ordinem aetatis 194; pro eis oravit apud Pharaonem 310; Dei dispositione dixit se missum in Aegyptum 487; figura Christi 161. 348.

Iosias rex dives et sanctus 202. 215; templum Dei ab immunditiis idolorum purgavit 84. 346.

Iosue Angelum vidit 96; dux populi constitutus pro Moyse 49. 301. 450; intravit in terram promissionis 297 Chananaeos expellens 340. 351, et Hebraeos introducens 454; in transitu Iordanis aedificavit monumentum 238; expugnavit Iericho et Hai 5-6. 454; solem et lunam stare fecit 96; distribuit terram promissionis tribubus Israel 194. 205; aedificavit Thamnath Saraa 454; divisit populum super duos montes ad benedicendum et maledicendum 65. 75; figura Christi 161.

Ira Dei lento incedit gradu 229.

Irenaeus S. dicit Episcopos ab Apostolis institutos et eorundem successores 303-304.

Isaac patriarcha dives et sanctus 203. 215; ab Ismael vexatus 438; collegit centuplum in messe 330; detulit ligna holocausti super humeros, figura Christi 504. 542, ligatus super struem lignorum 542, oravit pro Rebecca 310; benedixit Iacob 67 loco Esau, et obstupuit 216, figura praedestinatorum 219.

Isaias propheta divinus salvator interpretatur, figura Christi 309; multa miracula fecit 105; seraphico ministerio purgatus 368. 416, Deum vidit sedentem super solium excelsum 69. 88. 364. 411, inter duos Seraphim canentes 71, 157. 187. 420, operientes pedes et facies suas 464, duo Testamenta significantes 335; curavit regem Ezechiam cataplasmate ex caricis 277. 309; invitavit Achaz ut peteret signum 92; praedicavit magnitudinem Dei 172; discrimen

statuit inter Deum et homines 163. 204. 488; Deum dicit lucem paradisi 146; expectare ut misereatur nostri 317, et velle nos resipiscere a malis 318. Vaticinatur felicitatem populi Deum sequentis 149; synagogam vineam Domini appellat 224; evertendam propter perfidiam Iudaeorum 227-228. 257-258; sed non penitus destruendam 238; populum Iudaeorum dicit populum Sodomae et Gomorrhae 236; Deum ablaturum optimos principes et daturum effeminatos 490; munditiam praedicat 286. 346; peccatores invitat ad poenitentam 474; peccatum dicit vanitatem et iugum 168; fideles et iustos vestes esse Christi 154; gratiam Dei appellat ornamenta sponsi et sponsae 314. 434; multa dicit de eleemosyna 331; coelum dicit tenuem naturam 163. De Christo et Praecursore eius vaticinatur 77, 456; Christum dicit venturum ad praedicandum pauperibus 62. 79. 371; omnes categorias de eo praedicat 87-88; multis nominibus eum appellat 14. 78. 105; regem, iudicem, legiferum et salvatorem 132. 190, sapientem 450, et Deum 457-459, auferentem peccata 144 et infirmitates nostras 309, ducem et praeceptorem gentibus 177, iustum et sanctum 181. 364 ; futurum in ruinam duabus domibus Israel 262. Vaticinatur dignitatem et gloriam Christi 343, eiusque humilitatem 499; doctrinam eius sicut imber et nix futuram 361; eum appellat splendorem et lampadem 362, et agno comparat 508 cum septem oculis et septem cornibus 511; doctrinam cum sanctitate in eo coniunxit 358; Christum in passione sua vulneratum describit 541-542; ignorantiam scientiae divinae causam dicit malorum populis 363; infidelitatem caecitatem appellat 371; sitientes invitat ad aquas gratiam intelligens 430. 435. Christum dicit Deo dilectum 438.

Ismael Isaac persequebatur propter hereditatem 441; figura reproborum 219.

Iubal pater canentium cihtara et organo 292.

Iudaea divina laus interpretatur 114. 443; loco editiori sita, figura regni Dei 442. 444.

Iudaei natura durae cervicis 360; admirabantur Christi sapientiam 355; videntes caecum illuminatum stupebant 374; calumniabantur tum vitam tum doctrinam Christi 363, et quod miracula faciebat in sabbato 360; voluerunt audire a Christo an ipse esset Messias 463, scandalizabantur quia Christus se dicebat Deum 455; magna eorum caecitas ut non agnoscerent eum esse Messiam 378- 3759; persequebantur eum quia spiritu satanae agebantur 440-441, et eum occidere quaerebant 442-451, et decreverunt turpissima morte interficere 493; petierunt ut dimitteretur Barabbas et Christus crucifigeretur 540. Vide *Hebraei.*

Iudas confessio interpretatur 82.

— Iscariotes malus inter Apostolos 21; spiritu satanico repletus 517; sub specie amicitiae Christum prodidit 243, et periit 74; peccavit ob avaritiam 347. 526, et seipsum laqueo suspendit 218. 350; eius poenitentia cum desperatione 475; apostolatum eius Mathias accepit 233.

— Patriarcha locutus est fratribus in favorem Ioseph 486; cum commisisset peccatum timuit contemptum 272-273.

Iudex ut sit perfectus requiruntur in eo auctoritas, potentia, sapientia et aequitas 62-63; iudices in Sacris Litteris dii appellantur 487.

Iudicium finale principale dogma fidei nostrae 71; spectaculum erit iucundissimum simul et terrificum 63.

Iudith laudata in Sacris Litteris 123; Iudaeis causa magnae victoriae 126.

Ius. Iura Status, rationes Status, iniquissimae leges 295-296.

Iustitia perfecta iubet abstinere a malis et bona facere 210; consistit in observatione divinarum legum 293; in sola Christi Ecclesia invenitur vera iustitia 266; sine ea mundus consistere nequit 265; iustitia et pax in Sacris Litteris saepe coniunguntur 149.

Iustificatio consistit in remissione peccatorum et in sanctis virtutibus ac spiritualibus actionibus 7; ideo ad iustificationem requiruntur gratia et caritas 476; gratia iustificationis effectus est divinae praedestinationis 139; homo non iustificatur invitus 136; iustificatio tribuitur Spiritui S. 322.

L

Laetitia spiritualis consistit in gratia Spiritus S. 7; in Divinis Litteris oleum appellatur 117.

Lapis asbestinus in Arcadiae montibus semel accensus nunquam extinguitur 43. 354.

— Lydius ad dignoscendas veros aureos ab adulterinis 388.

— Danielis in magnum montem crevit, figura Ecclesiae Christi 299.

Lazarus auxilium interpretatur 221; ab Angelis portatur in sinum Abrahae 55. 525, figura electorum 209. 222.

— Frater Mariae et Marthae, amicus Christi dilectus 399-406; eius resuscitatio maximum fuit omnium miraculorum Christi 404-405; multa mysteria per hanc resurrectionem significantur 397, Lazarus mortuus figura hominis in peccato constituti, eius resurrectio figura institutionis sacramenti Poenitentiae 407-410; recumbit ad mensam cum Christo 502.

Legislator tria habere debet: summam auctoritatem, mentem sapientissimam, voluntatem sanctissimam 189.

Leo prophetam occidit et custodivit eius cadaver 517; leones devorabant eos qui ignorabant ritum terrae Israel 263.

Lex hebraice dicitur תּוֹרָה, quod est doctrina 38; aliquando dicitur iugum et vinculum 192; data fuit ad perficiendum hominem quoad intellectum et quoad voluntatem 185; triplex: naturalis, mosaica, evangelica 34; lex publica clara et facilis esse debet, iusta, perpetua, ab errore immunis 398-39; bona lex naturae, sancta lex Moysi, sanctissima lex evangelica 38. 189-191; lege naturali ab initio homo ornatus fuit contra peccatum 272; leges iustae et sanctae necessariae sunt reipublicae 188; ut lex sit perfecta septem requiruntur conditiones 190; data fuit populo in deserto 51, a Deo per Moysen super montem Sinai 189, in duabus tabulis 178. 182. 264, quae positae fuerunt intra arcam 190. 288; in una erant praecepta quae hominem ad Deum ordinant, in altera quae ad proximum 183; tribus vicibus scripta fuit 34; duo genera praeceptorum: negativa et positiva 318; appellatur in Sacris Litteris currus Dei, verbum veritatis, mansuetudinis et iustitiae 42; lex Moysi magna gratia Dei sed imperfecta 179. 184; primum legis praeceptum, ne Deus simul cum idolis colatur 85; temporalem promittebat felicitatem 192; divina lex duo singulariter tradit: dogmata fidei et praecepta virtutum 191; lex evangelica perfectissima 38-39. 180. 184; nec Angeli nec Deus poterant excogitare meliorem 191; legem veterem abrogavit 184; post Christum nemo salvatur per legem Moysi vel naturalem 454; impossibilia non iubet, sed perfecta 37. 41; in humanis legibus externa tantum imago iustitiae reperitur, in divinis summa sanctitas 295; scopus et finis totius divinae legis est vitae sanctitas 421.

Lia laudata in Sacris Litteris 123.

Lingua in Sacra Scriptura gladius appellatur 271-272.

Loth iustus in Sodomis 20-21; elegit Pentapolim regionem deliciosam 200. 204; ab incendio salvatus 65. 74. 251. 445.

Lucas S. evangelista refert Christum crescentem sapientia et gratia 179. 357; admirationem hominum ob eius miracula 106; praedicentem passionem suam 198; dicentem satanam tollere verbum fidei de corde hominum 241; publicanos et milites a Ioanne Bap. salutaria monita recepisse 352; Christum in horto in agonia factum 512; in morte Christi solem obscuratum 522; sanctam conversationem christianorum 462.

Lucifer malus inter Angelos 21. Vide *Satanas*.

Ludus latrunculorum figura status vitae praesentis 214-215.

Lycurgus legem dedit Lacedaemoniis 188.

M

Magdalena turris interpretatur 479; ut cognovit ad Christum ivit cum lacrimis 313. 403 et unguentum effudit super caput illius 501; propter magnam contritionem a Christo absoluta 139. 479; perfecta imago poenitentiae 471; gloriosior Martha 470; oravit pro Lazaro 310.

Magi Pharaonis virtute daemonum operabantur mirabilia 243.

— Procidentes adoraverunt Christum 115.

Magistratus. Duo requiruntur in magistratibus: sapientia et vigilantia 489; Dei spiritu regi debent 489; in Sacris Litteris dii appellantur 487.

Malachias propheta adventum Christi praedicit 65, quem appellat solem iustitiae 79. 178. 420; sacrificium in Ecclesia offerendum Deo gratum fore praenunciat 101. 266; refert querelas multorum de prosperitate iniquorum in hoc mundo 64, sed Deum dicit iustitiam facturum 65.

Malum in hoc mundo cum bono admixtum reperitur 20-21; mala terrena ad Deum ire compellunt 117.

Manasses rex sanguine Prophetarum Ierusalem replevit 258; poenitentiam egit et in eo elucet imago poenitentiae 471.

Manichaei mundum hunc corporalem docebant a satana factum, spiritualem a Deo 290.

Manna in deserto pluit 51, quadraginta annis 529; orto sole liquefiebat 144; in arca servata 37. 149; in litteris quibus componitur nomen eius continetur nomen Dei tetragrammaton 86; Christum praefigurabat 86; figura etiam divinae bonitatis 118. 336, et gratiae Dei 314, et spiritualis consolationis 315.

« Manus ad manum ». adagium 210.

Mara aquae amarissimae 34. 37. 117.

Marcus S. evangelista refert civitatem congregatam ad ianuam domus ubi Christus operabatur miracula 299; Dominum ex sputo caecum illuminasse 380.

Mardochaeus ab Assuero regalibus ornamentis indutus 146 et princeps constitutus 47. 153.

Mare Rubrum in quo perierunt locustae Aegypti 520, et Aegyptii submersi, Hebraei autem salvi fuerunt 106. 520; Baptismum significat 49; mare appellabatur vas maximum in templo Salomonis 302. 433.

— Mortuum lacus asphaltidis potentissimi 315.

Maria Virgo invenit gratiam apud Deum 24; orationi instabat 114; existimatur germana matris filiorum Zebedaei 119.

— Soror Moysi, symbolum fidei 426.

Martha oravit pro Lazaro 310; Christum in domum suam excepit 501.

Mathias S. apostolus pro Iuda electus 301.

Matthaeus S. apostolus et evangelista in quo elucet imago verae poenitentiae 471; refert Christum praedicentem passionem suam 198; solo tactu caecos illuminantem 380; sub nomine fermenti doctrinam Pharisaeorum designantem 515; sub nomine mali diabolum significantem 241; ex Isaia Christum dicit Deo dilectum 438; miracula in Christi passione facta refert 522.

Medicus. Medici contra viperae venenum ex ipsamet vipera remedium sumunt 530.

Melchisedech rex Salem, rex iustitiae et pacis interpretatur 149; rex et sacerdos Abrahae occurrit eumque benedixit 112; figura Christi 161. 186. 342.

Mercatura bona et utilis reipublicae si iusta et honesta 84. 352, sed multis periculis obnoxia 353; prohibetur clericis 353.

Metaphysica nobilissima scientiarum regina 23. 163.

Michaeas propheta Deum vidit sedentem super solium 65; praescribit sanctam vivendi formam 183; universam legem ad tria capita reducit 178; Christum vaticinatur doctorem populi 183; et Deum 457; docet sanctitatem necessariam esse ad salutem 418; verus Dei propheta ideo vexatus 257.

Militia prohibetur clericis 353.

Miphiboseth ad mensam David quasi unus de filiis regis comedebat 201.

Miraculum non sufficit suapte natura ad fidem conciliandam nec est omnino necessarium 106; probat verum Dei prophetam 256. 259; multa miracula fecit Christus ad probandum se verum esse Messiam 106-109.

Modus in qualibet re maxime attendendus 527.

Monarchia est optimus principatus 161.

Mors est ultima linea rerum 220; ultimum terribilium 387; eius meditatio philosophia vitae 385; est liber valde reconditae philosophiae 393.

— Triplex: naturalis, spiritualis, aeterna 166; naturalis mors est poena peccati originalis, aeterna peccati actualis 391; electis est dulcis sommus 404, et porta paradisi, amatoribus mundi porta inferni 220. 393.

Mortificatio carnis in primis necessaria ad vitam christianam 2, et ad aeternam salutem 58. 200-208; figurata per circumcisionem 2; scala coeli est 196; caro expugnanda est variis poenitentiae operibus 5-6.

Moyses verus Dei propheta 102-103 et Prophetarum princeps 234. 365; princeps synagogae 297. 401; apud Deum invenit gratiam 399 et servus Dei appellatur 234; primum eius facinus: aegyptium occidit 2; abiit in desertum oves pascens et Deum invenit 311. 320. 333-334; vidit Deum in rubo ardenti 51. 56. 406, et operuit faciem suam 335; Deus iussit eum calceamenta solvere 3. 71. 96; ex pastore ovium dux populi factus 49. 159. 224. 261. 499, et iudex in utroque foro 71. 181, et deus Pharaonis constitutus 57; Deus dedit illi sapientiae donum 71. 350. 356 cum magna sanctitate 358 et virgam ad facienda mirabilia 78; varia signa a Deo accepit 92. 111; videns virgam in serpentem versam fugit 33. 42; virga domuit superbiam aegyptiacam 395; multa miracula fecit ut crederetur verus Dei legatus 103-105. 224. 259. 359; cum Deo familiariter conversabatur 399. 406; Hebraeos ab Aegyptiis divisit 64-65; missus fuit ad divinam religionem propagandam 246; multa didicit ab Angelis 356; salutem populi et Dei gloriam ardenter desiderabat 6; mitissimus fuit 23, descendit de monte ut destrueret vitulum aureum 347, et

ob idololatriam multa millia Hebraeorum occidit in deserto 74. 84. 267. 309. 349 et extulit tabernaculum Domini extra castra 171. 347; oratione quam maxime pugnavit contra Pharaonem 275; a populo multa passus pro eiusdem salute orabat 44; ne puniretur 310; quadraginta diebus in monte oravit 113; pronus ante Deum divinam misericordiam implorabat 120; non ore sed corde orabat 474; oravit elevatis manibus 114 et oratione sua Iosue Amalecitas superavit 122; acriter arguit Hebraeos aquam petentes in deserto 93-94. 104, eorumque incredulitatem et duritiam increpavit 95; bis percussit petram quia defecit in fide 424-426; a Deo salvatus in nube cum eum Hebraei occidere vellent 257; eos maximae ingratitudinis arguit et multa minatur in punitionem 229; Deum in humana specie vidit, sed tantum vidit posteriora eius 308; sub pedibus Dei vidit opus quasi ex lateribus sapphirinis 523; septem lucernas in sanctuario posuit semper ardentes 276. 278; locum dedit tribubus circa tabernaculum 206; tribum Ioseph benedixit 169; agit de homine physico 1-2; quinque praecipue docet in creatione mundi 506; in sua cosmogonia non tangit creationem Angelorum 137. 149; prius agit de tenebris et postea de luce 288; mundum et hominem dicit ab eodem Deo creatos 311; duplex statuit aquarum genus 360; formationem hominis describit 209; differentiam assignat inter coelum et terram 162 et inter terram Aegypti et terram promissionis 172; coelum appellat spiritum Dei 163; synagogam appellat regale sacerdotium 300; observatoribus legis benedictionem Dei promittit transgressoribus maledictionem 68; canit beatitudinem Israel Deum fideliter colentis 150; Dei esse iudicium dicit 487; panem azymum panem afflictionis appellat 515; docet solam scientiam divinam 367-368; solos Dei cultores dicit salvari 83; Deum quaerendum esse in tota tribulatione animae 471; doctrinam pluviae comparat 177-178. 361; legem appellat sapientiam et intellectum 181. 184, gratiam et virtutem imaginem et similitudinem Dei 23. 314. 434; de singulari amore Dei erga electos loquitur 169, et de populo caecitate percusso 371; praedicabat populo peccata quae in Deum commiserat 382; multos peccati effectus enumerat 130; singularis figura Christi 102. 161. Christum vaticinatur prophetam magnum 79. 105; fuit paedagogus noster in Christo 178; in transfiguratione Christi in maiestate apparuit cum Elia 149. S. Litterae de eo praedicant doctrinae veritatem et vitae sanctitatem 365.

Mulier de carne hominis formata et virissa appellata 124, hebr. ab igne 481; primum receptaculum peccati fuit 472; per eam peccatum et mors intraverunt in mundum 280. Divina Scriptura ostendit feminei sexus nobilitatem et utilitatem 125; ab ornatu exteriori cognoscitur quae sit 481; omnibus virtutibus ornata esse debet 128, quibus valde utilis efficitur 124; est naturaliter ambitiosa 478. 481; laudibus summopere delectatur 124, et facile mundi vanitatibus deditur 127; mulierem a peccato resipiscere miraculum est 478. 480; media tenere non novit 481.

— Sapiens utilissima civitati Abelae 126.

— Vidua sareptana. Eius filius defunctus ab Elia resuscitatus fuit 126.

— Chananaea occurrit Christo 112, et in Christum credidit licet de semine maledicto Chanaan 120; in ea enitent vis magna orationis 127, ipsiusque excellentia et conditiones ut a Deo audiatur 114-115; a Christo laudatur ob virtutem 124-125; imago est animae perfectae virtutis 122. 373, et Ecclesiae Gentium 123.

Lex de muliere bello capta ab hebraeo ducenda in uxorem 480; duae mulieres coram Salomone altercantes 264; sanctae mulieres sperantes in Domino ornabant se 483; mulieres Christum ad Calvarium sequebantur 536. Vide *Eva*.

Mundus homo ter maximus dicitur et Dei imago 223. 341; mappa-mundi descriptio orbis 341; totus in maligno positus 132; sentina omnium vitiorum 176; laudari vult etiam cum male agit 443.

N

Naaman syrus ab Eliseo in aquis Iordanis curatus a lepra 135. 259, figura poenitentiae 470; aquas Syriae existimabat meliores aquis Iordanis 339.

Naas rex Ammonitarum Hebraeis dextros oculos eruit 452.

Nabal carmelus insipiens interpretatur 79.

Nabuchodonosor statuam suam ab omnibus adorari praecepit 48; volebat ut servi sui somnia eius divinarent 153; in bestiam mutatus, figura hominis post peccatum 5. 170.

Naim pulcritudo interpretatur 387, et iucunditas 391; figura deliciarum mundi 389.

Nathan propheta donum interpretatur 448; David corripuit 269. 382. 409.

Nazaraeus a Deo sanctificatus, in templo morabatur, omnia quae ex vitibus oriuntur illi interdicta erant, figura christiani 344.

Nicodemus discipulus occultus Christi, in concilio Pontificum in favorem eius locutus est 486.

Ninive appellata civitas magna a Deo 163; eius malitia ascendit coram Domino 97; Ninivitae nullis visis miraculis Ionae crediderunt 93. 106, et salvi facti sunt 100; in eis elucet imago poenitentiae 471.

Noe quies et consolatio interpretatur 122. 149; iustus in generationibus suis 20; apud Deum invenit gratiam et cum Deo ambulavit 24. 247. 292. 398. 406; eius fides et iustitia laudantur 17. 22; obedientissimus Deo 186, qui dedit illi praeceptum ut arcam fabricaret et bestias in eam induceret 34, et arcam liniret bitumine intrinsecus et extrinsecus 280; cum familia sua et animantibus a diluvio salvatur 66. 251; signum iridis accepit 92; plantavit vineam 224; dormiens, figura Christi 504; maledixit Cham et benedixit Sem et Iaphet 67.

Noemi amaritudine repletam se dixit 519.

Nomen. Privatio nominis in S. Scriptura privationem gratiae Dei significat 220.

« Non creditur hodie, sed cras credetur », adagium 216.

Numa Pompilius legem dedit Romanis 118.

O

Obedientia quam maxime commendatur in Sacris Litteris 187; ob violatam obedientiam Angelus et homo peccavere 186.

Odium oritur ex mala voluntate et depravata mente 440; odium et amor naturalia sunt homini et animalibus et necessaria ad salutem 37; odium Christus praecipit contra inimicos spirituales 38.

« Opposita ex comparatione clarius dignoscuntur », axioma philosophicum 233.

Oratio apud Deum magnam virtutem habet 113, si bene fiat 208; sicut ostenditur in oratione mulieris chananaeae 212-228; semper et ubique omnia potest 275. 279; clavis est omnium thesaurorum 121.

— Insipiens non exauditur 118. Sanctorum orationes potentes sunt apud Deum 310.

Orator. In oratore potissimum est pronunciatio 527.

Ornamenta singularia magni sacerdotis: lamina aurea, virga sacerdotalis et Rationale iudicii 71.

Ornatus. Maiorem ornatum Deus contulit masculino sexui quam feminino 482.

— Immodicus signum est vanae gloriae et incitamentum libidinis 482.

Orpheus solem appellat oculum coeli et fontem vitae 145.

Oseas propheta dicit fornicationem et vinum auferre cor 307; ignorantiam scientiae divinae causam esse peccatorum 363.

Ovidius citatus 405. 481-482.

P

Palaestini in signum laetitiae caput ungebant et faciem lavabant 7.

Panis metaphorice multa significat 326.

Papa Dei et Christi Vicarius, dicitur Sanctitas, Pater patrum, Pastor pastorum, Episcopus Episcoporum 441.

Paradisus Dei beatitudo dicitur 171; est aeternus 214; datur in praemium virtutis 67. 152; est articulus principalis fidei christianae 159; pro Angelis et pro hominibus factus 170; nemo excluditur nisi propria culpa 194; nil inquinatum in eum intrat 286. 421; dicitur hereditas Dei 421; paradisi gloria est ineffabilis 147. 159; multis nominibus et metaphoris designatur, sed declarari non potest 147-148. 159; beatitudo paradisi omnia desideria implet 154. 159; omnes poenas mundi compensat 152; etiam pax conscientiae est quidam paradisus 149.

— Deliciarum a peccato mutatus in xenodochium morborum 131.

« Parum pro nihilo reputatur », axioma philosophicum 379.

Pascha celebrandum erat singulis annis ex praecepto Dei 238.

Passio Christi multis figuris significata 504; maxime patefacit divinum amorem erga nos 513; effectus passionis Christi redemptio generis humani 520, et institutio novae Ecclesiae 521; conflictus et pugna fuit contra satanam 530; non omnes Christi passione salvantur 526; in Christi passione modus quam maxime attendendus est 527.

Paulus S. apostolus prius conversus a Christo ut per eum mundus universus converteretur 211; expertus est infelicitatem caecitatis spiritualis 373, a qua per Baptismum illuminatus fuit 373; in eo elucet imago verae poenitentiae 471; statim ac conversus Christum praedicare coepit 374; vivebat in vigiliis et ieiuniis 52; mundana omnia nihili faciebat 10. 347; propter fidem multa passus 376; civis romanus flagellis caesus 541; pro persecutoribus Iudaeis sacrificari cupiebat 44; repletus Spiritu S., raptus in paradisum 147. Gloriam paradisi dicit praemium tribulationum 150; hominem spiritualem appellat hominem interiorem 1; docet necessariam esse mortificationem carnis ad vitam christianam 2-5; fidem dicit virtutum omnium fundamentum 95; sine fide impossibile esse placere Deo 17; fidem ex auditu verbi Christi esse 416. 454; fidem per caritatem operari 18; fidem appellat spiritum 19, et novam creaturam 20. 454; per fidem Christum dicit habitare in cordibus nostris 286; gratiam Dei in se vacuam non fuisse 432; carnem nolle manducare si fuerit cum scandalo fratris 290; omnes homines vel filios lucis esse vel tenebrarum 297; iustos glorificandos in resurrectione 134.

Circumcisionem dicit signum fuisse iustitiae fidei 29; conversionem Iudaeorum praedicit 137. 238; in Agar et Sara docet latere mysterium Ecclesiae et synagogae 24. 297; sic in persecutione Ismaelis contra Isaac 351; Evam seductam fuisse 313. 472; Adam dicit figuram Christi 342; antithesim statuit inter Adam et Christum 493; incredulitatem mentes excaecare affirmat 98; terram proferentem spinas maledicto proximam 228.

Caritatem quam maxime commendat 229, sine qua nec fides nec martyrium prodesse affirmat 22. 42. 418; appellat eam vinculum perfectionis 28. 31, et viam salutis necessariam 30; caritatem esse ex fide non ficta 18; caritatem fraternitatis commendat 270; hilarem datorem diligi a Deo 7; omnes vult contra satanam ad bellum paratos 243; cuilibet christiano exhibet militaria arma contra diabolum 22. 54, idest, iustitiam, spem, fidem et sacram doctrinam 274; fideles debere supra Christum aedificare 8; eos dicit templum Dei 340, signatos Spiritu S. 29; omnes constituere unum corpus in Christo 300; singulos aliquod eius membrum repraesentare 502; imitatores Dei filios vocat 35, heredes regni coelestis 230. Ad consequendam praedestinationem oportere Christo conformari 195; docet instandum orationi 121; meditandam esse passionem Christi 198; ut filii lucis ambulandum 248; praescribit ordinem et regulam vitae christianae 183; spiritus munditiam commendat 287. 344; pacem promittit observatoribus Evangelii 150; solos electos dicit pertinere ad regnum Dei 248; mundis omnia munda esse 289; eleemosynam commendat 331; divites admonendos esse ut sint pii et misericordes 218; avaritiam dicit radicem omnium malorum 346; instruendos peccatores in spiritu lenitatis 277; hypocritas speciem tantum habere pietatis 283; falsos fideles appellat falsos fratres et crucis inimicos 284; carnales homines dicit Deo placere non posse 135; virtutem in infirmitate perfici 343; veros fideles esse qui audiunt verbum Dei 467; docet sanctitatem fideles 474; ad bona opera facienda nos esse creatos 502; recogitandam passionem Christi ne animo deficiamus 507.

Docet omnes nasci filios irae 142; Baptismum dicit lavacrum regenerationis Spiritus S. 322. 454, per quod Deus mundavit Ecclesiam 346; designat effectus Baptismi 49, quem figuratum dicit per columnam nubis et mare Rubrum 50. 325; prius esse quod animale, deinde quod spirituale 326.

Pietatem dicit utilem ad omnia 151; praemium virtutis appellat benedictionem, poenam vitii maledictionem 67; docet gloriam aeternam dari praedestinatis 25. 209; diversos esse gradus gloriae aeternae 194; omnem creaturam desiderare vitam sempiternam 82; per tribulationes eundum in coelum 196; bona et mala huius mundi temporalia esse, saeculi futuri aeterna 221; saepe coniungit pacem cum gratia 149-150; omnes dicit esse sicut oves morti destinatos 395, sed omnes resurrecturos 398.

Concedit mulieribus ornatum verecundum 482; docet non posse habere prudentiam politicam qui oeconomica caret 451; prudentiam carnis mortem esse et Deo inimicam 167. 449. 492, prudentiam spiritus vitam et pacem 449.

Ex veteri synagoga docet surrexisse Ecclesiam 227; legem Moysi nocti comparat, Evangelium Christi diei 38. 185; legem Evangelii regulam appellat 183; ignorantem ignorandum dicit 363; infidelitatem caecitatem appellat 370.

Spiritum dicit postulare pro nobis 113; Deum misisse Filium suum in mundum 226, et velle salutem omnium 82. 269 et sanctificationem

fidelium 155; lucem inhabitare inaccessibilem 335; omnem potestatem esse a Deo 181; Deum nos eripuisse de potestate tenebrarum 240, et nos elegisse ut essemus sancti 344-345; Deum appellat patrem misericordiarum 328, divitem in misericordia 329; implere omnia vota cordis nostri per cognitionem Christi 429; adeundum esse cum fiducia ad thronum gratiae Dei 119. 408.

Praedicat Christi sanctitatem 173-174. 534, benignitatem et humanitatem 313, incomprehensibilem caritatem 535, gloriam et humilitatem 498; hominem coelestem Christum dicit 204, Dei sapientiam et virtutem 180, hominem 240, superiorem Angelis 56, in quo sunt thesauri sapientiae et scientiae Dei 355, et verum Deum 57. 456. 460, factum sanctificationem et redemptionem nostram 83; Christum venisse ut peccatum destrueret 530; Christum se obtulisse Deo per Spiritum S. 513, et delevisse chirographum peccati 520; docet quid Christus acquisierit passione et morte sua 523; Christum pauperem factum ut nos locupletaret 212; salvatorem esse omnium, maxime fidelium 135; exemplar futurae transfigurationis nostrae 145; exemplar et instrumentum divinae praedestinationis 222; excellentiorem Moyse 189-190; multo potentiorem ad salvandum quam Adam ad perdendum 58. 132-134; in Christo omnia instauranda 495; cupiebat ut Christum omnes agnoscerent 79. 90; inter Christum et satanam societatem haberi non posse 240; Christum dicit archictectum et primum fundamentum Ecclesiae 298, per petram deserti figuratum 342. 424.

Dicit Christum dilexisse et sanctificasse Ecclesiam 459; Ecclesiam appellat agriculturam et aedificationem Dei 454, domum Dei, columnam et firmamentum veritatis 298. 501, sanctam et immaculatam 301; de Christo et Ecclesia Adam vaticinatum fuisse 377. 521; Ecclesiam comparat humano corpori 502.

Gratiam appellat thesaurum, gloriam Dei, vitam aeternam, pacem Dei 314. 435, spiritum vitae 320. 435; gratiam dicit abluere et sanctificare 318; docet principium, finem et media praedestinationis 465; gratiam superabundasse ubi abundavit iniquitas 469.

Paulus Samosatenus negavit Christi divinitatem 455.

Peccatores licet homines videantur, apud Deum canes sunt 120; contra Deum militant armis ipsius Dei 239; sequuntur partes satanae 247; dum in peccatis sunt, ligantur ecclesiasticis poenis 407; peccator per contritionem accipit remissionem peccatorum in throno gratiae, sed per Confessionem in throno iustitiae 408.

Peccatum diaboli imago est 32; Deus summopere odit peccatum 166. 175. 269; est transgressio divinae legis 174; res valde pudenda 272; monstrum horribile 171; venenum mortiferum excaecans mentem et cor 143. 176; diaboli similitudo 32. 143. 170. 176; Deum ab anima discedere facit 171, quam invadit spiritus malus 276; in bestiam mutat hominem 170, et eum ad infidelitatem deducit 231, et ad odium Dei 175; satanae captivum facit 143. 269; peccatum regnat in membris diaboli, non in membris Christi 281; est verus inimicus contra quem semper pugnandum est 271; vituperium est stipendium peccati 273; saepe oritur ex cupiditate experiendi novas voluptates 168; ab ignorantia ortum sumpsit 313. 477-478, et ab incredulitate 95. Est causa omnium malorum 129. 140. 171. 179; multa flagella legimus in Divinis Scripturis in punitionem peccati 236; Angelos de coelo expulit 160, et hominem de paradiso nudum eiecit 142. 166. 175. 340. 348; utranque naturam hominis labefactavit 129; mortem intulit 143. 170. 280; pervertit iudicium et depravat affectum 203; ex primo peccato praecipue germinarunt luxuria, avaritia, superbia 530. Multa remedia dedit Deus contra peccatum 278-279; ad delenda peccata, Deus tribulationes immittit 45; peccatum liberum arbitrium praesupponit 471-472.

Pecunia in mundo regina rerum 85.

Pentapolis sicut paradisus Domini videbatur 202. 204; in punitionem peccatorum igne consumpta 3. 65. 139. 236; pauci salvati ab eius incendio 74. 137; si decem iusti in ea reperti fuissent, Deus illi pepercisset 265.

Perseverantia in oratione necessaria 120.

Petra in Horeb bis percussa ex qua fluxerunt aquae copiosissimae 326. 424-428, ad sedandam sitim populi 526, figura Christi 424. 433. 504. 515.

Petrus S. apostolus ex piscatore summus Ecclesiae hierarcha constitutus 159. 297; Christum confessus est Filium Dei vivi 460, et omnia nosse 355; datae illi fuere claves regni coelorum 302; Christum ter negat 540, sed salvatur 526; in eo elucet imago verae poenitentiae 471. 475.

Scribit contra eos qui iudicium divinum negant 68; de gloria transfigurationis Christi loquitur 145. 156. 160; Christi passi vestigia sequenda dicit 198; Deum nos vocasse in admirabile lumen suum 241; necessarias esse tentationes ad fidem probandam 376; desideria carnis militare adversus animam 3.

Gratiam Dei multiformem appellat 17, magna et pretiosa dona 314. 435; vitam aeternam dicit finem fidei 21; fideles esse lapides vivos 298, gentem sanctam, regale sacerdotium 300; magnam sanctitatem commendat fidelibus 345; solos iustos dicit salvari 421; iustos in resurrectione glorificandos 134; bonum faciendum ad gloriam aeternam consequendam 153; caritatem operire multitudinem peccatorum 31; caritatem fraternam commendat 270, et erga praepositos obedientiam 181-182. Christum dicit constitutum a Deo iudicem universalem 359; concedit mulieribus ornatum modestum 482.

Pharao cum exercitu suo in Mari Rubro demersus 286.

Pharisaei et scribae Christum calumniabantur de secreto pacto cum satana 243, et eum arguebant quasi contemnentem traditiones 293; semper increduli arguuntur a Christo 92-111; ambitiosi et arrogantes 282; falsa religione praediti, hypocritae 185. 286; erant magistri in Israel 293, Moysi et Aaron successores 225; Christum persequebantur et occidere decreverunt 486-493.

Philippus S. apostolus eunucho dixit agnum apud Isaiam Christum figurare 509.

Philisthaei repleverunt terra et glareis puteos Abraham 446; concilium fecerunt contra Samsonem, sed in ipsorum perniciem 491; tot visis miraculis non crediderunt 106; noluerunt arcam Dei manere apud illos 518.

Philosophia seu metaphysica consistit in cognitione essentialium differentiarum rerum 163; scientiarum domina ac regina est 163.

Phinees zelo Dei occidit scelestum hominem 267. 349.

Phoenix comburitur lignis quae ipsa congregavit 219; significat aliquod rarum 379.

Phoroneus legem Graecis dedit 188.

Photinus negavit Christi divinitatem 455.

Pilatus agnovit innocentiam Christi 510, sed contra eum tulit iniquam sententiam mortis 542.

Piscina evangelica mundum designat post peccatum 131-132; eius aquae sanitatem conferebant 135; figura gratiae 140, et sacramenti Baptismi 137, et Poenitentiae 139, et divinae providentiae in mundo 138.

Plantae a Deo plantatae dicuntur electi, a satana plantatae reprobi 284.

Plato solem appellat simulacrum Dei 146; citatus 178.

Plutarchus dicit improbitatem sibi ipsi supplicium struere 524.

Poenitentia, Sacramentum, eius institutio mystice significata per verba Christi in resurrectione Lazari 404; in contritione peccator absolvitur per gratiam, in confessione sacramentali per iustitiam 408. Poenitentia sequitur peccatum 471; per poenitentiam peccator iustificatur a peccato 468; excitatur a gratia per cognitionem peccati 472; fundatur in fide et caritate 473; non potest esse simul cum peccato 475; mirabiles effectus poenitentiae 477.

Polycarpus S. citatus 302.

Pontifex summus Antiquae Legis in die consecrationis sanguine et oleo ungebatur, figura Christi 80; solus ingredi poterat in sanctum sanctorum 464; supra cor gerebat ornamenta appellata Rationale iudicii, idest lumina et perfectiones 72-73. 179. 365. 413, et nomina filiorum Israel in lapidibus pretiosis 194; in die expiationis oratione et sacrificio obtinebat remissionem omnium peccatorum populi 275. 310; perpetua fuit in synagoga successio pontificum a Moyse et Aaron 304; in morte pontificis exules et relegati revertebantur in patriam 522. Vide *Sacerdos*.

Porta. In porta civitatis erant tribunalia iustitiae 394.

Praeceptum duplicis generis: affirmativum et negativum 13. 191; homini datum fuit prius affirmativum et dein negativum 13; in Decalogo et in Evangelio primo datur negativum et postea affirmativum, propter statuum diversitatem 13. Praecepta maiorum servanda sunt 293.

Praedestinatio seu praedeterminatio divina. Principium et causa divinae praedestinationis est beneplacitum divinae voluntatis 321. 466, finis vita aeterna 321; auctor, exemplar et instrumentum divinae praedestinationis est Christus 322; media ex parte Dei sunt Sacramenta, ex parte nostra vera religio 322-323; necessaria est ad aeternam gloriam consequendam 194; non infert necessitatem libero arbitrio hominis, imo requirit ipsius assensum et consensum 139; mysterium quod nemo cognoscit 464.

Praelati vide *Praepositi.*

Praemium. Frequenter S. Scriptura loquitur de praemio virtutis et vitii 61; praemium virtutis paradisus, vitii infernus 67; praemium virtutis Christus benedictionem appellat, vitii maledictionem 67; spes praemii aeterni cohibet a peccatis 273.

Praepositi spirituales et temporales vices Dei gerunt in terra 181; imitanda non sunt mala opera eorum 182; agricolae appellantur ob potestatem quam habent 235; utilissima est Ecclesiae vigilantia praelatorum 309.

Propheta mittebatur ad destruendam idololatriam et divinam religionem propagandam 246; habebat scientiam infusam 356. 365; munus veri prophetae erat mores corrigere 253, docere scientiam Dei 362, et annunciare populo peccata 382; signa veri prophetae: operatio miraculorum, sanctitas vitae, verax praedictio futurorum et etiam perpessio persecutionum 254-257. 416. 424. 433; in Israel cum veris Prophetis inveniebantur etiam falsi 283, qui ex proprio capite loquebantur 365; falsus propheta interfici mandabatur 255. Prophetarum occisio figura passionis Christi 505.

Prophetia opus Spiritus S. 484.

Propitiatorium positum fuit inter duos cherubim ad arcam operiendam 71; figura singularis providentiae Dei erga Ecclesiam 338.

Providentia Dei in necessariis non deficit 230; perfecta est ad sustentandum hominem interiorem et exteriorem 326; prius pascit quod prius creavit, idest corpus et postea animam 326; est opus divini intellectus quia est pars prudentiae, et divinae voluntatis quia Deus libere operatur 333-334; opera divinae providentiae opera sunt divinae bonitatis 337; providentia divina est basis religionis 337; cognitio divinae providentiae erga pios maxime impellit ad virtutem 338.

Prudentia reperitur in Deo, in Angelis et in hominibus 451.

— Carnis satanica 449, mors est 491; prudentia spiritus oritur ex cognitione Dei 449; prudentia christiana praefert Deum mundo, mundana e contra 452.

Publicani qui non fide carent, sed iustitia et bonitate 29.

Pudor oritur a turpitudine peccati 143, et ex vituperio quod conscientia ferre non potest 272; multos cohibet a vitiis 273.

Pythagoras docuit contra solem non esse loquendum 146.

Pythagorici ad ortum solis orabant 146.

Q

Quinarius numerus imperfectus, figura corporalium 325.

R

Rachel laudata in Sacris Litteris 123; ob suam pulcritudinem Iacob valde dilecta 152; furata fuit idola patris sui Laban 10.

Rahab laudata in Sacris Litteris 123; iusta inter Chananaeos 21; salvata in expugnatione Iericho 74; imago animae christianae 373;

Ramathaim celsitudines interpretatur 169.

Rationale iudicii ornamentum magni sacerdotis, divinarum qualitatum Christi iudicis figura 72-73. 365.

Rebecca laudata in Sacris Litteris 123; mater duorum populorum 64. 388; procuravit Iacob benedictionem patris 126. 211.

Rechabitae ut maiorum praecepta servarent non bibebant vinum nec domos possessionesve habebant 293.

Regina Saba venit audire sapientiam Salomonis 93. 355, cuius servos beatos dixit 153, et sine miraculis credidit 106.

Regnum Christi non est de hoc mundo 78; regnum coelorum dicitur hereditas filiorum Dei 83; non datur nisi martyribus affectu vel effectu 208; proprium regni Dei est humilitas 443.

Reprobatio. Signum reprobationis est reditus ad peccatum 101; alia signa reprobationis 284-288. 417-418. 463.

Respublica. Tres respublicae inveniuntur: bonorum in coelo, malorum in inferno, bonorum simul et malorum in terra 485.

— Sine optimis magistratibus consistere nequit 490.

Rex, in aeternum vive! acclamatio populi ad regem 156.

Roboam rex, cuius tempore Sesac rex Aegypti cepit Ierusalem 265.

« Roma quanta fuerit ipsa ruina docet », dictum 237.

Ruben patriarcha locutus est fratribus in favorem Ioseph 486.

Ruth uxor Booz 116; laudata in Sacris Litteris 123-124; imago animae christianae 373.

S

Sacerdos nudis lotisque pedibus sanctuarium Domini ingredi debebat 96. Sacerdotes synagogae non habebant potestatem dimittendi peccata quam habent sacerdotes Ecclesiae Christi 302. Sacerdotes Baal falsi 283. Vide *Pontifex*

Sacramenta instituta a Christo ad tollenda peccata et gratiam conferendam 143; 274. 279; media sunt efficacissima salutis 322.

Sacrificium non erat Deo gratum nisi mundum esset et a mundo sacerdote et in templo tantum oblatum 7; in solo templo Ierusalem fieri poterant sacrificia 266; sacrificia V. Legis figurabant sacrificium Christi 504; soli christiani offerunt Deo verum sacrificium 266.

— Offerendum est cum caritate 512.

Sadoc sacerdos iustitia interpretatur 448.

Sallustius citatus 462.

Salomon pacificus interpretatur 103; praedictus fuit Davidi nasciturus 103; unctus et coronatus rex Israel a Sadoch, Nathan et Banaia 153. 156. 448, iuxta aquas 434; post David regnavit in Ierusalem cum multa pace 117, et magnis divitiis 427; vindicavit iniurias a Semei et Ioab Davidi illatas 349; thronus eius ex ebore et auro erat 80; laudatus a Deo quia sapientiam petiit 196, quam et obtinuit 121. 401; sapientissimus fuit 77. 224. 359; habuit scientiam infusam 356. 365; adhibuit consiliarios 485; templum Domini aedificavit 8-9, et ornavit intrinsecus quam maxime 287; decem aurea candelabra in eo posuit semper ardentia 276. 278; in dedicatione templi oravit positis genibus 20. 310; figura Christi 101. 110; dictus fuit Ecclesiastes et dilectus Domini 358; renovavit civitatem Gazer 453; mille uxores habuit 124; inter prosperitates cecidit 203; in idololatriam lapsus est 196. 445. Etiam Ecclesiasten egit 81; omni custodia servandum cor admonet 286; coelum appellat spiritum 162; utilitatem et delicias virtutis declarat 23; felicitatem iustorum praesentem et futuram celebrat 152; aeternum esse docet post mortem hominis statum 214; nomen Domini turrim fortissimam dicit 228; caritatem appellat ignem inextinguibilem, maximum 43. 534, et legem lucem 189; mulierem virtutis inveniri difficile dicit 124; virtuosam laudat 125; sacrificia impiorum abominationes esse apud Deum 266; viam iniquitatis ducere ad mortem 195; mulierem meretricem amariorem morte 480; celerem fore dicit punitionem impii 210; immisericordem a Deo non exaudiri 332; eleemosynam commendat et omnes eius fructus compendio redigit 331-332; avaritiam dicit ignem insatiabilem 354; sub nomine Sapientiae Christum intelligit 457.

Salus aeterna non obtinetur cum sola fide 69-70; necessarium est gratiam Dei habere et Christum imitari 154, eique adhaerere per fidem, spem, caritatem 381; multa media Deus instituit ad salutem consequendam 100; pauci sunt qui eam consequuntur 74. 135-136. 155; via salutis aspera est 136.

Samaritani cum Deum colerent idolis quoque immolabant 84.

Samson fortitudinem a Deo accepit 401; capilli eum fortissimum reddebant 208; leonem occidit 117; ex mandibula asini potum aquae hausit 326; vulpes comprehendit 492; armatus a Deo contra Philisthaeos 270, a quibus multa passus 515, sed gloriose triumphavit 521; oratione sua eorum palatium subvertit 275. 490; figura Christi 78.

Samuel multa miracula fecit 205; Sauli praedixit regnum Israel 111-112; iussit ut populus deos alienos abiceret 85; discrimen assignat inter vias Dei et hominis 163; pro salute populi orabat 115; oratione fugavit Philisthaeorum exercitum 275. 310; scidit vestimenta sua in signum auferendi regni a domo Saul 526; eius filii perierunt propter avaritiam 347.

Sanctitas est optimus usus beneficiorum Dei 422; sola via ad coelum 415. 421; necessaria in oratione 120; externa placet Deo dummodo cum interna coniuncta 286.

— Triplex: humana, angelica, divina 414.

Sanctus. Solus Deus proprie sanctus, Angeli et homines sanctificati dicuntur 413. Sancti in coelo possunt orare pro nobis 310.

Sanguis sedes et fomentum cupiditatum, cuiusvis hostiae effundendus in terra iuxta altare 9.

Sara laudata in Sacris Litteris 123; nonagenaria et sterilis miraculo fecunda redditur 306; pro Isaac procuravit hereditatem 126; figura Ecclesiae 297.

Satanas peccavit cupiens similitudinem Dei in maiestate 164; ex pulcherrimo Angelo turpissimus daemon factus 348; de coelo eiectus cum angelis rebellibus 241; immundus, nequam et malus dicitur 241; in angelum lucis se transfi-

gurat 27; fons omnium vitiorum est 432, caput omnium reproborum 55; princeps mundi dicitur 441, rex tenebrarum et inferni 247, Dei summus inimicus 241; Christum tentavit sed nil profecit, persuadere potest, sed non cogere 53-54; ad peccatum induxit parentes nostros 139. 313, illis persuadendo nunquam fore morituros 216; multa promittit, sed habet mala facta 156; in hoc mundo homines vexat in odium Dei 248, et peius tractat in inferno 248. 251; a Deo frenatus tenetur 250; sub figura serpentis quattuor maledictionibus plectitur 242-243; Christum maxime odit 442; ad nos perdendos maxime insidias parat 444; mulieribus utitur ad decipiendos homines 478.

Satrapae consilium fecerunt contra Danielem 486.

Saul vaticinium regni a Samuele accipit 111-112; contra praeceptum Dei multos Amalecitas servat 475; ob inobedientiam regno privatur 187, quod Davidi traditur 230. 233; ideo Davidem persequebatur 441; eius oratio non exauditur 118; eius poenitentia non vera 475; a spiritu malo obsessus 171, postquam discessit ab eo spiritus Domini 242; tulit sententiam mortis contra Ionatham, sed postea revocavit 174; seipsum interemit 218. 497; figura reproborum 219.

Scenopegia collectio populi in memoriam divinorum beneficiorum in deserto 430, significat collectionem electorum in coelo 432.

Scriptura S. altissima theologia, saepe loquitur de discrimine inter Deum et creaturas 163; multis modis nititur declarare divinam bonitatem 334-336; saepe praedicat sanctitatem et bonitatem Dei 411; Dei esse dicit quaecunque mirabili quadam magnitudine constant 163; hominem nequam appellat hominem Belial 247; obedientiam erga superiores et maiores commendat 293; per iustitiam aliquando eleemosynam intelligit 332; universa Scriptura data est ad destructionem peccati 272; docet sanctitatem necessariam esse ad salutem 418; saepe loquitur de aquis 433; Christo tribuit idiomata et opera divina et divinam consubstantialitatem 457-459; multis modis ostendit Christi divinitatem 461; in ea reperiuntur quattuor status humanae naturae descripti 495; unus pro primo sumitur 493-494; magnam afflictionem appellat manum duram 518, et gladium 519; per debita peccata intelligit 520.

Seba homo Belial dictus 247.

Septenarius numerus perfectionem significat, figurat spiritualia opera 325.

Septuaginta seniores populi electi fuerunt principes et iudices una cum Moyse 293.

Serpens aeneus exaltatus in deserto in remedium contra venenum serpentium ignitorum 530, figura Christi 167. 515. 542.

— Ante maledictionem forte non supra pectus, sed super ventrem gradiebatur 242-243.

Servetus Michael haereticus negavit Christi divinitatem 456.

Servus alius Pharaonis periit, alius salvatus fuit 216; ille figura reproborum hic electorum 219; veri servi Christi sunt qui sancte vivunt 155; etiam in hoc mundo bene se habent 251; semper dicuntur beati 252, quia pacem et amicitiam habent cum Deo 294.

Sesac rex Aegypti tempore Roboam cepit Ierusalem 265.

Seth positus pro Abel 302; ab eo descendentes filii Dei vocantur 292.

Sidon venatio interpretatur, figura huius mundi 127.

Siloe aquae lumen caeco dederunt 135. 437.

Simeon S. iustus ac timoratus et Spiritu S. plenus 183; a Spiritu ductus venit in templum 51; Deiparae passionem vaticinatur 519, et Christum positum in salutem et in ruinam 526.

Simia rationis praedita videtur, sed non est 301.

« De similibus idem iudicium », aphorismus philosophicus 228. 244.

Socrates cygnus dictus 216.

Sodoma cum universa Pentapoli coelesti igne conflagravit 3. Vide *Pentapolis.*

Sol in Sacris Litteris symbolum est gloriae Dei 145; hieroglyphicum duodecim mysteriorum gloriae Christi 157. 240; rex stellarum, rex coeli, rex naturae dicitur 488, cuius vita aeterna 160; princeps lucis 249; tenebrarum inimicissimus 250.

Solon legem dedit Atheniensibus 188.

Sophar naamathites philosophus cum Iob disputans 292.

Sophim speculae interpretatur 169.

Spiritus S. tertia in Trinitate Persona 313. 322; totus amor 313; descendit super Iesum in Iordane 50. 56. 96. 109. 121-122. 415. 537; duxit Iesum in desertum 2. 49. 51-52. 55. 196. 201; descendit super Virginem 14; replevit Apostolos 113, et Eliam 256; promissus in aqua datus in igne 180. 436; Spiritus S. effectus

19. 30. 54. 436; infundit caritatem 29. 31. 33. 42. 137. 317; ipsi tribuuntur iustificatio et sanctificatio 322; in S. Scriptura multas imagines dedit verae poenitentiae 470.

Stephanus S. occisus lapidibus a furente populo 527; pro lapidantibus oravit 34. 44; obdormivit in Domino 404.

Substantia intellectualis quo Deo vicinior, eo scientia plenior 361.

Sudor ex magno calore provenit 534.

Superbia causa ruinae Angelorum, hominum et reipublicae Iudaeorum 471.

Superior vide *Praepositus.*

« Sus Minervam docet et bacchanale tempus Quadragesimam », proverbium 282.

Synagoga vide *Hebraei.*

Sybaritae mulieres in proverbium 481.

Syracusii legem tulerunt de meritricium ornatu 481.

T

Tabernaculum Moysi constructum fuit in deserto 473, ex asseribus et pellibus animalium 302; tribus partibus constabat: atrio, sancto, et sancto sanctorum 34. 300; unam tantum mensam et unum candelabrum habebat 302; in die dedicationis repletum fuit gloria Domini 307; in eo arca Testamenti servabatur 230. 233. 297; in eo mansit cultus Dei usque ad templi aedificationem 484; figura Ecclesiae 307.

Tabula. Tabulae Legis a Deo datae 178. 182. 264, per Moysen 189, lapideae erant, prima vice divinitus inventae atque dolatae et a Deo scriptae, secunda vice a Moyse dolatae sed a Deo scriptae 34; in una scripta erant praecepta quae hominem ad Deum ordinabant, in altera quae ad proximum 183; positae fuerunt in arca 35. 190. 197. 357.

Templum Salomonis eius descriptio de coelo venit ad David 342; constructum fuit iuxta exemplar a Deo datum 508, ex lapidibus pretiosis et auro 302. 343; malleus et ferramentum non sunt audita in eo 343; totum auro splendebat intrinsecus 32; tribus partibus constabat: atrio, sancto et sancto sanctorum 34. 300. 341. 414. 425; multo maius et augustius tabernaculo Moysi 35. 302; supra montem aedificatum 114, octavo anno completum fuit 134; decem aureas mensas et decem candelabra habebat 302; in die dedicationis repletum fuit gloria Domini 122. 307; in illo Deus posuit cor suum 307; extra illud non poterant sacrificia fieri 255; immundus ab eo arcebatur 421; figura Ecclesiae 307, et corporis Christi 340. 344; propter peccata Deus se positurum illud in parabolam dixit 237; ibi erat aqua et oleum ad abluendum et inungendum corpus 318, candelabrum et mensa panum 357. 502; appellatur sanctuarium, domus sanctitatis et sanctitas 349; dirutum a rege Babylonis, reparatum a Zorobabel 468, dedicatum magna cum laetitia 469, figura poenitentiae 470; destructio templi figura passionis Christi 504.

Tentatio a Christo cribratio dicitur 52; tentat Deus ad virtutis augmentum, satanas ad detrimentum 3.

Terentius citatus 6. 440. 480.

Terra regnum noctis et tenebrarum 241. 249; aeterna dicitur in S. Scriptura 214.

Tertullianus causam ostendit cur Ecclesiae civitatum dicantur apostolicae 303.

Thabor mons ubi Christus transfiguratus est 537.

Thamnath Saraa meridies superabundantiae interpretatur 454.

Tharsis exploratio gaudii interpretatur 168.

Theologia scientiarum omnium domina et regina 163. 356; docet divinas veritates 364; in cognitione differentiarum inter Deum et creaturas maxime consistit 163.

Thomas S. apostolus Christum interrogat 359; incitat condiscipulos ad moriendum pro Christo 400.

Timor oritur ex infirmitate naturae 63. et ex conscientia culpae 64; timor vituperii et poenae cohibet a peccatis 272-273.

Tribulatio peccata purgat et virtutes probat 45.

Trinitas SS. Tum creatio tum conservatio mundi opera sunt SS. Trinitatis 337; Patri tribuuntur potentia et creatio, Filio sapientia et redemptio, Spiritui S. bonitas et sanctificatio 322; Pater dicitur Deus Deorum quia per duas Hypostases universa moderatur 337.

Trismegistus legem dedit Aegyptiis 188.

Triticum electos in Evangelio significat 284.

Trophea antiquitus fiebant in arboribus in quibus, praecisis ramis, spolia suspendebantur 277.

Tubalcain malleator et faber 292.

Tyrus angustia interpretatur, figura huius mundi 127.

U

Unus in S. Scriptura idem ac primus 493-494.
Urias missus in domum suam a David, ire noluit 199.

V

Ventus in S. Scriptura spiritus vocatur 162.
Verbum Dei dicitur gladius spiritus 272; hoc solum audiendum praedicant haeretici 288.
Virga a Deo Moysi data ut pugnaret contra Pharaonem 542; figura divinae omnipotentiae 118; serpentes magorum devoravit 249; illa armatus Moyses multa mirabilia fecit 426; posita fuit in arca Domini 542; figura crucis 516. Virgis castigabantur liberi, flagellis servi 541.
Virgilius citatus 8. 59. 533.
Virtus consistit in cognitione et amore Dei 24, in puritate et sanctitate animae 294; non in externis moribus 295; non invenitur nisi in Angelo et in homine 23; est unica via ad vitam aeternam 12; summam potestatem habet apud Deum et homines 13. 26-27. 213. 222; propter virtutem Deus omnia operatus est 26-27; maximo honore digna est 214; etiam mali virtutis veste se contegunt 27; multos evexit ad summos honorum gradus 27; uberrimos fructus affert 13; est maximum bonum 25-26; hominem superiorem Angelis facit 55; ex multis dignoscitur splendor et pretium virtutis 23-25; humana felicitas a virtute pendet 25. 150; aeternum praemium consequitur 214; 222; nil pulcrius virtute 24; ubicunque sit, splendida est 126, sed rara admodum est 127; cum voluptatibus consistere nequit 20. 438.
Vita christiana a Baptismo incipit 49, et a Spiritu S. regi debet 51.
Vitium ad maxima mala temporalia et aeterna conducit 13. 25-26.
Vitulus immolabatur in die expiationis, figura Christi 515.
Voluntas propria est voluntas inordinata et mala, a peccato protoparentum orta 96.
Voluptas. « In regno voluptatis non est virtuti locus », adagium 20. 438; via voluptatis multis bona videtur, sed ducit ad perditionem 195, et magna pericula offert ad aeternam salutem 202-203.

Z

Zachaeus publicanus exhibet imaginem verae poenitentiae 471.
Zacharias sacerdos in templo occisus 257.
— Propheta praevidit ingressum Christi in Ierusalem super asinum, et eum vocat regem, iustum et pauperem 76-78. 448, et lapidem 449; vaticinatus est effusionem Spiritus gratiae et precum super habitantes Ierusalem 113; peccatum appellat massam plumbi 167; Deum dicit murum ignis in circuitu Ierusalem 275; et habentem septem oculos 489; magnum dolorem appellat planctum unigeniti 471.
Zelus ardens caritas est 349.
Zizania in Evangelio reprobos significant 284.
Zonae mundi quinque sunt 132.

CORRIGENDA

Pag.	5	Linea	7	loco	bucefalus — bucephalus
»	20	»	12	»	positus — positum
»	35	»	24	»	Divina — Divinae
»	167	»	15	»	vita — vitam
»	209	»	17	»	concupiscientiae — concupiscentiae
»	257	»	9	»	praecipitarenti — praecipitarent
»	»	»	10	»	Hebrae — Hebraei
»	262	»	28	»	mosaice — mosaicae
»	288	»	20	»	priun — prius
»	»	»	25	»	caritatis — claritatis
»	516	»	29-30	»	veveruntamen — veruntamen